

H. HENRICI HEIDEGGERI
IN
APOCALIPSIN
DIATRIBÆ.
Lugduni Batavorum
ud PETRUM VANDERAA
Cum Privilegio D.D. ord. Holl.
et Westfrisiæ.

JOH. HENRICI HEIDEGGERI

סוד בבל רבת

seu

In Divi Johannis Theologi

APOCALYPSEOS

Prophetiam

DE

BABYLONE MAGNA, DIATRIBÆ.

Tomus Prior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud PETRUM VAN DER Aa. 1687.

Cum Privilegio D.D. Ordinum Hollandiæ & West-frisiæ.


FRIDERICUS WILHELMUS
D.G. MARCHIO BRANDENBURGICUS
ARCHI-CAMERARIUS ac PRINCEPS ELECTOR &c &c &c
HEROS, Seculi nostri INCOMPARABILIS
Secundum dei verbum reformatæ
VINDEX et DEFENSOR STRENUUS.
Schonebeck Del.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI, DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONI *Brandenburgico, Sacri Romani Imperii* ARCHICAMERARIO, *& Principi* ELECTORI; *Prussiæ, Magdeburgi, Juliaci, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum Vandalorúmque, nec non in Silesia Crosnæ & Suibusiæ* DUCI; *Norinbergensi* BURGGRAVIO; *Halberstadii, Mindæ & Camini* PRINCIPI; *Marcæ, Hohenzolleræ, & Ravensbergi* COMITI; DOMINO *in Ravensperg, Lauenburg, & Bütau;*

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR,

Difficilima & deploratissima sunt, in quorum maturitatem Deus, justo equidem sanctóque, sed paterno eodem erga domum & familiam suam judicio usus,


FRIDERICUS WILHELMUS
D.G. MARCHIO BRANDENBURGICUS
ARCHI-CAMERARIUS ac PRINCEPS ELECTOR &c. &c. &c.
HEROS Seculi nostri INCOMPARABILIS
Secundum dei verbum reformatae
VINDEX et DEFENSOR STRENUUS.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI, DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONI *Brandenburgico*, *Sacri Romani Imperii* ARCHICAMERARIO, *& Principi* ELECTORI; *Prussiæ, Magdeburgi, Juliaci, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum Vandalorúmque, nec non in Silesia Crosnæ & Suibusiæ* DUCI; *Norinbergensi* BURGGRAVIO; *Halberstadii, Mindæ & Camini* PRINCIPI; *Marcæ, Hohenzolleræ, & Ravensbergi* COMITI; DOMINO *in Ravensperg, Lauenburg, & Bütau;*

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR,

Difficilima & deploratissima sunt, in quorum maturitatem Deus, justo equidem sanctóque, sed paterno eodem erga domum & familiam suam judicio usus,

Ecclesiam Uncti sui modernam, in terris hisce militantem, reservavit. Nam & ratio, & vis ac potentia Mundi omnis ad eam internecione delendam, abolendúmque omne ejus sub Cœlo nomen conspirare jam diu equidem visa est; at hodie conspirare non sine successibus huic lœtis, illi verò quàm maximè tristibus funestísque videtur. Tametsi verò res ita habet; ubi tamen ad augustissimum illud Dei sacrarium animum, cogitationem & obtutum nostrum convertimus, unde fluit natura rerum, & in res omnes administratio unicè funditur; profectò maximè furens istud pelagus mundi, insani illius Ægei fluctus, & quicquid in nos rerum adversarum undique irruit, virtute Dei Patris, qui juxta scita illa Tertulliani, Agonotheta, Jesu Christi, qui Epistates, & Spiritus S. qui Xystarches noster est; superamus gloriosissimè. Quicunque enim Dei gratia veritatis amorem & pacis studium, ἡδίστην συζυγίαν verè conjunxerunt, etiamsi illius causa sese duriter premi, capite & fortunis omnibus, seu per cuniculos & Sinonio artificio, seu aperto Marte oppugnari sentiant,

præſentibus certè illi & ingentibus animis ſint oportet. Etenim veritas ſemper magis denique eluxit impugnata: & lauri imagine repræſentatur, quæ eadem imago eſt hominum piorum ſub Crucis Chriſti ſignis merentium, de quibus præclarè vates ille cecinit:

Preſſa ſub ingenti ceu pondere palma vireſcit,
Sub cruce ſic florent dedita corda Deo.

Ipſi interea ſpirituali & interna pace ſe oblectant unicè; ſatis eſſe confidentes meritò, quòd pacem, omni captu humano altiorem habent primùm erga Deum, quem ſibi in Chriſto placatum propitiúmque perſentiſcunt: deinde erga ſemetipſos, cùm ſe frui vera illa εὐθυμία intelligunt: denique erga conſortes ſuæ fidei, quorum voluntatem ſtudiorúmque conſenſionem quantivis faciunt, Confirment ſe in adverſis & calamitatibus ſuis homines facti ad amuſſim ſeculi, à naturæ lege, à neceſſitate Divina, à rationis luce, ab exemplorum nube, ab uſura temporis, aliíſque ejuſmodi tralatitiis argumentis, quibus ſe ex immani illo malorum vortice emerſuros

incolumes, dum interim alia omnia denſo agmine, perrumpentia in adverſis rebus conſolationum ejuſmodi fructum penitùs intervertunt; ne quicquam ſperant. Optimè verò & potentiſſimè ille miſerationum Pater; ille Imperator noſter Sapientiſſimus, ſuis proſpexit, Divina quadam πανοπλίᾳ eos inſtruens, & ſalutarium conſolationum ſuaviſſima θελκτήρια animis eorum infundens, ut in impetuoſo hoc pelago deſtituti naturæ ventis, remos adhibeant gratiæ; poſitaque ſarcina peccati adverſus infeſtas malorum omnium, quibus impugnantur, acies certa ſpe victoriæ, ut fortes milites & Callinici Chriſti, depugnent. Quarum conſolationum efficaciſſimarum duplex in Scripturis irriguus fons eſt. Aliæ enim in univerſum dulciſſimis promiſſionibus, quarum lœtiſſima in iis ſeges, & intermicantes ubique gemmæ continentur, languentes animos demulcent: aliæ certa contemplatione perſonarum, temporum, viciſſitudinum, periodorum Eccleſiæ modò fluctuantis & luctantis, modò eluctantis: lunæ hujus

modò deficientis, modò lucis suæ amplitudinem postliminio recipientis, prostratos humi animos potenter erigunt corroborántque. Quo posteriori in consolationum genere utramque paginam prædictiones Divino Spiritu fusæ, & in Ecclesiæ solius ταμείῳ repositæ faciunt. Et in Novo quidem Testamento Regni Christi incunabula, incrementa, progressum adversùs Sathanæ, rufi illius Draconis, organorúmque ejus in mundo pestilentissimorum, nefaria molimina & impedimenta undequaque objecta, certamina Sanctorum, certaminúmque illorum admirabilem catastrophen Divi Johannis Theologi Apocalypsis, mysteriis, temporum jam face clarissimè detectis plerisque, refertissima, repræsentat. Quid enim Ecclesiæ Christianæ commodo, quæ funestissimis hisce temporibus à mundo & principe ejus vehementissimè oppugnatur, ordinari, disponi, dari aut doceri ad piorum consolationem confirmationemque securam sapientius potuit, quam ille S. Johannis disertissimæ præsignificationes, pleræque jam rebus

ipsis & experiundo cognitæ; ac cognoscendæ serie ordinéque suo ad gloriosum illum Jesu Christi adventum, veluti de impressionibus Bestiæ unius; de fraude alterius, de conatibus utriusque; De Babylonis exteriore interiorique habitu, de perpessionibus Ecclesiæ, de Epiniciis hostium, de Christi, Agni Hyperaspistæ valentissimi propugnatione; de victoriis ejus, de suppliciis infestatum Christo potestatum, de eventis denique felicissimis ad consummationem usque seculi in tanta malorum acerbitate & perplexitate duraturis? Cúmque nihil reliqui faciant, intentatúmque adeò omittant æmuli Regni Christi, quòd modo facere videri possit ad ruinas & parietinas suas restaurandas, & demoliendum solóque adæquandum penitùs Regnum Christi: cùm ad Veritatem Evangelicam opprimendam, & simplices, infirmos, mundóque impensiùs æquo addictos per admirabilem efficaciam violentiæ suæ ad deserenda Christi signa, abjiciendámque hastam propellendos, omnem virium suarum contentionem

convertant; nos certè, quibus excubias in muris Sionis Cæleſtis Imperator mandavit, citra manifeſtæ in cauſa ejus prævaricationis nefas committere non poſſumus, ut Eccleſia, & in hac tot afflicti tentatíque ſimpliciores ea conſolatione, admonitione & doctrina, quam ipſe Dominus Jeſus per ſervum ſuum Johannem exulceratisſimis rebus & temporibus noſtris in Apocalyſi hac præparavit, deſtituatur. Fallimur enim profectò vehementer, ſi adverſarium æmulúmque Chriſti armis potiùs corporalibus, quàm gladio verbi Dei debellandum profligandúmque putamus. In animis hominum illum vileſcere & interire neceſſe eſt, ut reviviſcat Chriſtus, & glorificetur in Secula. Hic unicus ille *βασανισμὸς*, *cruciatus* eſt, quo multari meretricantem in mundo Babylonem vox ex cœlo reſonans Apoc. xviii. 17. ſeverè juſſit. Hoc ergò inſtituto ſtudióque percitus Diviniſſimi Apocalypſeos libri pericopam haud ſanè ignobilem & poſtremam, quinimò cœtera ferè omnia ſinu ſuo complexam, non perfunctoriè illuſtrandam,

ſed certa & accurata argumentorum apodixi in ampliorem, quàm fortè hactenus unquam, Eccleſiæ notitiam uſúmque provehendam ſuſcepi, non eo certè animo, ut crabrones, quod ajunt, irritem; ſed ut veritatis illius, quæ ſecundùm pietatem eſt, amantes cunctos à præcipitiis interitúque per Scripturas, & demonſtrationum ex iis, pro viribus meis revocem, & adverſariam Chriſti cohortem, ſanguine Sanctorum paſtam ſaginatámque, vivis Spiritus S. coloribus ſic depictam, qui piè in mundo vivere volunt, toto pectore cohorreſcant omnes. Hoc verò quicquid operis & laboris eſt, quia poſt Deum in terris etiam tutelare aliquod adversùs invidiam & malignitatem hujus Seculi, Veritatis Cœleſtis impatientem, patrocinium poſtulare videtur, Auguſtæ Majeſtati proximam Celſitudinem Tuam, SERENISSIME ELECTOR, Seculi noſtri Heros incomparabilis, Te, inquam, inter omnes in ſublimi faſtigio conſtitutos, plebis Dominicæ Nutritios, Principem Maximum, Tutorem Patronúmque enixiſſimè optat. Sapientiſſimè equidem à Sapientiſſimo

Mortalium Regum Solomone dictum eſt, Proverb.xxv.2. *Gloria Dei eſt occultare verbum, & gloria Regum ſcrutari verbum.* Regi Cœlorum glorioſum eſt occultare verbum quo negotium ſalutis omne panditur, hactenus, ut non ſine attentione ſedula, ſcrutatione continua, & ſpirituali diſcretione ſpiritualium intelligatur à quoquam. Eſt enim verbum Dei theſaurus in agro abſconditus, & margarita bona quolibet pretio redimenda. Meretur ergo laborem, ſummámque induſtriam duce & luce Deo ſcrutandi abſcondita, & in lucem apertam proferendi. Hoc Deus, Rex Cœleſtis ſummus ille, ſibi amplum glorioſúmque ipſemet ducit. Ecquæ verò Regum terreſtrium gloria eſt? *Scrutari verbum*, inquit Rex ille Terreſtrium ſummus Solomon. Nam ſcrutatio veritatis & Verbi Dei, atque in eo etiam prędictionum, quibus Eccleſiæ à Principibus piis regendæ fata conſignantur, Reges Principéſque ſapientes reddit & Populo, cui non ad terrenam duntaxat: quam

cum animantibus brutis communem ille habet, sed ad Cœlestem inprimis felicitatem, votorum studiorúmque omnium coronidem unicam, ducatum præbere debent. Nihil enim Rege & Principe, veritatis & beatitudinis solidæ ignaro turpius, nocentius nihil esse potest. Potest enim ille nocere, & ubi viribus suis uti debeat, nescit; belluæ haud absimilis, quæ rationis aureo illo frœno destituta, noxam promiscuè infert. In Civitate sunt homines ad Dei imaginem, & propter ejusdem gloriam conditi: quorum precipuę partes sunt, ut Deum invicem celebrent, & vitam per omnem pietatem & honestatem traducant. Reges ergò Principésque oportet illis esse Duces ad veram sapientiam: quę sine verbi scrutatione nulla obtingit. Pręcipuè autem scrutentur illi verbum, ipsásque etiam Spiritus S. predictiones oportet, ne potestatem suam Babyloni & Bestiæ tradant: quod qui factitârunt, Christianum illi Orbem innumerabilibus malis implicârunt hactenùs. Possem pientissimorum

Judæ Regum, & Principum Christianorum, qui Solomonis isthoc saluberrimum monitum in vita omni expresserunt, exempla testatissima ciere. Nostro certè Seculo Gloriosissimus Princeps, JACOBUS I. Britanniæ, Scotiæ & Hyberniæ Rex Inclytus, Scrutationem ejusmodi haud infra Regales curas suas residere ratus, doctissimam in Apocalypsin Paraphrasin publico donavit, dignissimam tanto Rege, *cui in libri illius intellectu præter cæteros Mortales alluxisse* DEUM *sapientiæ suæ facem*, verissimè Jacobus Montacutius, Wintoniensis Episcopus, Præfatione in Opera Regia, prædicavit; sapienter insuper observans, *Regum Principúmque plus interesse intelligere hunc librum, quàm cæterorum: & rectiùs ab iis explicari Vaticinia, quorum dextrâ verè omnia peragantur.* Sed quid Hunc Aliósque memoro, quando, SERENISSIME DOMINE, cum Religiosissimis & Pientissimis Principibus quibusque paria Te facientem, & S. Literarum amore ac

ſcrutinio nemini ſecundum, denique ex Divini præſcripti regula tot populorum gubernacula ſapientiſſimè, feliciſſimè ac conſtantiſſimè moderantem, melior Orbis univerſus, conſonæ vocis præconio edito, ſuſpicit & veneratur unicè? Predicabunt Annales in Te ſpeciem Imperio dignam, intemeratam Juſtitiam, Prudentiam expuiſitam, heroïcos Spiritus, Fortitudinem incredibilem, Victorias & palmas concatenatas non dolo illas; ſed Virtute, & manu Tua forti patratas, ſucceſſus propitio Numine ex animi ferè ſententia fluentes: quæ ſingula vix verbis adæquari poſſunt, & vel loquaces Fabios laſſabunt. Me verò tenet tenebítque admiratio ſinceræ Pietatis, qua incocto imbutóque penitùs, & toto pacis Religioſæ Cœlitùs accenſo Zelo æſtuante pectore, & jam olim *Juvenis*, & etiamnum per Dei gratiam, Eccleſiæ hanc felicitatem impertientis liberaliſſimè, *Senex*, cum Conſtantino Magno de Eccleſiaſticæ Pacis auſpicatò quandoque

resarciendæ adoreâ constantissimè & integerrimè certâsti, atque certare nunquam desinis. Qui enim, quo elogio Serenissimam Celsitudinem Tuam annis abhinc triginta tribus exactis, David Blondellus, Polyhistor ille summus, meritò mactavit;

Fraternas acies, & pila minantia pilis

(*Dei servos rixis deditos* esse nequaquam, memor) in Christi familia Majorum exemplo semper exhorruisti; etiamnum exhorres easdem, & mali pertinacia nequicquam sanctissima molimina retardante; Henotico operi ad exoptatum finem, siquidem tanto beneficio tempora nostra digna judicaverit Dominus, perducendo immoriturus (ô utinam serò! utinam non priùs, quàm jugem pacem Sionis tantis desideriis studiisque quæsitam, Principalibus ulnis in Domino exultabundus amplecti & fovere, adeóque impensæ tandiu operæ pretio frui suavissimè dabitur! videre. Auget & illud in Cœlo & terra purissimi prò Ecclesiæ Salute Serenissimæ

Celsitudinis Tuæ Zeli gloriam, & vel supremis titulis prorogabit famam, quòd tot fideles animas per caussam religionis extorrium, & imbellium avicularum instar nidis suis excussarum, hinc inde palantium, & à mundo propter solam intemeratam in Jesum fidem pro σκυβάλοις habitarum, expanso Clementiæ Tuæ sinu, excipis, foves, promoves, efficisque denique, ut tot malis, quorum seriem formásque posteritas omnis stupebit, conflictantes, & jam penè fractos non pœniteat, Patrios Lares tenerrimè aliàs dilectos, charitates, fortunas, quibus haud pœnitendis multi abundaverant, denique cuncta, quæ caro in deliciis habet, jactâsse, solásque animas suas uni Christo Domino suo sacratas pro spoliis retulisse. Quanta ergo in Cœlis merces Munificentiæ huic, &, quod majus est, veræ fidei erga Christum, & Charitatis erga Sanctos piissimæ testificationi reposita Te manebit! Quàm irrigua benedictionum Divinarum

fluenta in terris mactabunt Sereniſſimam Celſitudinem Tuam! Quanta fidei & charitatis tantæ conſortes, Sereniſſimam Conjugem, oculorum animíque Tui deſiderium; Sereniſſimos hæredes, qui ſicut vitis abundant in lateribus domus Tuæ, & ſicut plantaria olearum menſam Tuam coronæ inſtar circumſtant, atque inter illos ELECTORALEM HÆREDEM Tuum, Principem exſpectationis ſummæ, Tantóque Parente digniſſimum; Filios denique filiorum, qui ſuper titulos & avitæ laudis honores ordine ſcandent, novúmque canis Tuis venerabilibus juventæ florem adſpergent! Quod ſupereſt, SERENISSIME DOMINE, Principali tutelæ Tuæ commiſſo imbelli huicce fœtui, Divino preſidio fulto, humano deſtituto, & infidi hujus Seculi malevolentiæ aleam jam jam ſubeunti, Clementiæ Tuæ, cujus ille

genubus advolvitur, Divinæ gloriæ ſervire natus; ſinum pandas: ejus, imò religionis, cui cauſa militat, Suſceptorem Magnum agere ne dedigneris; denique parentem ejuſdem, Eccleſias inprimis Helveticas, ex quarum ille gremio prodit, ἰσότιμον πίςιν, pretioſam æquè fidem ſortitas, & pro eadem per Chriſti gratiam depugnaturas ſemper, quas in oculis Te ferre abundè conſtat; gratiâ & favore perpetuo complecti ne deſinas, queſitiſſimis, humillimíſque precibus contendo. Nos quoque unà cum Viſtulæ, Viadri, Albis, Rheníque accolis, Ditioni Tuæ, quacunque Sol oriens & cadens Germanicum Solum luſtrat, ſubditis, qui Te, Cariſſimum Deo Caput, velut Parentem communem ſuſpiciunt, oríſque ſui Spiritum æſtimant, cauſam velut communem conjungentes, Cœlum *Sereniſſimæ*

Celsitudinis Tuæ causa, votis nostris fatigabimus semper, ut Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi S. C. T. omni Virtute Principali proporrò armet, ab omni malo protegat, in bonum omne deducat, Principatûs felicitatem, Familiæ splendorem, Ætatis ad Aquilinos usque annos producendæ vigorem augeat; benedictionibus è Cœlo Sacrum Caput, Familiam omnem, consilia, conatus, opera perfundat, & Reipublicæ, Ecclesiæ, bonis omnibus, qui difficillimis hisce temporibus, gravissimis molestiarum molibus & procellis undique ingruentibus, post DEUM in Pietate, Virtute, Prudentia consiliis Tuis, oculos fixos inconniventésque habent, valentem, florentem, Regnúmque Christi usque amplificatum, sospitet quàm diutissimè! Scribebam, & immortale votum sacrabam

D E D I C A T I O.

flagrantissimo affectu Tiguri, Helvetiorum Metropoli, die XIII. Calendis Februariis. Anno Christiano MDCLXXXVII.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Devotissimus Cultor,
servúsque humillimus

JOH. HENRICUS HEIDEGGERUS,
S. S. Theol. D. & in Academia Tigurina Professor.

PROLOGUS GALEATUS.

E*a planè vivimus tempora, quibus familiam suam probante Domino, & fidem multorum penè dormientem, cœlesti censura erigente, non tam prolixos libros, quàm prolixos fletus & gemitus deberi, quod de suis Augustinus*, epist. 122. *queritur, profiteri possumus, ea inquam, tempora, quibus illa Am.* v. 13. *apprime congruere videantur:* Ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est: *& quibus fortitudinem nostram reputare debeamus* השקט: בטחה silentium & spem. *Esai.* xxx. 15. *Et sanè silendum, non occlamandum, quod ille ajebat, ventis; nedum oblatrandum esse justis, sanctisque Dei judiciis, quæ nec planè comprehendi, nec justè reprehendi possunt: ultrò fatemur omnes. Sic tamen silendum putamus, ne, ut olim Amyclas, sic hodie Christianos silentium perdat. Sunt enim hodie, sunt, qui calamitates nostras argumentum conclamatæ causæ nostræ interpretantes, insultare non desinant:* Ubi Deus vester, ubi Deus, in quo speratis? Qui adipem sacrificiorum vestrorum comedebant, & vinum libaminum vestrorum bibebant, surgant, & opitulentur vobis, protegant illi vos. *Deut.* xxxii. 37, 38. *Illi non causam, sed fortunam nostram trutinantes, triumphum ante victoriam canere, ab eventu facta notare, religionem ex prosperitate eandem in mundo profitentium æstimare pridem consueverunt. Mussitemus hæc! Atqui silentium nostrum in consensum, molestia in conscientiam ducitur; uti quondam Marius Salustius locutus est. Et mos ille inolitus veritatis hostibus est, Orthodoxorum abuti silentio, patientiâque suum ad decus. Tacere nostrum illis jacere est, & victi convictique pronunciamur, qui ea parte, quâ veram felicitatem nostram metimur, icti non sumus. Accedit fatalis quædam multorum eheu! nimis, Babylonis oblivio. Cùm primùm Angelo illo ex cœlo descendente & magnam potestatem habente, terra gloriâ illis collustrari cœpit, ingens gliscebat Zelus omnium, non deserendi duntaxat, sed detestandi etiam communionem tot vitiis enormibus maculisque scatentem, tot stigmatis ab ipso Spiritu Dei compunctam. Antichristum, Babylonem in externa Ecclesiæ communione stabulari pridem, odio & aversatione dignissimum, ambiguum nemini bono habebatur; publicam in fide apostasiam, in cultu idolomaniam, in regimine tyrannidem reputanti altiùs. Ex eo tempore id Ecclesiæ hostibus unicè curæ cordique fuit, dedecora sua nova indies* ψεϑολέας *fuco illita, ut tegerent, lucem verbi D. omnem, prædonum nocturnorum more extinguerent: alios vi aperta mendaciloquorum hypocrisi alios expugnarent, & in castra sua, invitos etiam, horrentes, reluctantésque traducerent. Neque desunt tum Galliones, qui religionis curam posteriore loco amandantes, & in implicita nescio quâ fide stupentes, parùm pensi habent, quid de Ecclesia, ejusque fatis Scripturæ dixerint, prædixerintque: & universam de religione disceptationem à quadam*

inge-

ingeniorum scabie, astrorumque positu arcessere nulli dubitant: tum δειλοὶ, meticulosi, *profiteri, quod res est, & scapham appellare scapham veriti: tum infirmi, qui profunditates Sathanæ profundius haud scrutantes, & splendore externo capti, apertis & inconniventibus oculis lucem veritatis intueri, non valent: tum denique Demæ, qui mundum, & quæ in eo sunt, impensiùs diligentes, veritatis cælestis amorem ejerârunt. Hæ aliæque causæ cùm veluti scotomate quodam percussos alios in errore obfirment, impediántque, ne veram à falsa Ecclesia, lucem à tenebris discernant, alios, sustinendæ tentationi gravissimæ impares, & à gratia Dei tantisper desertos, ad cœlestem veritatem abnegandam, & sacra minimè sacra amplexanda transversos præcipitésque avertant: alios denique ad oblivionem genuini Papatûs sic inducant, ut Babylonem, vivósque colores vix ampliùs pernoscant; illustrem illam, & planè μυστηριώδη de Babylone Magna prophetiam, paulò exquisitiùs, & deditâ, quod ajunt, operâ indagandi consilium cepi. Hanc verò dum in Hierarchia Rom. argumentorum irrefragabilium magnâ mole animum, calamúmque meum impellente, repræsento, idem mihi animus præsagit indignationis, adversantium æstum, ferventiorem certè illum, quàm quo olim Judæi adversus Stephanum, insimulatum vehementer, quòd βλάσφημα ῥήματα,* blasphema verba adversùs sanctum illum locum & legem *prolocutus sit,* (Act. VI. 13.) *exarserunt. Non lapides, non ignes universos contundendæ blasphemiæ (hoc enim nomine solidæ, demonstrationes & justissimæ accusationes nostræ venire solent) sufficere clamabunt, qui Sanctitatis, Infallibilitatis, Catholicismi, totque adeò Ecclesiæ suæ πλεονεκτημάτων, sine suffragiis legitimis, sine fine & modo jactatorum typho inflati, ibi esse synagogam, sponsam, columbam Christi, matrem, & magistram Ecclesiarum omnium, veritatis columnam & stabilimentum, fidem Romanorum tantopere à S. Paulo celebratam, somniant, ubi nos Babylonem M. famosam illam abominationum matrem, jam diu fixisse nidum suum ostendimus. Cæterùm, si ex vero rem illi putabunt, fore confido, ut non tam mihi, tot argumentorum phalange id satagenti, ut à Babylonis M. peccatis & plagis immunes futuri, eadem properè, juxta cœlestis vocis districtum illud mandatum,* Exite ex ea, Popule mi, *saltem nonnulli excedant: adeóque saluti suæ invigilanti, quàm sibi, gravissimo in errore versantibus præjudiciorum fascino dementatis, & mundani imperii, cum quo pridem Ecclesiam illi commutârunt, flagrantissimo amore occæcatis irascantur. Dictorum verò meorum invidiam mitigabit, spero, quòd non tantùm in Opere ipso, in quo accurata Prophetiam inter, & eventum σύγκρισις instituitur, exactissimam Babylonem inter, & Hierarchiam Rom. harmoniam, veluti in speculo quodam, intueri dabitur, cùm credibile neutiquam sit, Spiritum S. sic vaticinantem non cogitâsse de iis, quibus verba vaticinii ubique πα-ναρμονίως conveniunt: verùm etiam non primus ego, non primus Lutherus, Calvi-*

nus,

nus, Bullingerus, reliquíque post Reformationem Theologi nostri, ἐν ταῖς γραφαῖς δυνατοὶ, potentes in Scripturis, quin & Reges, Principésque Maximi, Sapientissimíque, uti vel sola Sereniss. Angliæ Monarchæ Jacobi I. in vaticinium de Babylone M. paraphrasis edecumata, quam Lectorum fidis oculis infrà subjicimus: Sed ante omnes hos innumeri, locupletésque ex quavis ætate testes veritatis, Romam, inquam, non civitatem aliam, Prophetia illa de Babylone M. divinitùs proclamatam esse, assa voce pronuntiârunt. Hoc ergò in antecessum, novitatis calumniam discussuri, demonstrabimus, adductis testimoniis præcipuis, ut sicut ex opere ipso sententia veritatem æqui rerum arbitri agnoscent omnes: sic primo cœtu ejusdem antiquitas patescat. Utque calumnientur parciùs οἱ ἐξ ἐναντίας, Cardinalem Bellarminum ante omnia audire libeat. Is enim Controversiâ IV. 4.q.6. postquam præmiserat, Meretricem, quæ sedet super montes septem, esse (quorundam judicio) Diaboli civitatem, quæ in Scriptura sæpè Babylon vocatur, & opponitur civitati Dei, id est, Ecclesiæ, quæ dicitur Hierusalem, *subjicit*: Sed meo judicio meliùs per Meretricem intelligitur Roma, ut exponunt Tertullianus & Hieronymus. *Testes ergò ipse nobis suppeditat Tertullianum & Hieronymum: idque verissimè. Tertullianus enim* contra Judæos cap. 9. *sic scribit*: sic & Babylon apud Johannem nostrum, Romanæ urbis figura est, proinde & magnæ, & Regno superbæ, & Sanctorum debellatricis. *Totidem verbis adversus Marc. lib.* III. 14. *repetit. Hieronymus* ad Algas quæst. II. *paucis ita definit*: Secundùm Apocalypsin Johannis, in fronte purpuratæ Meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ. *Quibus Græcorum nonnullus Aretham inprimis* in Apoc. XVII. *poterat annumerare; quin & S. Augustinum ipsum, qui* de Civit. Dei lib. XVIII. 2. *disertè Romam* secundam Babyloniam *vocat*. Et cap. 22. *disertiùs*: Condita est, *inquit*, Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis. *Mox* cap. 27. *Romam* Babylonem Occidentalem *vocat. Sed & Ribera consentientes plures, puta Eusebium, Orosium, Oecumenium, Bedam, Victorinum, alios inducit. Sed illi regerunt, de Roma* Civili *statu, non* Ecclesiastico, *de* Romano Imperio, *non de* Romana Ecclesia *vaticinium interpretantur. Minimè equidem mirum hoc videtur. Illorum enim temporibus* Ecclesia *dissimillima* Imperio *fuit*. Imperium *impium*, Ecclesia *pia*: *nostris non item. Nam Ecclesiasticus status in Civilem commutatus est*: Ecclesia *devoravit* Imperium, *eo nunc Romanus Papatus consistit. Quando igitur Mysterium Babylonis ad Rom. Hierarchiam accommodamus: accommodamus perpetuò, ut Patres olim, ad Civilem statum; si non Ethnici illic constituti Imperii, at Christiani quidem ad Ethnicum degenerantis, adeòque Ethnici agnina specie induti. In illa Civitate conspicamur* purpuratam Meretricem, sedentem super aquas multas, ebriam sanguine Sanctorum, & sanguine Martyrum

 Christi,

Christi, habentem poculum aureum, plenum abominationibus & immunditiâ scortationis suæ. *Sanderus, maximus ille Papalis Monarchiæ Promachus*, de visib. Monarch. lib. viii. 8. *ex Tertulliano demonstrat*, ubi est Imperii superbia, ubi magnitudo Regiæ urbis, ubi Christianorum persecutio viget: ibi certè Babylonem esse, ibi Mulierem illam super populos, gentes, & linguas sedere, cum qua Reges terræ fornicantur, & de vino prostitutionis ejus ebrii sunt. *Hisce ergo nominibus Roma fuit Babylon* (*uti ipse explicat*) quandiu illi profani Cæsares rerum Civilium summam illic tenerent. Non autem postquam in Paparum manus deveniret. *Cæterùm Papatus, Imperiique status inter se conferantur, & Annales Cæsarum, qui ante Papas illic rerum potiti sunt, à Suetonio, Capitolino, Lampridio, Tacito, aliis consignati, & Paparum Cæsaribus succedentium juxta historiæ, à domesticis Scriptoribus Platina, Onuphrio, Guicciardino, aliis prodita seriem, perpendantur, comparenturque invicem. Nisi compertum fuerit, Papalem statum se Cæsarum Imperio, potestatis magnitudine, dominatûs superbiâ, Christianorúmque persecutione, adæquâsse: nulli recusamus certè, quin istud de nobis feratur Judicium; nos Babylonis nomen Romæ Papali tribuentes, à Patribus dissentire. Secus verò si res habeat; Sanderi suffragio, obtinemus illos, parium pari ratione habitâ, Romam Christianam hodiernam cum Ethnica veteri paria facientem, Babylonis stigmate æquè apertè inusturos fuisse, si hodiéque spirarent. Sed de Hieronymo quid dicent illi? Is enim* Præfat, in lib. Didymi de Spir. S. *Ecclesiam Rom. apertè* Babylonem, & Meretricem purpuratam *vocavit*. *Et Jerem.* I. Ollam à facie Aquilonis ardentem, *Ecclesiam, non urbem, nuncupavit: quia Babylonis Senatum, hoc est viros Ecclesiasticos, Senatum vocat Pharisæorum & imperitorum, quæ adversùs ipsam conjuraverat. Conjuraverunt autem Clerici, non Curia Capitolina Cæsaris. Et hanc ipsam factionem vocat Ollam ardentem. Ex Apocalypsis Prophetia alibi idem Hieronymus miserandum Ecclesiæ Rom. interitum imminere ait.* Lege, *inquit*, epist. 47. *ad Marcellinum*, Apocalypsin Johannis; & quid de muliere purpurata, & scripta in ejus fronte Blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, inquit Dominus, de illa populus meus: & ne participes sitis delictorum ejus: & de plagis ejus non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & salvate unusquisque animam suam: Cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Dæmonum, & custodia omnis spiritûs immundi. *Excipit quidem & separat ibidem Hieronymus sacra à profanis. Nihilominus in ipsis rebus Sacris & Ecclesiasticis jam tum* ibid. *videbat aliquid Babylonem redolens.* Est quidem; *sic* epist. 18. *loquitur*; sancta Ecclesia: sunt trophæa Apostolorum & Martyrum: est Christi vera confessio: est ab Apostolo prædicata fides: & Gentilitate calcata, in sublime se quotidie

erigens.

exigens vocabulum Christianum: sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo urbis: videri & videre: salutari & salutare:, laudare & detrahere, vel audire, vel proloqui & tantam frequentiam hominum saltem invitam videre, à proposito Monachorum, & quiete, aliena sunt. *Indicat, mores, inter Christianos quoque & religiosos seculares jam tum invaluisse. Neque negat, eidem Civitai, quantumvis tum Christi confessione & devotione satis celebri, ultimum exitum ex Apocalypsis prophetia imminere: & de illa audiendum esse ait:* Cecidit, cecidit Babylon magna: futurámque Dæmonum habitationem, indéque lapsu irreparabili casuram *vaticinatur. Quamvis imminentes hasce pœnas vitare eam posse asserit, si Ninevitarum instar ad pœnitentiam confugiat.* Maledictionem; *sic* lib. II. adversus Jovinian. *scribit;* quam tibi Salvator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Ninevitarum. *Utinam verò! si Roma adhuc haberet Imperatores; eósque Christianos, quales Hieronymi tempore erant Romani, excidii causam fortè Imperatorum & Secularium ejusmodi iniquitatibus tribueremus. His enim Hieronymus etiam excidii futuri causam tribuendam putavit. Cùm verò non ampliùs Imperatoribus vel Secularibus, sed Clero dominanti pareat, quis non videt è sacrario ipso malum erumpere, ipsúmque meretricium Romæ non in Imperiali, sed in Ecclesiastico regimine exercendum? Paulinus quoque ruinam Romanam in Apocalypsi prædictam, ex Curia Imperiali & Secularibus orituram putavit. Sic enim* epist. 51, *loquitur:* Poteras Roma, intentatas tibi in Apocalypsi minas, non timere, si alia semper ederent munera Senatores tui. *Qualia videl. Alethius Senator, vir sanctus in operibus suis piis & valde religiosis edebat. Interim ipse quoque Paulinus epist.* 10. *filiam Babylonis vocat Romam: & eam filiæ Sion postponit, quamvis in aliqua parte, hoc est fidelium & bonorum, Romam quisque facit Filiam Sionis. Noverat tamen ex Prophetia illa, tandem totam in Babylonem convertendam, & populum Dei, si quis in ea superesit, à Deo auditurum:* Exite, exite, de illa, *minásque adeò Apocalypseos persensuram. Gregorius M. Romanorum Pontificum præstantissimus,* Epist. lib. IV. cap. 82. *Scribens ad Johannem Jejunatorem, Patriarcham Constantinopolitanum, pro Oecumenico & Universali Episcopo se venditantem, eundem comparat cum Lucifero, Babylonis spiritualis Rege, qui Jes.* XIV. 13. *dixit in corde suo:* Ego in cœlum ascendam, supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte congregationis, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Quid enim, *sic arguit ille*, fratres tui omnes, universalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt: Quorum vita simul inter peccata erroré sque hominum, quasi inter noctis tenebras latent.

Quibus dum cupis temet ipsum vocabulo elationis præponere, quid aliud dicis, nisi; In cœlum conscendam? Dum vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur, Ascendam super altitudinem nubium. Quæ cuncta ergò, cùm flens respicio, &c. *Si Gregorio Lucifer, Babylonis Rex, fuit Johannes ille Constantinopolitanus Patriarcha, eò quòd ob Imperialis Sedis eminentiam & prærogativam, ipse quoque supra cæteros Episcopos, ipsúmque Romanum etiam, eminentiam affectavit: annon idem potiori ratione Bonifacium III. Romanum Pontificem, omnésque vestigiis ejus inhærentes, quin & superba* ἐπάρσει, elatione, *sua quotidie in pejus proficientes, Universalis & Oecumenici Episcopi axioma, nulla licèt Politica loci prærogativa favente ampliùs palam usurpantes & reliquos Patriarchas & Episcopos, haud aliter quàm vasallos & clitellaria mancipia sua despicientes, quin & subinde pedibus calcantes, Luciferi, Babylonii illius Regis nomen & omen impléſſe, pridem censuiſſet, si vivens adhuc, spiránsque oculis suis talia usurpâſſet, auribúsque percepiſſet? Censeret sanè hodiéque, si* δικαίαν κρίσιν κρίνεσθαι, justum judicium judicare, *cura cordíque ei adhuc esset. Vatem certè geſsit, cùm* parte v. Reg. Epist. 38. *ad eundem Constantinopolitanum Præsidem talia verba fecit:* Secundum quod veritas prædixit, pestilentia & gladius per mundum sævit: gentes in gentes insurgunt, terræ concutitur orbis cum habitatoribus suis: terræ dehiscentes solvuntur: omnia, quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ propè est, & (quod dici nefas est) Sacerdotum ei præparatur exercitus: quia cervici militant elationis, qui positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis. *Sic planè S. Patres melioris, castiorísque ævi adhuc judicârunt, divinârúmque. Postquàm in Babylonem jam Sion Dei degeneravit, & urbs fidelis, Meretrix facta est, non defuerunt plorabundi corruptionis incessentis, grassantísque testes, quorum pars sanctam* παῤῥησίαν *suam impunè tulit: pars ferro, flammáque eandem fortiter, patientérque expiavit. Episcopi Belgici A. DCCCLX. cum Nicolao I. contentionis serram reciprocantes, Epistolam ad eundem acrem, ab Aventino* Annal. Bojor. lib. iv. *recitatam scripserunt. Inter alia,* Spiritus, *inquiunt,* Sanctus, author est omnium Ecclesiarum, quo longissimè & latissimè terrarum orbis porrigitur. Civitas Dei nostri, cujus municipes sumus ad universos cœli cardines pertinet: major est urbe, quæ Babylonia à sacris Vatibus appellatur, ut quæ Divinitatem usurpet, cœlo se æquet, se æternam fore jactitet, perinde ac si esset Deus, immortalísque sapientia: nec unquam errâsse, erraréque posse mendaciter glorietur. *Nihil disertiùs dici poterat. Et paucis Episcopi cuncta, quæ in Opere nostro productiora edisserimus, complectuntur. Quàm exulcerata Ecclesiæ facies Decimo & Undecimo Seculo fuerit, è sinu Hierarchicorum testes magni, Baronius, Genebrardus, Platina, Sabellicus, Wernerus, alii nulli dissi-*

dissimulârant, *ea monumentis suis de Rom. Ecclesia consignantes*, *quæ interiora Babylonis manifestè produnt. Wernerus certè in Temporum fasciculo cum novo Seculo Undecimo novum hominum genus exortum, his verbis repræsentat*: Tempus effœminatum incepit circa annum Domini millesimum, in quo fides Christiana valde cœpit deficere & declinare à pristina virilitate, uti patet in Prophetia Sanctæ Hildegardis, & in multis regionibus Christianitatis nec Sacramenta, nec Ecclesiastici ritus servabantur. Erántque auguriis & maleficiis intendentes: & erat sacerdos sicut populus. Circa ea tempora in Ecclesia Catholica Salvatoris nostri Collegium Apostolicum sub purpurea, cruentáque veste (*Babylonis insigni*) imitari gloriatos esse *Cardinales*, *Isidorus Mosennius* de Majest. milit. Eccles. lib. i. p. 1. cap. 5. *scribit. Et Sacro-Sanctam militantem Ecclesiam tanquam purpureo totam decoratam esse amictu*, *Leo Papa constit.* 8. *jactavit*: *purpuratam illam meretricem Coccineæ insidentem Bestiæ in memoriam nobis revocans. Circa eadem tempora Petrus Waldo*, *Lugdunensis civis*, *cœtu instituto segrege*, *cui Waldensium & Leonistarum inter alia nomen fuit*, Rom. Ecclesiam esse Meretricem Babylonicam, *veluti καινήν quandam δόξαν defendit*, *uti ex antiquo libro MSC. Magdeburgenses Historici* Centur. xii. cap. 8. *eruerunt. Neque aliter σύγχρονος Bernhardus Morlanensis*, *ex Cluniacensium Ordine Monachus*, *qui uti in* Honor. Dial. ad calcem 2. Tomi Auctarii Bibliothecæ Patrum, edit. Paris. A. 1620. *legere est*, *hoc Romam carmine jam tum perstringere ausus est.*

Aurea tempora castáque pectora præterierant;
Tempora pessima, scilicet ultima jam subierunt.
Stant modò stantia lucra, superbia, pax sine pace,
Fraus, Venus, Otia, furtáque conscia noctis opacæ,
Schismata, prælia, vis, homicidia, traditiones,
Ira, protervia, livor, inertia, seditiones.
Stat simulatio, corruit actio religionis:
Heu! sua propria deputat omnia REX BABYLONIS.

Eodem modo Honorius Augustodunensis Ecclesiæ Presbyter, *Trithemii elogio*, Vir in Scripturis Sanctis studiosissimus & valdè eruditus, *qui A.* MCXX. *claruit*, *in Dialogo de Prædestinatione & Libero Arbitrio*, *sui temporis Babyloniam depingit. Intuere inquit*, Principes & Judices: ecce posita in eis est Bestiæ sedes. Omni tempore ad malum sunt intenti, semper negotiis iniquitatis inexplebiliter occupati: flagitia non solùm faciunt, sed & alios facere instruunt. Sancta vendunt, scelera emunt: totis viribus laborant, ne soli ad tartara veniant. Verte te ad

Clerum,

Clerum, & videbis in eis Bestiæ tentorium: Dei servitium negligunt, terrenis lucris inserviunt, Sacerdotium per immunditiam polluunt, populum per simulationem seducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes Scripturas ad salutem pertinentes abdicant, omnibus modis se laqueos & ruinam populo substernunt, quem cæcum ipsi cæci ad interitum præeunt. Contemplare & Monachorum Conciliabula & videbis in eis Bestiæ tabernacula. Perfictam professionem Deum irridentes, iram ejus provocant, normam regularem moribus & vitâ calcant, per habitum secundum fallunt, multos deceptos ipsi decepti decipiunt. Secularibus negotiis impliciti sunt, in Dei servitio desides existunt. Plerique illorum gulæ & illecebris dediti sunt, quidam in immunditiæ sordibus computrescunt. Aspice etiam habitacula Monialium, & cernes in eis Bestiæ præparatum Thalamum. Hæ à tenera ætate impudicitiam discunt, complices sibi plurimos ad cumulum suæ dominationis asciscunt: velo se operire festinant, quò magis fræna luxuriæ laxare queant, omnibus fornicariis pejus prosternuntur, & ut insatiabilis charybdis, nunquam stercore immunditiæ replebuntur. Hæ animas juvenum illaqueant: & hæc vult palmam victoriæ, quæ aliis prævalet in scelere. Verte te ad plebem reliquam, & invenies in ea Bestiæ effigiem. Sacerdotes despiciunt, de Deo quicquam audire contemnunt, totum tempus vitæ in vanitate & jactantia ducunt, & ad omne opus bonum reprobi sunt. Vulgus quoque indoctum Bestiæ habet idolum, Deum verum non nôrunt, Deo ventri totâ intentione deserviunt, per varia carnis desideria diffluunt, & per omnia vitam Bestialem ducunt. *Ibidem sic Romam Papalem perstringit:* Verte te ad cives Babyloniæ, & vide, quales sint, & per quas plateas tendant. Vide, veni huc ad supercilium montis, ut cuncta possis ædificia cernere DAMNATÆ CIVITATIS. Intuere Principes & Judices (Papam & Cardinales) ecce, posita est in eis Bestiæ sedes. *Extat in Tomo Conciliorum Coloniæ editorum, Epistola Leodiensis Ecclesiæ contra Paschalem II. qui eam Ecclesiam & Provinciam Roberto Comiti Flandriæ, igni ferroque vastandam objecerat. In ea epistola Romam rotundo ore* Babylonem *Clerus ille appellat, asseritque,* Romam à S. Petro sic Prophetico Spiritu vocatam esse, eò quòd Romanis turbinibus & procellis Ecclesia esset perturbanda. *Atque eodem tempore plerique alii cùm privatim, tum publicè pro concione Gregorio maledixerunt, vociferantes palàm,* cum odio & libidine dominandi præcipitem agi, atque Antichristum esse. Pietatis sub specie, *sic Aventino Annal. Bojor. lib.* v. *referente, loquebantur,* debacchatur honestis nominibus, bonum publicum simulat, titulo Christi negotium Antichristi cogitat, in Babylonia, Templo Dei sedet, super omne id, quod colitur, extollitur, quasi Deus sit; se errare non posse gloriatur. *Quid Petrum Blesensem, Archidiaconum Bathonensem,*

Virum,

Virum, *sic à Trithemio celebratur*, in Divinis Scripturis studiosum & eruditum, ingenio acutum & vehementem, qui vitia Principum & Prælatorum non palpare, sed arguere noverat, propter eruditionem, & vitæ honestatem apud Reges, Principes, & Episcopos in pretio habitum, *memorem? Ille Epistolâ ad Episcopi Officialem scriptâ, hortatur, ut quàm primùm Babylone illâ exeat.* Quia, *inquit*, te affectuosissimè diligo in visceribus Jesu Christi, proposui, te salutaribus monitionibus adhortari, ut de Ure Chaldæorum, & de medio Babylonis, tempestivè exeas, ut ministerium damnatissimæ villicationis omittas. *Clerum subinde* Syriam, vitulos Bethel, pingues Samariæ, Sacerdotes Baal, judices leges iniquas condentes, *appellat.* Cantantur, *inquit*, eorum turpitudines in tentoriis Gath, & in compitis Ascalonis, sic factus est Princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilentiæ Sedentibus. *Sequente Seculo Decimo-tertio fortissimi Imperatoris Friderici II. à Gregorio IX. Pontifice exagitati præter meritum, nomine Eberhardus Salisburgensis Archiepiscopus, orationem Reginoburgi habuit, in qua* captum *Gregorium ajebat* Imperii consuetudine, ut solus regnet, cuncta eum perturbare, & commiscere, cuncta tumultu complere, ut sursum deorsum omnia ferantur. Jam pridem eos qui Babyloniæ, hoc est, Romæ Templo Dei incubant, Divinitatem affectare, & strenuè id dissimulare. *Addit paulò post:* Paulus armarium Philosophiæ Divinæ præcipit, subjecti invicem in timore Christi estote. Hoc interesse inter Christianorum, & profanorum Principes, cœlestis Doctor & Præceptor noster, summúsque atque immortalis Pontifex docuit, quòd hi dominantur subditis, illi serviunt. Formam servi suprema Majestas suscepit, ut discipulis suis serviret, eorúmque pedes lavaret. Flamines illi Babyloniæ soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt; non desistent, donec omnia pedibus suis conculcaverint, atque in Templo Dei sedeant, extollantúrque supra omne id, quod colitur. Fames opum, sitis bonorum inexplebilis est. *Hæc apud Aventinum Annal. Bojor. lib. VI. recitata summam eorum, quæ toto Opere nostro demonstranda suscepimus, continent.*

Atque eo quidem tempore adeò pervulgata multorum in Germania, Italia, Francia, Anglia, opinio fuit, Romam Babylonem & Magnam illam Meretricem esse, ut impostores quidam Apocalypsin abolere conati sint; maximè Cyrillus Carmelita Græcus, qui tam Mosis, quàm Johannis exemplo, novam Apocalypsin è cœlis circa An. Christi M C XCII. *Dei ipsius digito in argenteis tabulis Græcè scriptam super futuro Ecclesiæ statu se accepisse gloriatus est. Floruit iisdem temporibus Joachimus Abbas Florensis Cœnobii, Ordinis S. Benedicti, ex Calabria oriundus,* Vir: *sic idem, qui suprà, Trithemius eum laudat,* in Divinis Scripturis studiosus & exercitatus, qui, ut Propheta, suo tempore, habitus, etiam futura prædicere conatus est; sed mihi

(*sic Tritbemius optimè judicat*) videtur, illum ex conjecturis Scripturarum magis locutum esse, quàm prophetâsse; *hic, inquam, Ioachimus, cùm alibi, commentario inprimis super Jeremiam, Rom. Ecclesiæ corruptionem & interitum prænuntiavit; tum imprimis Rogerio Hovedeno referente, & ex eodem Foxo, Anglo in Commentariis rerum in Ecclesia gestarum repetente, in Colloquio cum Richardo, Rege, explicans mysterium septem Regum in Apocalypsi, quorum quinque ceciderunt, &c.* Reges septem, *inquit*, sunt septem persecutores, Herodes, Nero, Constantius, Mahumet, Melsemutus, Saledinus, & Antichristus. De Antichristo, subjiciebat, eum in urbe Romana jam prognatum esse, & in Apostolica sede sublimatum, atque sic impletum iri verba Apostoli: Extollitur & adversatur super omne, quod dicitur Deus. *Quid verò de S. Brigitta, fatidica fœmina, à Gregorio* IX. *in Sanctarum numerum relata, dicam? Illa enim vidua sanctissima, sic iterum Tritbemius,* Divinò colloquio assueta, & intimæ charitatis perfectione Deo unita, Spiritu quoque Prophetico & miraculis celeberrima, *peculiari de Prophetiis & Revelationibus Opere scripto, lib.* I. *cap.* 41. *Rom. Episcopum Lucifero, in persona Christi comparat.* Nunc ergo, *inquit*, conqueror super te, Caput Ecclesiæ meæ: qui sedes in sede mea, quam Petro & Successoribus ejus tradidi, ad sedendum in ea triplici authoritate & dignitate: primò, ut potestatem haberent ligandi animas & solvendi à peccato: 2. ut aperirent cœlum pœnitentibus: 3. ut clauderent cœlum maledictis & condemnatis. Sed tu, qui deberes solvere animas, & ad me præsentare, verè es animarum interfector. Ego enim institui Petrum Pastorem ovium mearum: tu autem es Dispersor & Lacerator earum. Tu autem pejor es Lucifero. Is enim ad me habebat invidiam; & nullum concupivit occidere, nisi me, ut pro me dominaretur: tu autem tantò deterior es, quòd non solùm occidis me, removendo me à te per mala opera tua: sed & animas occidis per malum exemplum tuum. *Deinceps eundem contendit cum Pilato, Juda & Judæis, verbis adeò prægnantibus, adeò Papæ infestis, ut evitandæ gravioris invidiæ causa, in repetendis supersedere cogar. Unum tamen addo, prædixisse eandem;* Sedem Papæ demergendam esse, ut lapidem ponderosum, & assessores ejus arsuros igni inextinguibili. *Episcopos inde, cæterosque Sacerdotes reprehendit; quòd eorum culpâ doctrina Christi neglecta & fermè abolita sit, Divina sapientia à Clericis in pravam & vanam conversa: addens, leprosos illos esse & mutos, omniàque Dei præcepta commutâsse in unicum,* Da pecuniam. *Denique vidisse se, ait,* Virginem dicentem ad Filium, Romam esse feracem agrum. Respondisse verò Christum, est, sed Zizaniæ. *Quò magis ad Reformationem approximatum est, hòc plures, clarioresque hujus veritatis prodière testes:* A. MCCCXLV. *Hayabulus, Minorita, Henrico de Erphor-*

dia

dia in Opere Historiarum de factis memorabilibus *narrante, publicis contentionibus affirmavit identidem; se Divinitus jussum palam pronuntiare, quòd Rom. Ecclesia sit Babylonica Meretrix, Papa & Cardinales Antichristi. Atque idipsum non coram vulgi duntaxat face, sed Avenione etiam coram ipso Pontifice Clemente constanter & intrepide cùm declamâsset, dirum ab eodem in modum vexatum esse, Author idem commemorat. Volquini cujusdam homilia super Evangelium* de interseminata Zizania, *ante Lutheri tempora vulgata, & A.* M D L V. *Basilea impressa extat. Ibi Author inter alia:* Proh! dolor & Proh! dolor, hodie Meretrix antiqua, quæ habet poculum aureum in manu sua plenum abominatione, fornicatione & immunditiâ, quâ mirabiliter inebriat Sacerdotes & Clericos! De qua in Apocalypsi: Vidi mulierem ebriam de sanguine virorum, & de sanguine Martyrum Christi, Mulierem mollem dicit, emollientem luxuriam carnis, ebriam de sanguine suorum scortorum sive scortatorum. Hæc est illa sanguisuga, quæ sugit sanguinem Ministrorum, & Martyrum Dei, qui Martyres Christi esse debuerant, & fiunt Martyres Diaboli, in honorem ejus & obsequium, carnem & sanguinem consumentes. Cùm vidissem, inquit, homines, miratus sum. Quis non miretur, & horreat, & obstupescat Sacerdotem Domini, ministrum Dei, calice epoto sitibundum, & potare fæces de calice Babylonis? *Dantes Aligerus, Florentinus,* Vir, *sic iterum Trithemius*, tam in Divinis Scripturis, quàm in secularibus literis omnium suo tempore studiosissimus, & valde eruditus Philosophus & Poëta nulli sua ætate inferior, ingenio subtilis, & clarus eloquio, disputator omnium acutissimus, *Ludovici Bavari Imperatoris partibus addictus, Papam Meretricem Babylonicam esse, non obscurè* Concione 32. Purgat. *prodidit. Ibi enim Papæ ministris, id est, Episcopis tribuis bicornia capita, quatuor verò quibusdam, quibusdam unum cornu: ipsi verò Meretrici instar cujusdam arcis. Qui eidem Ludovico Imperatori à secretis fuit, Udalricus de Augusta, in Regiis literis summum Pontificem vocavit,* Bestiam ortam è mari. *Refert ita in Paralipomenis suis Urspergensis Abbas. Ex prælectionibus Joh. Wiclefi in Apocalypsin, nonnulla collegit Johannes Purvaus, Anglus, quæ A.* M D X X V I I I. *ex Livonicis & Polonicis finibus submissa, luci publicæ data sunt. Ibi Purvaus Rom. Ecclesiam apertissimis verbis Meretricem Babylonicam, & Papam Antichristum esse, probat eo argumento,* quòd neglecto Dei verbo, suas traditiunculas & nugas doceat, Evangelium insuper, piósque Doctores opprimat: quæstûs gratiâ Indulgentias excogitaverit, potentiam, & splendorem Regni sub falso Donationis Constantini M. nomine ad se pertraxerit, ex mandatis Christi Consilia fecerit, aliisque se flagitiis contaminaverit. *Plura ἐμφατικώτερα ibidem addit. Jungam huic Michaëlem Cæsennatem, Minoritarum Generalem, qui à partibus stans Ludovici Bavari, Rom. Ecclesiæ Babyloni-*

bylonicum meretricium masculè objecit; qui vivus cùm cremari nequiret, mortuus in ossibus suis combustus est. Idem coætaneus Cæsennatis Johannes de Rupe scissa asserere piaculum non duxit. De Petro Johanne Pyranensi, qui A. MCCCXXV. *floruit, testes habemus Volaterranum, & Bernhardum Luzelburgensem, quòd Rom. Ecclesiam Babylonitam Meretricem haud semel insignivetit. Cúmque idipsum circa eadem tempora Gerhardus Sagareli Parmensis, & Dulanus Novarensis sustinuissent, gravissimas persecutiones illos subivisse Historici perhibent. De Francisco Petrarcha, Hetrusco, quid dicam? Is laudante Trithemio,* Vir erat in Divinis Scripturis eruditus, & in secularibus literis omnium sui temporis longè doctissimus, Philosophus, Rhetor, & Poëta celeberrimus, qui litteras humanitatis post longa silentia mortuas, ab inferis revocavit ad superos, non minùs sanctâ conversatione, quàm scientiâ clarus emicuit: Amore namque Christi & Philosophiæ Salutaris vitam solitariam aggressus est, in qua usque ad mortem meditando, orando, & scribendo perseverans, toto mundo ejus fama ferebatur. Is ergò Vir talis & tantus, in Italicis suis Rhythmis de Roma sic inter alia:

Scola d'errori, templo di eresia.
Gia Roma, or Babylonia falsa é rea.

Hoc est, Schola errorum: Templum hæreseon, quondam Roma, nunc Babylon falsa & mala. *In eodem Poëmate haud semel eam vocat* Babylonem, Matrem errorum & nidum proditionum. *In Epistolis verò suis passim sententiam loquitur. Epistola quarta earum, quæ sine titulo sunt, sic ad quendam amicum scribit:* Nunc me Gallicus Orbis habet, & Occidentalis Babylon (*Avinione Papa illic tunc erat*) quâ nihil informius sol videt, & ferox Rhodanus æstuanti cocyto vel tartareo simillimus Acheronti; ubi piscatorum inops quondam regnat hæreditas, mirum in modum oblita principii. Stupor est, memorare illos, hos cernere auro onustos & purpurâ, superbos Principum ac gentium spoliis: videre pro inversis ratibus luxuriosa palatia, & mœnibus clausos montes: pro retibus parvis, quibus olim in æstu Galilæo victus vix exiguus quærebatur, quibus in stagno Genezareth tota nocte laborantes, nihil ceperant, manè autem facto, capta est in nomine Jesu multitudo piscium, audire nunc mendaces linguas: spectare membranas vero vacuas, & pendenti plumbulo versas in retia, quibus in nomine eodem, sed in operibus Belial, credula Christianorum turba concluditur, ut mox squamis exuta, curarum flammis & desolatoriis carbonibus, exuratur, avari ventris expletura voraginem: cernere pro sancta solitudine frequentiam sceleratam, & circumfusas acies satellitum pessimorum: pro sobriis voluptuosa convivia, pro peregri-

peregrinationibus piis otium inhumanum & obscœnum: pro nudis pedibus Apostolorum niveos furum volitare cornipedes auro instratos, auro tectos, aurum mandentes, auro denique propediem, nisi Dominus servilem luxum coërceat, calceandos. Quid multa? Persarum aut Parthorum Reges dicas, quos adorari oporteat, quos salutari sine munere nefas sit. &c. *Idem in Epist. 12. de Curia Papæ:* Nulla ibi pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reverentia, &c. omnia ibi virtute, veróque sunt vacua, plena criminibus, plena fallaciis, plena pessimis artibus; fictè & inaniter omnia fiunt non tantùm hominibus, sed Deo, &c. Inde nemo unquam exemplo mèlior factus, pessimi autem innumerabiles rediêre. *Epist. 15. tota calamitatem urbis Romæ deplorans, inter alia:* Vides populum, *inquit*, non modò Christi adversarium, sed quod est gravius, sub Christi vexillo rebellantem Christo, militantem Sathanæ, & Christi sanguine tumidum atque lascivientem: populum, cui non modò propriè convenire dixeris Evangelicum illud, atque Propheticum; Populus hic me labiis honorat; cor autem eorum longè est à me: sed illud etiam Judæ Iscariotis, qui Dominum suum prodens & exosculans ajebat, Ave Rabbi: & Judæorum, qui indutum purpurâ, coronatum spinis, percutientes & conspuentes illusione amarissimâ, flexis poplitibus adorabant & salutabant: Ave Rex Judæorum. Quid enim? Quid, oro, aliud assiduè geritur hos inter Christi hostes, & nostri temporis Pharisæos? Nonne etenim Christum ipsum, cujus nomen die ac nocte altissimis laudibus attollunt; quem purpurâ atque auro vestiunt, quem gemmis onerant, quem salutant & adorant cernui, eundem in terra emunt, vendunt, nundinantur, eundem quasi velatis oculis non visurum, & impiarum opum vepribus coronant, & impurissimi oris sputis inquinant, & vipereis sibilis insectantur, & venenatorum actuum cuspide feriunt, & quantum in eis est, illusum, nudum, inopem, flagellatum iterum atque iterum in Calvariam trahunt, ac nefariis assensibus cruci turfis affigunt. En ô pudor, ô dolor, ô indignitas, talium hodie Roma est. *Epistolam verò 16. qui legerit, dubitare amplius non poterit, quin Petrarcha Papam statuerit ipsissimam Babylonem, & Antichristum. Aliqua ex ea huc referam.* Futuræ ibi (*in aula Papæ*) vitæ spes inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur, fabulosa omnia habentur. Veritas ibi dementia est, abstinentia verò rusticitas, pudicitia probrum ingens; denique peccandi licentia magnanimitas & libertas eximia: quò pollutior, eò clarior vita: quò plus scelerum, eò plus gloriæ: bonum nomen cœno vilius, atque ultima mercium fama est. *Et infra:* Famosa dicam, an infamis Meretrix fornicata cum Regibus terræ, illa equidem ipsa es, quam in Spiritu sacer vidit Evangelista. Illa eadem, inquam, es, non alia, sedens super aquas multas, sive ad

littora

littora tribus cincta fluminibus sive rerum atque divitiarum turbâ mortalium, quibus lasciviens ac secura insidens, opum immemor æternarum: sive ut idem, qui vidit, exposuit, populi, & gentes, & linguæ, aquæ sunt, super quas Meretrix sedes. Recognosce habitum. Mulier circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus. Noscisne Babylon? Nisi illud forsan errorem facit, quòd in illius fronte scriptum erat, Babylon Magna: Tu verò Babylon parva es; parva utique murorum ambitu, sed vitiis & ambitu animorum, & infinitâ cupidine, cumulóque malorum omnium non magna modò, sed maxima, & immensa es. Et certè, quod sequitur, tibi uni convenit, non alii: Babylon mater fornicationum & abominationum terræ, mater impia patrum pessimorum; quando quicquid usquam terrarum abominabile, quicquid fornicationum ex te prodit: & cùm semper parias; semper tumens, ac talium plenus & gravidus tuus uterus est. Si nunc quoque dissimulas, audi reliqua. Et vidi (*inquit*) mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu. Quid siles? Aut aliam hoc sanguine ebriam ostende: aut omninò, si potes, te hanc ebriam nega. Vera enim Evangelistæ & Apostoli visio sit oportet: qui si te in Spiritu videns miratus est admiratione magna, quantâ nos admiratione perfundimur, qui apertè oculis te videmus? Ex omnibus quidem fornicationibus tuis, de quibus biberunt omnes gentes & Reges, & ex omnibus abominationibus quid expectes, nisi quod Johannes idem ait: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Dæmoniorum? Verè jam talis facta es. Quantò enim homo perditus & desperatæ nequitiæ Dæmone melior? Verè habitatio, imò regnum Dæmonum facta es, qui suis artibus, humanâ licèt effigie, in te regnant. *Idem Epist. seq.* Illos tenebrarum Principes cum suis opibus Deus vivos ac mortuos malè perdat, qui cœlestis Agni sanguine saginati calcitrant & rebellant. Cur Babylone (apud Papam) vivere eligam? ut videam bonos mergi? malos erigi? reptare aquilas, asinos volare: vulpes in curribus; corvos in turribus: columbas in sterquilinio? liberos lupos: agnos in vinculis: Christum denique exulem: ANTICHRISTUM Dominum; Beelzebub judicem? Hæc ad spectacula revocor, non audiam: malè mihi cum illis, malè illis mecum convenit. O crudelis & impia secta hominum, nil nisi se ipsos amantium, idque ipsum perversè prorsus ac nefariè! Quis revelabit oppressum orbem? Quis vindicabit afflictam urbem? Quis eversos mores reformabit? quis colliget sparsas oves? quis pastores errones arguet? quis reducet & retrahet in sedem suam? nullúsne licentiæ ac scelerum modus erit? &c. *Sed infinitum sit Petrarchæ doctissimi libera candidáque de*

Romana

Romana Babylone judicia referre. Qui plura valet, cùm alia, tum istum Epistolarum sine titulo librum, ipsius operibus insertum evolvat. Qui Basiliensis Concilii tempore vixit, Gregorius Heimburgensis, JCTus & Orator celebris, Sigismundi Archiducis Austriæ magnus hyperaspistes, scripto de Primatu Papæ libello, non semel Papæ, ejúsque Synagogæ Babylonis & Babylonicæ *Meretricis stigma inussit. Ipse Rex Christianissimus Ludovicus* XII. *Julio II. Romano Præsuli moribundo, cuso Neapoli aureo nummo cum hac inscriptione,* PERDAM BABYLONIS NOMEN, *postquam Mediolani Concilium de emendando statu Ecclesiæ celebrâsset, animum suum luculenter declaravit. His omnibus addam Johannem Staphilaeum, Dalmatam, Episcopum Sebenicensem, & Auditorem Rotæ, qui Oratione ad Auditores reliquos Rotæ, post direptionem Romæ die* 15. *Maij,* A. M D XXVIII. *habitâ, causas scrutatus infortunii præsentis, Romam ipsissimam Babylonem esse, maxima cum* [illegible] *asseveravit: Oratio edita prostat cum testimoniis Prælici Ferrariensis, quibus Cæsaream Majestatem Papali superiorem esse demonstravit. Inter alia sic ille oravit.* Sed unde hæc quæso? Quásve ob causas tot & gravissima incommoda evenêre? Nempe quia omnis caro corruperat viam suam. Eramus omnes cives & habitatores non Romæ, urbis Sanctæ, sed Babylonis, urbis peccatricis. De qua impletum est temporibus nostris verbum Domini in Esaia: Quomodo facta est Meretrix civitas fidelis, plena judicio & sanctitate? Justitia priùs habitabat in ea nunc sacrilegi & homicidæ: priùs gens sancta, populus acquisitionis, nunc populus Gomorrhæ, semen nequam, filii scelerati, sacerdotes infideles, socii furum, diligentes munera, sequentes retributiones. *Post, allegatâ & recitatâ Apocalypseos de Babylone prophetiâ, singulas ejus partes Romæ suæ applicat, subjicitque.* Quòd si quispiam pertinaciùs defendere velit, Apostolum loqui specificè de Babylone, huic ego respondeo, quòd potiùs, quàm Apostolus Petrus in prima Epistola sub nomine Babylonis figuraliter Romam significat, dum inquit: Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta. *Quæ observatio ingenua profectò simul & ingeniosa est. Addam denique Jesuitarum primipilos, Franciscum Riberam, & Emmanuelem Viegam. Ille enim* in cap. XVII. Joh. *sic scribit:* De Roma intelligendum vaticinium, non solùm qualis sub Ethnicis Imperatoribus olim fuit, sed etiam qualis in fine seculi futura est. Hic similiter: Omnia, quæ in his capp. commemorantur, in Romanam urbem apertissimè quadrant. Cæterùm, nomen Babylonis ad eam Romam transferendum, quæ antequam reciperet fidem Christi, idolis serviebat, & ad eam etiam, quæ erit tempore Antichristi. *Consentientes his Jesuitas, Leonhardum Lessium, & Cornelium à Lapide, alibi produximus. Hæc illa testium Reformatione Ecclesiæ longè antiquiorum, quibus suffragia plura addi possent, Nubes assertionis nostræ invidiam molliet non parùm, efficiétque adeò, ne*

tam

tam mihi, non solùm rei ipsius evidentia & prophetia ac complementi partium omnium harmonia exactissima, sed etiam tot testimoniorum S. Patrum, Regum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Theologorum, Religiosorum ICtorum, Philosophorum, Rhetorum, qui jam olim clarissima lumina, in mediis etiam Papatûs tenebris radiârunt, munimento insistenti, atque insuper tot Regum, Principum, Rerumpubl. Ecclesiarum Protestantium pientissimarum, florentissimarúmque communis sententiæ, Confessionibus etiam nonnullis κατηγορικῶς *expresse, Interpretem agenti, eorum explicatam animi de Hierarchicis notionem repræsentanti, atque invictæ argumentorum apodixi suffulcienti, quàm sibi tot Divinorum, humanorúmque testimoniorum & argumentorum ingenti mole obrutis, clarissimóque soli oculos clausos, ne dicam gladios, ignésque obvertentibus succenseant, & cùm nonnulli saltem illorum priùs, quàm Divinorum judiciorum torrens inundaverit, Divinâ gratiâ,* σρψιαφδίῳ *aspirante, Babylone, exeant, tum in universum omnes eandem horreant, & qui piè vivere volunt, penitùs abhorreant. Quæ votorum, Laborúmque meorum Summa est.*



VATICINII

VATICINII
SANCTI JOHANNIS THEOLOGI
DE
BABYLONE MAGNA
TEXTUS.
APOCALYPSEOS

CAPUT XVII.

1. Καὶ ἦλθεν εἷς ἐκ τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων τῶν ἐχόντων τὰς ἑπτὰ φιάλας, καὶ ἐλάλησε μετ' ἐμοῦ, λέγων· μοι· Δεῦρο, δείξω σοι τὸ κρίμα τῆς πόρνης τῆς μεγάλης, τῆς καθημένης ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν.

2. Μεθ' ἧς ἐπόρνευσαν οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ ἐμεθύσθησαν ἐκ τοῦ οἴνου τῆς πορνείας αὐτῆς οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν.

3. Καὶ ἀπήνεγκέ με εἰς ἔρημον ἐν πνεύματι· καὶ εἶδον γυναῖκα καθημένην ἐπὶ θηρίον κόκκινον, γέμον ὀνομάτων βλασφημίας, ἔχων κεφαλὰς ἑπτὰ καὶ κέρατα δέκα.

4. Καὶ ἡ γυνὴ, περιβεβλημένη πορφύρᾳ καὶ κοκκίνῳ, καὶ κεχρυσωμένη χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ, καὶ μαργαρίταις, ἔχουσα χρυσοῦν ποτήριον ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς, γέμον βδελυγμάτων καὶ ἀκαθάρτητος πορνείας αὐτῆς.

5. Καὶ ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῆς ὄνομα γεγραμμένον· Μυστήριον: Βαβυλὼν ἡ μεγά-

1. *Et venit unus de septem Angelis habentibus septem phialas, & locutus est mecum, dicens mihi: Veni, demonstrabo tibi judicium Meretricis magnæ, quæ sedet super aquis multis.*

2. *Cum qua scortati sunt* Reges *terræ & inebriati sunt vino scortationis ejus habitantes terram.*

3. *Et abduxit me in desertum in spiritu: & vidi mulierem sedentem super Bestia coccinea, plena nominibus blasphemiæ; habente capita septem & cornua decem.*

4. *Et mulier illa, illa amicta purpurâ & coccino, & inaurata auro & lapide precioso & margaritis, habens aureum poculum in manu sua, plenum abominationibus & impuritate scortationis suæ.*

5. *Et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium: Babylon illa magna, ma-*

μεγάλη, ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς.

ter scortorum & abominationum terra.

6. Καὶ εἶδον τὴν γυναῖκα μεθύουσαν ἐκ τοῦ αἵματος τῶν ἁγίων, καὶ ἐκ τοῦ αἵματος τῶν μαρτύρων Ἰησοῦ· καὶ ἐθαύμασα, ἰδὼν αὐτὴν, θαῦμα μέγα.

6. *Et vidi Mulierem illam ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine testium Jesu, & miratus sum, videns eam, admiratione magna.*

7. Καὶ εἶπέ μοι ὁ ἄγγελος· Διὰ τί ἐθαύμασας; ἐγώ σοι ἐρῶ τὸ Μυστήριον τῆς γυναικὸς καὶ τοῦ θηρίου τοῦ βαστάζοντος αὐτὴν, τοῦ ἔχοντος τὰς ἑπτὰ κεφαλὰς καὶ τὰ δέκα κέρατα.

7. *Et dixit mihi Angelus: Quare admiratus es? Ego tibi dicam mysterium Mulieris & Bestiæ, quæ gerit illam, quæ habet capita septem & decem cornua.*

8. Θηρίον, ὃ εἶδες, ἦν, καὶ οὐκ ἔστι· καὶ μέλλει ἀναβαίνειν ἐκ τῆς ἀβύσσου, καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγειν· καὶ θαυμάσονται οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, (ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς ἀπὸ καταβολῆς κόσμου) βλέποντες τὸ θηρίον, ὅ, τι ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, καίπερ ἐστιν.

8. *Bestia, quam vidisti, fuit, & non est: & ascensura est ex Abysso & in perditionem itura. Et mirabuntur habitantes in terra (quorum nomina non sunt scripta in librum vitæ à fundatione mundi) videntes Bestiam, quæ fuit, & non est, quanquam est.*

9. Ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν. Αἱ ἑπτὰ κεφαλαὶ, ὄρη εἰσὶν ἑπτὰ, ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπ' αὐτῶν.

9. *Hîc mens habens sapientiam. Septem capita montes sunt septem, in quibus Mulier sedet.*

10. Καὶ βασιλεῖς ἑπτά εἰσιν. οἱ πέντε ἔπεσαν, καὶ ὁ εἷς ἔστιν, ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθε· καὶ, ὅταν ἔλθῃ, ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι.

10. *Et reges septem sunt. Quinque ceciderunt, & unus est, alius nondum venit: &, quum venerit, paulisper eum oportet manere.*

11. Καὶ τὸ θηρίον, ὃ ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι, καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐστι, καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγει.

11. *Et Bestia, quæ erat, & non est, & ille octavus est, & ex septem illis est, & in interitum abit.*

12. Καὶ τὰ δέκα κέρατα, ἃ εἶδες, δέκα βασιλεῖς εἰσιν, οἵτινες βασιλείαν οὔπω ἔλαβον, ἀλλ' ἐξουσίαν, ὡς βασιλεῖς, μίαν ὥραν λαμβάνουσι μετὰ τοῦ θηρίου.

12. *Et decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt; qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem, ut reges, unam horam accipiunt, cum Bestia.*

13. Οὗτοι μίαν γνώμην ἔχουσι, καὶ τὴν δυ-

13. *Hi unam sententiam habent, & po-*

τὴν δύναμιν, καὶ τὴν ἐξουσίαν ἑαυτῶν τῷ θηρίῳ διαδιδώσουσιν.

potentiam & potestatem suam Bestiæ tradent.

14. Οὗτοι μετὰ τοῦ ἀρνίου πολεμήσουσι, καὶ τὸ ἀρνίον νικήσει αὐτούς, ὅτι Κύριος κυρίων ἐστὶ, καὶ Βασιλεὺς βασιλέων· καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ κλητοὶ καὶ ἐκλεκτοὶ καὶ πιστοί.

14. *Hi cum Agno belligerabunt, & Agnus vincet eos; quia Dominus Dominorum est & Rex Regum: &, qui cum ipso, vocati & electi & fideles.*

15. Καὶ λέγει μοι, τὰ ὕδατα, ἃ εἶδες, οὗ ἡ πόρνη κάθηται, λαοὶ καὶ ὄχλοι εἰσὶ, καὶ ἔθνη καὶ γλῶσσαι.

15. *Et dicebat mihi; Aquæ, quas vidisti, ubi Meretrix sedet, populi & turbæ sunt & gentes & linguæ.*

16. Καὶ τὰ δέκα κέρατα, ἃ εἶδες ἐπὶ τὸ θηρίον, οὗτοι μισήσουσι τὴν πόρνην, καὶ ἠρημωμένην ποιήσουσιν αὐτὴν καὶ γυμνὴν, καὶ τὰς σάρκας αὐτῆς φάγονται, καὶ αὐτὴν κατακαύσουσιν ἐν πυρί.

16. *Et decem cornua, quæ vidisti in Bestia; hi odio prosequentur Meretricem, & desolatam eam facient ac nudam, & carnes ejus edent, & eam comburent igne.*

17. Ὁ γὰρ Θεὸς ἔδωκεν εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν ποιῆσαι τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην, καὶ δοῦναι τὴν βασιλείαν αὐτῶν τῷ θηρίῳ, ἄχρι τελεσθῇ τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ.

17. *Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant unam sententiam, & dent regnum suum Bestiæ, donec consummentur verba Dei.*

18. Καὶ ἡ γυνὴ, ἣν εἶδες, ἔστιν ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἡ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς.

18. *Et Mulier, quam vidisti, est urbs illa magna, quæ habet regnum in reges terræ.*

CAPUT XVIII.

1. Καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἔχοντα ἐξουσίαν μεγάλην· καὶ ἡ γῆ ἐφωτίσθη ἐκ τῆς δόξης αὐτοῦ.

1. *Et post hæc vidi Angelum descendentem ex Cœlo, qui habebat potestatem magnam: & terra illustrata est à gloria ejus.*

2. Καὶ ἔκραξεν ἐν ἰσχύϊ, φωνῇ μεγάλῃ, λέγων· Ἔπεσεν, ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, καὶ ἐγένετο κατοικητήριον δαιμόνων, καὶ φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκα-

2. *Et clamavit cum robore, voce magna, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est habitaculum dæmonum, & custodia omnis spiritus immundi,*

ἀκαθάρτου, καὶ φυλακὴ παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου, καὶ μεμισημένου.

3. Ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πέπωκε πάντα τὰ ἔθνη· καὶ οἱ βασιλεῦς τῆς γῆς μετ' αὐτῆς ἐπόρνευσαν, καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν.

4. Καὶ ἤκουσα ἄλλην φωνὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λέγουσαν· Ἐξέλθετε ἐξ αὐτῆς ὁ λαός μου, ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς, καὶ ἵνα μὴ λάβητε ἐκ τῶν πληγῶν αὐτῆς.

5. Ὅτι ἠκολούθησαν αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἐμνημόνευσεν ὁ Θεὸς τὰ ἀδικήματα αὐτῆς.

6. Ἀπόδοτε αὐτῇ, ὡς καὶ αὐτὴ ἀπέδωκεν ὑμῖν, καὶ διπλώσατε αὐτῇ διπλᾶ κατὰ τὰ ἔργα αὐτῆς· ἐν τῷ ποτηρίῳ, ᾧ ἐκέρασε, κεράσατε αὐτῇ διπλοῦν.

7. Ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν καὶ ἐστρηνίασε, τοσοῦτον δότε αὐτῇ βασανισμὸν καὶ πένθος· ὅτι ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς λέγει· Κάθημαι βασίλισσα, καὶ χήρα οὐκ εἰμὶ, καὶ πένθος οὐ μὴ ἴδω.

8. Διὰ τοῦτο ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἥξουσιν αἱ πληγαὶ αὐτῆς. θάνατος, καὶ πένθος, καὶ λιμός· καὶ ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται, ὅτι ἰσχυρὸς Κύριος ὁ Θεὸς ὁ κρίνων αὐτήν.

9. Καὶ κλαύσονται αὐτὴν καὶ κόψονται ἐπ' αὐτῇ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, οἱ μετ' αὐτῆς πορνεύσαντες καὶ στρηνιάσαντες, ὅταν βλέπωσι τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς.

10. Ἀπὸ μακρόθεν ἑστηκότες, διὰ τὸν φόβον

di, & custodia omnis avis immunda & odiosa.

3. *Quia de vino excandescentia scortationis sua potavit omnes gentes: & reges terra cum illa scortati sunt, & mercatores terra ex potentia lascivia ejus ditati sunt.*

4. *Et audivi aliam vocem ex cœlo dicentem:* Exite ex illa, popule mi; *ne communicetis cum peccatis ejus, & ne accipiatis de plagis ejus.*

5. *Quia secuta sunt peccata ejus usque ad cœlum, & recordatus est Deus injustè facta ejus.*

6. *Reddite illi, quemadmodum & ipsa reddidit vobis, & reduplicate ei duplicia secundùm opera ejus. In poculo, quod infudit, infundite ei duplum.*

7. *Quantum glorificavit seipsam & lasciviit, tantum date ei cruciatum & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo Regina, & Vidua non sum, & luctum non videbo.*

8. *Propterea in uno die venient plagæ ejus; mors & luctus & fames; & igne comburetur: quia robustus Dominus Deus, qui judicat eam.*

9. *Et flebunt eam, & plangent super ea reges terra, qui cum ea scortati sunt & lascivierunt; quum videbunt fumum incendii ejus.*

10. *Procul stantes, propter metum cru-*

φόβον τοῦ βασανισμοῦ αὐτῆς, λέγοντες· Οὐαὶ, οὐαὶ, ἡ πόλις ἡ μεγάλη, Βαβυλὼν, ἡ πόλις ἡ ἰσχυρά, ὅτι ἐν μιᾷ ὥρᾳ ἦλθεν ἡ κρίσις σου.

cruciatûs ejus, dicentes: Væ, væ, civitas illa magna, Babylon, urbs illa valida: quia in una hora venit judicium tuum.

11. Καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς κλαίουσι καὶ πενθοῦσιν ἐπ' αὐτῇ, ὅτι τὸν γόμον αὐτῶν οὐδεὶς ἀγοράζει οὐκέτι.

11. *Et mercatores terræ flent & lugent super ea, quia mercimonium eorum nemo emit amplius.*

12. Γόμον χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ λίθου τιμίου, καὶ μαργαρίτου, καὶ βύσσου, καὶ πορφύρας, καὶ σηρικοῦ, καὶ κοκκίνου· καὶ πᾶν ξύλον θύϊνον, καὶ πᾶν σκεῦος ἐλεφάντινον, καὶ πᾶν σκεῦος ἐκ ξύλου τιμιωτάτου, καὶ χαλκοῦ, καὶ σιδήρου, καὶ μαρμάρου.

12. *Mercimonium auri & argenti & lapidis preciosi & margaritæ, & byssi & purpuræ & serici & coccini; & omne lignum odoratum, & omne vas eburneum, & omne vas ex ligno preciosissimo, & ære & ferro & marmore.*

13. Καὶ κινάμωμον, καὶ θυμιάματα, καὶ μύρον, καὶ λίβανον, καὶ οἶνον, καὶ ἔλαιον, καὶ σεμίδαλιν, καὶ σῖτον, καὶ κτήνη, καὶ πρόβατα, καὶ ἵππων, καὶ ῥεδῶν, καὶ σωμάτων, καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων.

13. *Et cinnamomum & odoramenta & myrum & thus, & vinum, & oleum & similaginem, & triticum & jumenta, & oves, & equorum & rhedarum & corporum, & animas hominum.*

14. Καὶ ἡ ὀπώρα τῆς ἐπιθυμίας τῆς ψυχῆς σου ἀπῆλθεν ἀπὸ σοῦ, καὶ πάντα τὰ λιπαρὰ καὶ τὰ λαμπρὰ ἀπῆλθεν ἀπὸ σοῦ, καὶ οὐκέτι οὐ μὴ εὑρήσῃς αὐτά.

14. *Et fructus concupiscentiæ animæ tuæ abiit à te & omnia pinguia ac splendida abierunt à te, & non invenies ea amplius.*

15. Οἱ ἔμποροι τούτων οἱ πλουτήσαντες ἀπ' αὐτῆς, ἀπὸ μακρόθεν στήσονται, διὰ τὸν φόβον τοῦ βασανισμοῦ αὐτῆς, κλαίοντες καὶ πενθοῦντες.

15. *Mercatores horum, qui ditati sunt ab ea, eminus stabunt propter metum cruciatûs ejus flentes & lugentes,*

16. Καὶ λέγοντες· Οὐαὶ, οὐαὶ, ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἡ περιβεβλημένη βύσσινον καὶ πορφυροῦν, καὶ κόκκινον, καὶ κεχρυσωμένη ἐν χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ καὶ μαργαρίταις· ὅτι μιᾷ ὥρᾳ ἠρημώθη ὁ τοσοῦτος πλοῦτος.

16. *Et dicentes: Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta est bysso & purpureo & coccineo, & inaurata auro, & lapide precioso & margaritis: quia una hora desolata sunt tantæ divitiæ.*

17. Καὶ πᾶς κυβερνήτης, καὶ πᾶς ἐπὶ

17. *Et omnis gubernator & in omni-*

τῶ πλοίων ὁ ὅμιλος, καὶ ναῦται, καὶ ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται, ἀπὸ μακρόθεν ἔστησαν.

bus navibus turba & nautæ, & qui mare exercent, à longè stabant.

18. Καὶ ἔκραζον, ὁρῶντες τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς, λέγοντες· Τίς ὁμοία τῇ πόλει τῇ μεγάλῃ;

18. *Et clamabant videntes fumum incendii ejus, dicentes: Quæ similis civitati illi magnæ.*

19. Καὶ ἔβαλον χοῦν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ ἔκραζον κλαίοντες καὶ πενθοῦντες, λέγοντες· Οὐαὶ, οὐαὶ, ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἐν ᾗ ἐπλούτησαν πάντες οἱ ἔχοντες πλοῖα ἐν τῇ θαλάσσῃ ἐκ τῆς τιμιότητος αὐτῆς, ὅτι μιᾷ ὥρᾳ ἠρημώθη.

19. *Et conjiciebant pulverem in capita sua, & clamabant flentes & lugentes, dicentes: Væ, væ, civitas illa magna, in qua ditati sunt omnes habentes naves in mari ex preciositate ejus: quia una hora desolata est.*

20. Εὐφραίνου ἐπὶ αὐτὴν, οὐρανὲ, καὶ οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται, ὅτι ἔκρινεν ὁ Θεὸς τὸ κρίμα ὑμῶν ἐξ αὐτῆς.

20. *Lætare super ea, cœlum, & sancti Apostoli & Prophetæ: quia judicavit Deus judicium vestrum de ipsa.*

21. Καὶ ἦρεν εἷς ἄγγελος ἰσχυρὸς λίθον ὡς μύλον μέγαν, καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν θάλασσαν, λέγων· Οὕτως ὁρμήματι βληθήσεται Βαβυλὼν ἡ μεγάλη πόλις, καὶ οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι.

21. *Et sustulit unus Angelus robustus lapidem, ut molarem magnum, & conjecit in mare, dicens: Sic impetu conjicietur Babylon illa magna civitas, & non invenietur amplius.*

22. Καὶ φωνὴ κιθαρῳδῶν καὶ μουσικῶν καὶ αὐλητῶν καὶ σαλπιστῶν οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι· καὶ πᾶς τεχνίτης πάσης τέχνης οὐ μὴ εὑρεθῇ ἐν σοὶ ἔτι· καὶ φωνὴ μύλου οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι.

22. *Et vox citharoedorum & musicorum & tibicinum & tubicinum non audietur in te amplius: & artifex ullus ullius artis non invenietur in te amplius: & vox molæ non audietur in te amplius.*

23. Καὶ φῶς λύχνου οὐ μὴ φανῇ ἐν σοὶ ἔτι· καὶ φωνὴ νυμφίου καὶ νύμφης οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι· ὅτι οἱ ἔμποροί σου ἦσαν οἱ μεγιστᾶνες τῆς γῆς, ὅτι ἐν τῇ φαρμακείᾳ σου ἐπλανήθησαν πάντα τὰ ἔθνη.

23. *Et lux lucernæ non lucebit in te amplius: & vox sponsi & sponsæ non audietur in te amplius: quia mercatores tui erant magnates terræ, quia in incantatione tua errârunt omnes gentes.*

24. Καὶ ἐν αὐτῇ αἷμα προφητῶν καὶ

ἁγίων

24. *Et in ea sanguis Prophetarum &*

sancto-

ἁγίων εὑρέθη καὶ πάντων τῶν ἐσφαγμένων ἐπὶ τῆς γῆς.

ſanctorum inventus eſt, & omnium mactatorum in terra.

CAPUT XIX.

A verſu. I. ad verſum. II.

1. Καὶ μετὰ ταῦτα ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ, λέγοντος· Ἀλληλούϊα· ἡ σωτηρία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δύναμις Κυρίῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν.

1. *Et poſthac audivi tanquam vocem turbæ multæ magnam in cœlo, dicentis: Alleluja: Salus & gloria & honor & potentia Domino Deo noſtro.*

2. Ὅτι ἀληθιναὶ καὶ δίκαιαι αἱ κρίσεις αὐτοῦ· ὅτι ἔκρινε τὴν πόρνην τὴν μεγάλην, ἥτις ἔφθειρε τὴν γῆν ἐν τῇ πορνείᾳ αὐτῆς, καὶ ἐξεδίκησε τὸ αἷμα τῶν δούλων αὐτοῦ ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῆς.

2. *Quia vera & juſta ſunt judicia ejus: quia judicavit meretricem magnam, quæ corrupit terram ſcortatione ſua, & vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum ex manu ejus.*

3. Καὶ δεύτερον εἴρηκαν· Ἀλληλούϊα· Καὶ ὁ καπνὸς αὐτῆς ἀναβαίνει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

3. *(Et ſecundò dixerunt: Alleluja)* Et *ſumus ejus aſcendit in ſecula ſeculorum.*

4. Καὶ ἔπεσον οἱ πρεσβύτεροι οἱ εἴκοσι καὶ τέσσαρες, καὶ τὰ τέσσαρα ζῶα, καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, λέγοντες· Ἀμὴν, Ἀλληλούϊα.

4. *Et ceciderunt Seniores viginti quatuor & quatuor animalia, & adorârunt Deum qui ſedebat in throno, dicentes: Amen, Alleluja.*

5. Καὶ φωνὴ ἐκ τοῦ θρόνου ἐξῆλθε, λέγουσα· Αἰνεῖτε τὸν Θεὸν ἡμῶν πάντες οἱ δοῦλοι αὐτοῦ, καὶ οἱ φοβούμενοι αὐτὸν καὶ οἱ μικροὶ καὶ οἱ μεγάλοι.

5. *Et vox ex throno exivit, dicens: Laudate Deum veſtrum omnes ſervi ejus, &, qui timetis eum, & parvi & magni.*

6. Καὶ ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ, καὶ ὡς φωνὴν ὑδάτων πολλῶν, καὶ ὡς φωνὴν τῶν βροντῶν ἰσχυρῶν, λεγόντων· Ἀλληλούϊα· ὅτι ἐβασίλευσε Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ.

6. *Et audivi tanquam vocem turbæ multæ, & ut vocem aquarum multarum, & ut vocem tonitruum validorum, dicentium: Alleluja. Quia regnum capeſſivit Dominus Deus omnipotens.*

7. Χαίρωμεν καὶ ἀγαλλιώμεθα, καὶ δῶμεν

7. *Lætemur & exultemus & demus glo-*

μεν τὴν δόξαν αὐτῷ· ὅτι ἦλθεν ὁ γάμος τοῦ ἀρνίου, καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἡτοίμασεν ἑαυτήν.

gloriam ipsi: quia venerunt nuptiæ agni & uxor ejus se præparavit.

8. Καὶ ἐδόθη αὐτῇ, ἵνα περιβάληται βύσσινον καθαρὸν καὶ λαμπρόν· τὸ γὰρ βύσσινον τὰ δικαιώματά ἐστι τῶν ἁγίων.

8. *Et datum est ei, ut amiciret se bysso pura & splendida. Nam byssus sunt argumenta justitiæ sanctorum.*

9. Καὶ λέγει μοι· Γράψον· Μακάριοι οἱ εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ γάμου τοῦ ἀρνίου κεκλημένοι. Καὶ λέγει μοι· Οὗτοι οἱ λόγοι ἀληθινοί εἰσι τοῦ Θεοῦ.

9. *Et dicit mihi: scribe, Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Et dicit mihi: Hi sermones veri sunt Dei.*

10. Καὶ ἔπεσον ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν αὐτοῦ προσκυνῆσαι αὐτῷ· καὶ λέγει μοι· Ὅρα μή· σύνδουλός σου εἰμὶ καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ· τῷ Θεῷ προσκύνησον. ἡ γὰρ μαρτυρία τοῦ Ἰησοῦ ἐστι τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας.

10. *Et cecidi coram pedibus ejus, ut adorarem eum: & dicit mihi: Vide ne* FECERIS. *Conservus tuus sum & fratrum tuorum, qui habent testimonium* JESU. *Deum adora. Nam testimonium* JESU *est Spiritus prophetiæ.*



SE-

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS

JACOBI PRIMI,

Magnæ Britanniæ, Scotiæ & Hyberniæ Regis,

In Vaticinium S. Johannis Theologi,

DE

BABYLONE MAGNA, PARAPHRASIS.

CAPUT XVII.

Angelus Joanni manifestam facit, & perspicuam hanc Papæ visionem: fuséque illum describit: tum auctores modúmque exitii illius clarissimè explicat.

1. At quoniam non satis capiebam, quid sibi vellent hæ *plagæ*; quid item *Babylon*, quæ illis percussa dicebatur; eapropter unus ex Angelis, qui Phialas effuderant, mihi dixit, *Heus tu, ego tibi familiarius exponam magnæ illius meretricis damnationem, tum verò quænam illa sit, quæ super multas aquas sedeat*; 2. *Cum qua Spiritualem stupri consuetudinem habuerunt Reges, & cujus scortationis vino inebriati sunt terræ incolæ*; nempe ingens variarum gentium colluvies, ad quas nihil attinet electionis mysterium: ut suprà fuit indicatum: 3. tum me per Spiritum (ut in ipso hujus epistolæ limine vobis significavi) abripuit Angelus in desertum, quo nomine Gentilitas significatur, Esaia teste. Nam *Bestia* cum suis omnibus, reapse gentiles sunt, ut in sexta audivistis tuba: & juxta Domini nostri pronuntiatum, *quisquis nobiscum non colligit, spargit*: nec enim magis invenitur medium inter duos hosce athlothetas, *Deum* & *Diabolum*; quàm inter eorum præmia, *cœlum* & *infernum*: &

quemadmodum fieri non potest, quin alterum è duobus illis Dominis sequamur in vita; ita pariter necesse est ad alterum è duobus illis locis, post hanc vitam, proficiscamur. Tum vidi in eremo *mulierem* ipsam, nimirum Babylonem; *meretricem* illam, insidentem coccinæ & sanguinolentæ bestiæ; sicut ante humanâ specie insidebat *equo pallido*, in quarto sigillo. Et hæc bestia blasphemiæ plena erat, & septem capita habebat, & decem cornua, ut suprà. 4. erat autem *mulier* illa amicta purpurâ, & cocco, & gemmis, & margaritis: manu autem aureum poculum tenebat. Monarchia enim hæc, & ejus Monarcha, etiam corporali hujusmodi colorum magnificentia vestientur; gemmis, & margaritis splendentes. Porrò colores hi, omnium maximè illustres, & hæc decora gemmarum indicant nihil fore hac Monarchia, ejúsque sede gloriosius; aut in mundi conspectu (ut suprà monui) splendidius: nec tantùm pomposa hac honoris specie veram Dei referet Ecclesiam; verùm etiam è communibus synceræ religionis principiis multa retinebit, quod *aureo poculo* significatur. Veruntamen illud ipsum *poculum* plenum erat abominationibus, & immunditiâ Spiritualis scortationis ejus: nam quanquam in multis veritatem retineat, quâ, tanquam illecebrâ, credulis insidietur, eósque in amorem sui pelliciat; eam tamen pestifero suarum hæreseon, & traditionum veneno, & Spiritualis sui adulterii impuritate inficiet: ut dictum est priùs. 5. Et fronti ejus mysterium inscriptum erat: *Babylon illa magna*: nempe Spiritualis illa Babylon (ut suprà) mater scortationum & abominationum terræ: quæ etenim hæreses & corruptelæ omnium maximæ sunt, & solæ ferè præcipuæ dici merentur, ex ea nascentur, & illæ quidem specioso Christianitatis titulo relatæ: hisce præter cæteros inquinabuntur, usque ad consummationem seculi, quibus vox hæc in labiis natat, *Domine*, *Domine*: neque tantùm Babylon hosce errores, ut mater, pariet; verùm etiam, ut nutrix, eos fovebit, alet, proteget. *Mysterium* autem hoc dicitur, quia licet in publico & propatulo omnium oculis expositum sit, (quod *frontis inscriptione* indicatur) iis tamen solis nequitiam hanc dabitur intueri, à quorum oculis divinæ misericordiæ ope glaucoma remota est. 6. Et vidi mulierem illam ebriam sanguine Sanctorum, & martyrum Jesu Salvatoris. Sitiet enim absque modo, & ratione, & miseratione; atque avidissimè hauriet sanguinem Sanctorum, ut sæpe audivistis prius: & cùm viderem eam, valde eam miratus sum: neque enim intellectu penetrare poteram in septem capita, & decem cornua *bestiæ*, cui insidebat. 7. Ergo Angelus qui eam mihi monstraverat (ut antè percepistis) quum me animadverteret admiratione perculsum: noli (inquit) mirari: ego tibi revelabo mysterium *mulieris* & *bestiæ*, quæ eam portat, quæ habet capita septem & cornua decem: 8. hæc bestia, quam vidisti, vel Monarchia per eam significata (quarta enim innuitur Monarchia, illa vali-

validissima omnium & quondam florentissima) fuit, & non est: adeò nunc videlicet diminutâ priore potentiâ, ut quodammodò dici possit non esse: de novo autem, ut primum vulnus capitis persanatum erit, ex abysso emersura est: nec tamen effugiet imminentem ruinam: incolæ autem terræ, quorum nomina in libro vitæ ante jacta mundi fundamenta scripta non sunt, rapientur in admirationem, quæ omnia antehac percepistis: mirabuntur, inquam, bestiam quæ fuit, (nimirum florida & potens) & jam non est (quadantenus videlicet, ut modò percepistis) & adhuc est (nimirum suis etiamnum nixa fundamentis, licet multò quàm antehac debilior.) 9. Arrigite aures ad ea, quæ vobis aperio: hîc enim tanquam ad lydium lapidem explorabitur hominum sapientia; ut ex meis verbis intelligant, quæ tandem Monarchia, quæ tyrannis hîc describatur. *Septem bestiæ capitibus* tum septem montes significantur, super quibus fundata est augusta hujus Imperii sedes: tum septem Reges; vel totidem Magistratuum genera, quibus hæc Monarchia antehac usa est, & posthac utetur: 10. quinque eorum fuêre; unus nunc est, nimirum sextus; alius sequetur, nempe septimus; sed necdum venit; & quum venerit, exiguo sanè tempore manebit. 11. Bestia autem hæc, quæ erat (nempe adeò potens) & non est (ut modò audivistis, nam jam decrescit) est octavus ille, & tamen unus è septem. Etenim hæc bestia è ruderibus quartæ Monarchiæ excitata (ut jam explicatum est) quum in hominum conscientias hæreticam usurpatura sit tyrannidem, propter hoc novum genus politiæ distinguitur à cæteris: & hanc ob causam dicitur *octavus ille:* nihilominus, quia eandem imperii sedem cum cæteris sortietur, & pari & majore superbia orbi terrarum dominabitur, eâdem denique civilis politiæ formâ, cum uno, quóque è septem illis, utetur; propter hanc, inquam, tam multiplicem similitudinem, septem illis hanc quoque bestiam adnumero. 12. Decem autem cornua, quæ vidisti, decem Reges significant; numerosos, nimirum, illos in singulis provinciis Magistratus, huic quartæ Monarchiæ subordinatos, qui regnum suum nondum acceperunt: nam sub omnibus illis Politiæ speciebus, quibus Imperium illud variabitur, præterquam sub ultima hac & hæretica; Magistratus inferiores & subordinati in subditorum numero futuri sunt: at cum *Bestia* regalem accipient potestatem: nimirum quo tempore *Apollyon* ille è *quarta bestia* cineribus suscitabitur; è ruinis, inquam, quartæ Monarchiæ; continuò Reges terræ, se se illi in servitutem addicent, tanquam Magistratus illi subordinati; quum tamen ante id tempus, illius Monarchiæ robur in solis imperii subditis fuerit: atque ita *cornua*, vel vires illius bestiæ, ante vulnus illud acceptum, è meris subditis constabant: at, eo vulnere persanato, Reges hujus mundi & Imperatores in cornua illius & robur degenerabunt. 13. Hi unius erunt sententiæ: & vires & auctoritatem suam bestiæ tradent: nempe ultrò

 Baby-

Babylonico jugo colla præbebunt, & omnes potentiæ suæ nervos in hujus tyrannidis incolumitatem, & Sanctorum vexationem intendent. 14. Et cum agno manum conferent, dum sic illius membra affligunt. Verùm successu destituentur omnes eorum conatus: nam profligabuntur demùm ab Agno: quia ipse est Rex Regum, & Dominus dominantium: & qui ab illius sunt partibus, ejúsque sequuntur castra, ELECTI nominantur & FIDELES. 15. Dixit præterea mihi Angelus; aquæ illæ, super quibus *meretricem* sedentem vidisti, populi sunt, & turbæ, & gentes, & linguæ, quæ se illius imperio permiserunt. 16. Quod autem illa decem cornua attinet, quæ vidisti, hoc saltem tibi prædictum volo: licet ad tempus, libertatis suæ immemores, servituri sint Reges Babyloni, dextris suis ei commodatis ad persecutionem Sanctorum; dies tamen veniet, etiam ante consummationem Universi, quum meretricem, quæ eorum simplicitate tam diu & tam impotenter abusa est, internecino odio prosequentur; solámque destituent. Cives enim suos & populos, quibus ejus subnixa erat potentia, ejus subtrahent imperio: tum carnes ejus comedent: & ipsam igne exurent; nempe opibus, & potestate, & magnificentia illam exuent: & demùm penitùs evertent. 17. Sed tu noli illud mirari: nam Deus dedit in corda ipsorum; nempe ad tempus eos *Bestiæ* permisit abutendos; ut nihil agant nisi ex illius libidine: omnes illius prætextus & versutias approbent: regna denique sua illius impotentiæ tantisper permittant, donec verbum Dei consummetur: nempe, illi sua submittent sceptra, & jus regnandi ab illa mendicabunt, dum veniet tempus hoc vaticinio præfixum: quo tempore à Deo excitabuntur Reges ad exscindendam Babylonem; nec enim minus summorum Regum, quàm imæ plebis corda in manu Domini sunt; ut illius exequantur imperia; & tanquam pilæ, quocúnque tandem voluntatis divinæ tulerit impetus, rotentur. 18. Et hæc MULIER vel MERETRIX, quam vidisti, est magna urbs illa Bestiæ, vel Monarchiæ sedes; quæ Regibus terræ cum imperio præest: ut antè tibi innotuit. Cæterùm, in una hac regni sede plures, imò permulti Reges, continuatâ successione, alii alios sequentur, qui eandem religionis hæresin, eosdem superstitionis ritus, & eandem omnes politiam retinebunt: & id quartæ Monarchiæ, unde originem trahet, æmulatione.

CAPUT

DE BABYLONE MAGNA.

Caput XVIII.

Luctus Orbis in ruina Papatûs: quæ commoda hominibus hujus mundi ex prosperis Papæ rebus redundârint: ingentes illius Ecclesiæ divitiæ & opulentia: animarum nundinatio per indulgentias: cœlites de ejus exitio intereà temporis lætantur, dum mundus & mundani homines eapropter incedunt pullati.

1. Et post hæc vidi alium Angelum, descendentem de cœlo, habentem authoritatem magnam, ita ut terra illius gloriâ illustraretur: nam ut primum Deus per unum è septem Angelis, qui phialas tenebant, fœminam illam bestiæ insidentem mihi, quàm antea, fecisset notiorem; nunc per alium quendam, qui est ipse Christus, meritissimam Babylonis damnationem mihi indicat: immò verò Orbi terrarum promulgat, *quod Angeli in terram descensu* significatur. 2. Exclamavit autem magna voce, dicens: *cecidit, cecidit Babylon; illa magna; & facta est domicilium Dæmoniorum, & omnium impurarum, dirarúmque volucrium:* nempe magna illa Urbs, augusta sedes imperii, exscindetur à fundamentis: & æternùm desolabitur, quemadmodum & Hierosolymis olim prædictum fuit. 3. quia ex vino scortationis ejus, omnes gentes biberunt, & Reges terræ cum ea scortati sunt; & mercatores terræ, opibus luxûs ejus ditati sunt; tantâ humanæ gloriæ magnificentiâ & pompâ splendebat hæc Monarchia. 4. Et audivi aliam vocem de cœlo, nempe Sancti Spiritus, dicentem: *exite ex ea popule mi*: omnes inquam electi: ne participes sitis peccatorum ejus, & plagarum, quæ propterea illi incutientur: nam si externâ tantùm conversatione illi cohæreatis, & ad ejus flagitia tantùm connivere videamini; profectò omnium ejus peccatorum rei peragemini: nam si vobis in votis est, ut Christus in novissimo die palàm, & coram Patre suo & Angelis, vos agnoscat, corporáque & animas æternæ felicitatis præmio mactet; non debet esse vobis pudori, coram hominibus & corpore & anima illi servire: hoc ego vos præmonitos volo, ut qui secùs facturi sunt, reddantur inexcusabiles. 5. Nam ad eam altitudinem venerunt ejus peccata, ut cœlum contingant, & eorum memor est Deus: itaque non solùm deserenda vobis est ejus consuetudo, ut antè monui (neque enim sufficit abstinere à malo.) 6. Sed etiam de vindicta ab ea poscenda cogitandum est; ut id illi reddatis, quod vobis fecit; & duplum illi suorum operum rependatis; & in poculo, quod aliis propinavit, duplum ei propinetis: omnia nempe experiamini, quæ ad ejus molestiam & interitum fa-

cere videbuntur; quemadmodum illa aliis vexandis subvertendisque semper fuit intenta: denique ejus superbiam,& luxuriam tormentis, mœrore, luctu compensate. 7. Dicit enim in corde suo, *Sedeo Regina*, & jam firmatâ meâ Monarchiâ, secura: *neque vidua sum*: neque *orba* unquam ero: neque *luctûs* videbo incommoda: nec interitûs pericula gustabo. 8. Quandoquidem igitur humanis opibus subnixa ejus felicitas, humanis etiam manibus punietur, *morte*, *luctu*, *fame*, *incendio*; nempe omnes experta tormentorum gradus, denique funditùs peribit: quia validus est Dominus Deus, qui damnabit eam. 9. Tum Reges terræ, olim *cornua illius*, quique cum illa scortati & luxuriati sunt, conspecto incendii fumo, præ miseratione flebunt & lugebunt eam: quanquam enim illi ipsi auctores ruinæ hujus extiterint, ut jam explicatum est; tanta tamen ea futura est, ut quum fumantes aspexerunt cineres, animi eorum in miserationem conversi, non possint non deplorare, quod manus peregerint. 10. Stabunt autem procul à tormentis ejus: refricabitur enim tormentis hisce peccatorum suorum memoria, quæ illis ingentem incutient pavorem: & admiratione perculsi dicent: *vah, vah! magna illa Urbs BABYLON, Urbs illa valida*, cujus judicium & interitus unâ & eâdem horâ, & simul venêre. 11. *Et mercatores flebunt & lugebunt illam; quia merces eorum non ementur ampliùs.*: ejus enim pompa vendibiles faciebat pretiosas merces, unde mercatores ditescebant. 12. quales sunt *aurum*, *argentum*, *gemmæ*, *margaritæ*, *byssus*, *purpura*, *sericum*, *coccus*; *& omnia vasorum genera idololatriæ inservientia*, *ex ebore*, *ligno pretioso*, *ære*, *ferro*, *marmore*. 13. *Cinnamomum & suffitus omnijuges, ad superstitiosos ritus*; *cum unguentis & thure*, *ad eandem rem*, *& similia*; *& omne genus frumenti*, *jumentique*; *& oves ad conviviorum apparatus*; *& equi*, *& currus*, *& mancipia*; *& triumphorum & processionum solennitates*, *& hominum animæ*: nam multos conducet institores animarum, qui indulgentias; queis animæ sospitari, redimi, & liberari creduntur; pretio distrahant. Sed brevi de his posteà. 14. Et fructus desideriorum animæ tuæ, *ô Babylon*, abibunt à te: vertent nimirum in mœrorem lubentiæ tuæ: & oblectamenta, & omnia pinguia, & præclara abierunt à te: omnia nempe tua emolumenta & voluptates te destituent: nec ampliùs illa invenies: tuum enim nomen in æternum delebitur. 15. Et mercatores, qui harum mercium emtione venditionéque ditabuntur, procul stabunt à tormentis ejus, flentes & lugentes. 16. *Vah, vah, dicent: magna illa Urbs olim amiciebatur bysso, purpurâ, &, cocco; auróque deaurata, & gemmis, & margaritis ornata*, *intuentium oculos præstinguebat*: *ecce*, *unâ horâ vastatæ sunt ejus divitiæ*: *omnisque ejus pompa disparuit.* 17. Et omnes gubernatores, & navarchi, omnisque in navibus versantium turba; & omnes nautæ, & quotquot ex mari quæstum faciunt, procul stabunt, præ timore: 18. & clamabunt videntes fumum

incen-

incendii ejus; dicentes cum magna admiratione; *quæ urbs magnificentia aut gloria splendore hanc æquabat?* 19. Et miseratione ruinæ ejus, & mœrore amissi proprii quæstûs, quem, mercibus undiquáque in eam Urbem advehendis, facere solebant, capitibus suis pulverem injicient, & cineres: *Vah, vah*, ajentes, *quòd magna illa Urbs; in qua omnes, qui habebant naves in mari, mercium pretiis & negotiandi privilegio locupletati sunt; unâ horâ dosolata est.* 20. At quanquam in ejus funere mœsti futuri sint terreni homines, propter terrenarum voluptatum & quæstuum jacturam, quibus illi Babylonis ope ante fruebantur; cujus religio omnis terrena erat, nempe humanis inventis & traditionibus nixa, terrenâque pompâ & potentiâ sustentata: exultate tamen cæli in ejus interitu: Vósque, *Sancti Apostoli* & *Prophetæ*, lætamini: nam in ejus supplicio vestram Deus vindicavit injuriam. 21. Tùm verò ad firmandum Babylonicæ ruinæ vaticinium, vidi Angelum validum tollere *vastum lapidem*, instar molaris, eúmque projicere in mare, dicentem: Tanto certè cum impetu dejicietur Babylon, illa magna Urbs: neque ampliùs locus ejus invenietur: quemadmodum de altera illa & corporea Babylone vaticinatus est Jeremias: 22. & *vox cytharædorum, & Musicorum, & tibiâ & tubâ canentium non ampliùs audietur in te:* omnis enim lætitia & hilaritas ex hac Monarchia, ejúsque sede exulabit: nec *ullus artifex*, cujuscúnque artis, ampliùs invenietur in te: nec *sonitus molæ* ampliùs audietur in te: nam incolarum honore hæc Urbs inposterum destituetur. 23. Nec lucernæ lux ampliùs invenietur in te: neque *mariti* & *uxoris* vox ampliùs audietur in te: nam ut impiis nullus ibi inposterum futurus est locus; sic nulla erunt piorum domicilia: adeò omnibus devovebitur diris, ut nec virginum lampades ibi arsuræ sint; nec Christus cum Sponsa Ecclesia, unquam appariturus; quanquam in media tyrannide etiam intra illius Urbis pomœria electorum nonnulli semper latuerint, & semper quóque futuri sint, cujus Urbis mercatores erant optimates terræ, cujúsque præstigiis omnes gentes à vero seducti sunt. 24. Et *sanguis Prophetarum* & *Sanctorum* in ea inventus est, & omnium qui mactati sunt in terra. Jure igitur hac clade delebitur *Babylon*; tum quia nuncios suos & legatos magna instructos potestate *institores indulgentiarum suarum* esse voluit; precúmque, & Sacramentorum, & meritorum, & peccatorum, & ipsarum quóque animarum, ut antè audivistis: atque ita multis gentibus hoc tanquam carmine fucum fecit: tum quia barbarè Sanctos afflixit, & interemit; adeò ut omnium, ab Abele, Sanctorum sanguinem, qui vitam suam pro divinæ veritatis amore, & testimonio Filii, tánquam victimam obtulerunt, ab illa sit exacturus Deus, & in illam vindicaturus: ut quæ priorum tyrannorum furorem in persequendis & opprimendis Sanctis exceperit, æquârit, excesserit.

CAPUT XIX.

Sancti Deum laudant ob Papæ exitium: Gloria secundi adventûs Christi fusè explicata. Papæ ejúsque Ecclesiæ æterna damnatio.

1. Igitur juxta illa monita, quibus cœli & cælites, Prophetæ nempe & Apostoli, tam jubebantur lætari de interitu Babylonis, quàm reprobi mœrebant, ut suprà audivistis: juxta illa inquam monita, magnæ concionis vocem in cœlo audivi, dicentem: HALLELUJAH, quod si interpreteris sonat; *Laudate Dominum, alta voce: salus, honor, gloria & virtus omnis cum Deo nostro.* 2. Nam vera & justa sunt ejus judicia: ille MERETRICEM illam magnam, quæ scortatione terram polluerat, damnavit; & suâ dextrâ sanguinem servorum suorum in illam vindicavit. 3. Deinde secundò dixerunt: HALLELUJAH: nam fumus ruinæ illius ascendit in omnia secula: neque enim unquam resurget: sed vigili igne semper ardebit. 4. Itidem viginti quatuor Seniores, ut Deo gratias agerent, prociderunt in facies suas: & cum illis quatuor *Bestiæ* adorârunt Deum insidentem throno, uno ore dicentes omnes: *amen, hallelujah.* 5. Vocem quóque à throno prodeuntem audivi; nimirum unius è bestiis, ei succollantibus dicentem: *Laudate Deum nostrum omnes servi ejus, & qui timetis eum parvi & magni.* 6. Et statim juxta hoc mandatum appulit ad aures meas vox, quasi condensæ concionis, similis multarum aquarum, aut tonitrui fragoribus, dicens: HALLELUJAH: *quoniam Dominus Deus noster, diruta Babylone, ejúsque civibus oppreßis, suum adiit regnum.* 7. Gaudeamus igitur, & exultemus: illique omnem demus gloriam; quia venerunt NUPTIÆ AGNI, nempe dies novissimus prope est: & EJUS UXOR paravit se illi: scilicet ejus Ecclesia ab improborum contagione liberata est. 8. Et datum est ei, ut amiciatur bysso munda, & splendida, quæ est justificatio sanctorum: nam ut puritas, splendor, candor, & pretium commendant byssum; sic intaminatus ille est, & carus, & gloriosus justitiæ per imputationem amictus, quo vestiuntur Sancti: nam ex sola Christi justitia texitur ille nostræ *justificationis amictus*, die novissimo induendus; quem quóque ab ipso porrigi necesse est, ut modò audivistis: nam quemadmodum ne bona quidem cogitatio in nostra est potestate; ita penes nos non est nisi æternam mortem mereri: & cùm omnibus bonis operibus, quæ possumus, defuncti sumus, id nobis existimandum relinquitur, *nos inutiles esse servos*, ut Christus ipse dixit. 9. Tunc eadem vox, nempe Angeli, qui hæc exposuit, dixit mihi: *Scribe & prode posterorum memoriæ: beati qui ad cœnam nuptiarum AGNI vocati sunt:* quarum

quarum ex ipſius ore parabolam audiviſtis: nam quotquot efficaciter vocati ſunt, nunquam rejicientur, ſed in æternum electi ſunt: & dixit mihi, vera ſunt hæc verba Dei, quæ te juſſi poſterorum memoriæ ſcripta relinquere: nempe ab ipſo Deo profectum eſt hujus promiſſionis ſolatium, quam ita diſtrictim volui fratribus tuis tuâ operâ teſtatam: nam in noviſſimis diebus hæc ipſa meretricia & hæretica *Babylon* hujus promiſſionis fidem apud ſuos elevabit, & homines electionis ſuæ incertitudine ambiguos ſuſpendet. 10. Et procidi ante pedes *Angeli*, adoraturus illum (nam omnes mortales naturæ vitio in rerum viſibilium cultum, id eſt, idololatriam propenſi ſunt: ea eſt noſtræ carnis infirmitas, niſi cœlitùs divinæ gratiæ ſuſtentetur fulcro) verùm ille ægrè ferens, *vide*, inquit, *ne feceris*: nam quanquam Creatoris beneficio, Angelicæ naturæ excellentia vincat humanam, conſervus tuus nihilominus ſum, atque adeò unus è fratribus tuis, creatura, & miniſter Chriſti, ejus teſtimonio defungens in cœlis; quemadmodum tu in terris. Unum igitur Deum adora: ſiquidem nullam creaturam cultu aut prece noſtra fas eſt dignari; neque verò ulla eſt, niſi per Chriſtum, interceſſio: nec eſt, quod mihi hujus Prophetiæ gratiâ divinum exhibeas honorem: teſtimonium enim Jeſu eſt Spiritus Prophetiæ, quod donum mihi cum multis commune eſt: imò verò non eſt alius, quàm Prophetiæ Spiritus, qui gratiâ inſtruit omnes electos, ut verè & conſtanter de Chriſto teſtificentur; licet hoc non ſit illius Spiritûs donum, quo prædicuntur futura.



ELENCHUS
DISSERTATIONUM.
TOMI PRIORIS.

ELENCHUS DISSERTATIONUM.

TOMI POSTERIORIS.

DISSERTATIO
PRIMA
QUA
Falsæ de Babylone Apocalyptica Interpretationes refelluntur.

BREVIARIUM.

XXXVII.

XXXVII. *consentientibus Pontificiis Doctoribus plerisque,*

XXXVIII. *& probantibus etiam id argumento duplice potissimùm, à Dominio in Regna terræ, & situ super septem montibus petito.*

XXXIX. *Quibus accedit complementi cum prophetia consensus.*

XL. *Quæ verò Roma intelligatur, itum in partes.*

XLI. *Est Roma vel Ethnica vetus, vel Antichristiano-Ethnica nova, vel tertia.*

XLII. *Non esse veterem Ethnicam fatentur Ribera, à Lapide, alii, eò quòd judicium Babyloni intentatum in ea impletum non est.*

XLIII. XLIV. *Exceptio Alcasaris à Cornelio à Lapide refellitur.*

XLV. *Ejus absurditas ostensa ulteriùs.*

XLVI. *Judicium Babylonis impletum non est vastatione Romæ per Gothos, probantibus etiam Suarezio, & à Lapide.*

XLVII. *Argumenta quatuor alia, quòd Babylon non sit vetus Roma Ethnica.*

XLVIII. I. *Quia illa non fuit mysterium.*

XLIX. II. *Quia non fuit meretrix inebrians Reges & gentes terræ, ut secum scortentur.*

L. *Cum ea Reges terræ nunquam scortati sunt.*


LI. *Neque scortatio illa impleta est, cùm Christianos ad cultum suum vi traducere Romani conati sunt.*

LII. *Alcasaris distinctio inter poculum prostitutionis, & iræ fornicationis proponitur,*

LIII. *& argumentis convellitur.*

LIV. *Ira amasiorum meretricis adversus sanctos non est scortatio Regum cum eadem.*

I. Inter

I. nter Proverbia Salomonis à viris Regis Ezechiæ collecta, & ordine primum, & sensus præstantia minimè postremum est, quod Proverb. XXV. 2. extat, his verbis: כבוד אלהים הסתר דבר וכבוד מלכים חקר דבר. *Gloria Dei est occultare verbum, & gloria Regum scrutari verbum.* Conferuntur invicem Rex in Cœlis supremus, & Reges summates in terris. Illi gloriosum, amplumque statuitur, *occultare sermonem*, non quòd ad gloriam ejus pertineat, ita occultare verbum, quo salutis negotium nobis revelatur, ut à quovis fideli, Spiritu Dei prædito sine humana ope, ex ipso Dei verbo intelligi nequeat; sed quòd magnificum Deo sit ita proponere verbum suum, ut sine προσοχῇ *attentione*, διακρίσει πνευματικῇ *discretione spirituali*, & ἐρευνήσει *scrutatione*, intelligi ad salutem nequeat. Unde Deus Israël salvator vocatur אל מסתתר *Deus occultans se* Esai. XLV. 15. His verò, Regibus terrenis gloriosum statuitur, *scrutari sermonem*, puta eundem à Deo occultatum, nec non alia ad regium munus pertinentia, ita videlicet, ut reverenter, devotè & sagaciter illa legant, scrutentur, & in adyta sensuum divinorum revelati verbi penetrare unicè contendant.

Gloria Dei est occultare verbum, & gloria Regum illud scrutari.

II. Solus nempe Deus, coram cujus oculis omnia præterita, præsentia & futura sunt γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα *nuda & resupinata* Hebr. IV. 13. expeditè, promptè & infallibiliter uno intuitu, adeóque sine חקר *pervestigatione, scrutatione* propriè dicta ita cognoscit, ut tanquam in speculo lucidissimo ipsi splendescant omnia. Unde David Ps. CXXXIX. 6. פלאיה דעת ממני נשגבה לא אוכל לה. *Mirabilis est scientia* (tua) *præ me sublimis est, non pos-*

Cur Deus quandoque verbum occulet.

ſum eam attingere. Homines verò omnes, adeoque Reges etiam *animales* quidem, planè ea quæ Spiritus ſunt, non capiunt 1 Cor. II. 14. *Spirituales* verò etiam ſpiritualia ſine labore, induſtria, ſagacitate & ſcrutatione verbi revelati, ita ut ad ſalutem intelligentia proficiat, non penetrant.

In prophetiis id potiſſimum obtinet.

III. Id verò cùm in omni revelatione Divina, tum in ea maximè, qua futura Eccleſiæ fata conſignantur, uſu venit. Ita enim Deus futura מקדם *ab antiquo* (Eſai. XLV. 21.) revelat, ut tamen occultet, hactenus videlicet, ut prædictorum ſenſus ex verbo prædicente & eventu rei, omni opera induſtriaque inveſtigari debeat.

Quæ inter prophetia de Babylone magna indagationem meretur.

IV. Ejuſmodi נסתרות *Occultata* Divinitus, ſeu μυςήρια cùm plurima divina Apocalypſis Johannis complectatur, inter ea haud poſtremum certè locum obtinet μυςήριον, Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, ἡ μήτηρ τῶν πόρνων καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς. *Myſterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ*. Apoc. XVII. 5. Quòd ſi igitur ad gloriam Regum pertinet, etiam illud verbum ſcrutari, inprimis cùm prædictum ſit, Reges quoſdam cum Babylone ſcortaturos, adeóque piorum Regum omnium interſit plurimùm, matrem illam fornicationum cognoſcere, & ab ejus conſuetudine & faſcinis abhorrere, non minùs ad officium fidelium omnium attinere putemus, ut myſterium iſthoc magni, ſi quod aliud, momenti, compertum maximè habeant. Sic enim brevi compendio rerum maximarum cognitione defungi, & diſputationes operoſiſſimas, in quibus ſophiſmatum & æquivocationum fucus regnare poteſt, redimere dabitur. Inciſa radice una cum arbore, ſurculi omnes proſtrati corruunt. Simile pretium hujus etiam operæ ſperare licet.

Babylonis magna nomina.

V. Vocatur Babylon & μεγάλη, *magna*. Apoc. XVI. 19. XVII. 5. XVIII. 2. & πόλις μεγάλη, *civitas magna*. cap. XIV. 8. XVIII. 16. 18. 21. μεγάλη, ἰσχυρὰ, *magna, robuſta*. cap.

cap. XVIII. 10. Ejus verò tum nomen proprium, tum peccatum enorme, tum locus ſeu ſedes, tum judicium graviſſimum indigitatur. Nomen proprium in facie ejus ſcriptum ejuſmodi eſt: μυστήριον. Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς. *Myſterium. Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ.* Apoc. XVII. 5.

VI. Peccatum quidem ejus enorme in univerſum definitur ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ *peccatum in cælum*, ἀδικήματα *injuſtitiæ*. cap. XVIII. 5. & βδελύγματα *abominationes*. cap. XVII. 5. Species verò peccati ejus præcipuæ ſunt, *ſcortatio, tyrannis* ſeu *crudelitas*, *blaſphemiæ*, *ſuperbia*, *veneficia & nundinatio*.

Peccata enormia.

VII. Quoad ſcortationem, vocatur πόρνη μεγάλη *meretrix magna* cap. XVII. 1. XIX. 2. μήτηρ τῶν πορνῶν *mater fornicationum & abominationum terræ* cap. XVII. 2. 5. ἀκαθάρτης πορνείας *immunditia ſcortationis*. cap. XVII. 4. & δύναμις τοῦ στρήνους *potentia luxuriæ* cap. XVIII. 3. qua ſcilicet ἐστρηνίασε *luxuriavit*. ib. v. 7. Neque ſcortatio duntaxat & laſcivia, ſed ſeductio etiam ad eandem, propinato incolis terræ fornicationum & abominationum philtro, Babyloni tribuitur. Nam ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πεπότικε πάντα τὰ ἔθνη *ex vino excandeſcentiæ ſcortationis ſuæ potavit omnes gentes* cap. XIV. 8. Et in manu ſua habet aureum poculum γέμον βδελυγμάτων καὶ ἀκαθάρτητος πορνείας αὐτῆς, *plenum abominationibus & immunditia ſcortationis ſuæ* cap. XVII. 4. Adeò quidem, ut Reges ipſi terræ non incolæ tantùm alii philtro iſthoc & cramate inebriati cum ea ſcortati dicantur cap. XVII. 2. XVIII. 3. 9.

Scortatio, & ad eandem ſeductio Regum & incolarum terræ.

VIII. *Tyrannis* ſeu *Crudelitas* Babylonis magnæ inde eluceſcit, quòd ceu mulier inducitur καθημένη ἐπὶ θηρίον κόκκινον *ſedens ſuper beſtia coccinea* cap. XVII. 3. & quidem μεθύουσα ἐκ τοῦ αἵματος τῶν ἁγίων, καὶ ἐκ τοῦ αἵματος τῶν

Tyrannica crudelitas adverſus ſanctos.

μαρτύ-

μαρτύρων Ἰησοῦ *ebria sanguine sanctorum, & sanguine testium Jesu.* ib. v. 6. Cujus proin vinum, quo Reges gentium inebriavit, vocatur οἶνος τοῦ θυμοῦ *vinum excandescentiæ.* cap. XIV. 8. XVIII. 3. Et in quo αἷμα τῶν προφητῶν, καὶ τῶν ἁγίων, sanguis Prophetarum & Sanctorum, *omniúmque in terra mactatorum* repertus dicitur. cap. XVIII. 24.

Blasphemandi cacoëthes & superbia.

IX. Jam & blasphemandi horribile cacoëthes eidem tribuitur, utpote sedenti super bestia *plena nominum blasphemiæ*, cap. XVII. 3. *Superbia* verò intolerabilis ejus notatur passim. Etenim dicitur περιβεβλημένη πορφύρα καὶ κοκκίνῳ *induta purpura & cocco, & inaurata auro, & lapidibus pretiosis & margaritis, habens poculum aureum in manu sua* cap. XVII. 3. & XVIII. 10. Et inducitur in sinu ac corde suo gaudens, & δοξάζουσα *glorificans* se ipsam his verbis: κάθημαι βασίλισσα, καὶ χήρα οὐκ εἰμὶ, καὶ πένθος οὐ μὴ ἴδω. *Sedeo Regina, & vidua non ero, & luctum non videbo.* cap. XVIII. 7.

Veneficia & nundinatio.

X. Sed & *Veneficium* eidem disertè imputatur, ne mulierem veneficam quandam Circen esse ignoraremus. Nam ἐν τῇ φαρμακείᾳ, *veneficio* suo omnes gentes seduxisse dicitur cap. XVIII. 23. Denique ἐμπορία, *nundinatio* quædam eidem clarè tribuitur. Quippe mercatores terræ ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους *ex potentia luxuriæ* ejus divites facti dicuntur, cap. XVIII. 3. Et eversa ac combusta Babylone mercatores terræ ploraturi & plancturi inducuntur, *quia merces eorum nemo emit amplius.* cap. XVIII. 11. Quæ merces Babylonicæ in sequentibus fusè enumerantur.

Ejus sedes aquæ multa, & bestia coccinea.

XI. Sedes Babylonis hujus, seu *loci* qualitas non semel etiam exprimitur. Dicitur enim καθημένη ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν *sedens super aquis multis.* cap. XVII. 1. nec non ἐπὶ θηρίον *super bestia coccinea.* v. 3. quod illam gestans habere dicitur *septem capita, & decem cornua.* v. 7. septem verò illa capita. v. 9. definiuntur ὄρη ἑπτὰ ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται

ἐπ' αὐ-

ἐπ' αὐτῶν, *ſeptem montes, quibus mulier inſidet*. Et v. 18. clarius id ita explicatur: *Et mulier, quam vidiſti, eſt* ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἡ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς, *Civitas illa magna, quæ obtinet regnum ſuper Regna terræ.*

XII. *Judicium* denique Babylonis magnæ per gradus procedit. Decem nempe cornua Beſtiæ cui inſidet mulier, hoc eſt, decem Reges meretricem primò *odio habituri & derelicturi, ut ſit nuda;* ſecundò *carnes ejus devoraturi;* tertiò *combuſturi* eandem igni dicuntur. cap. XVII. 16. Diſtinctiùs autem capite ſequente XVIII. ejus judicium exponitur. Etenim *primò* v. 1. 2. 3. annunciatur ejus caſus, Angelo celſa voce præconiante: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt domicilium Dæmonum, & cuſtodia omnis Spiritus impuri, & cuſtodia omnis avis impuræ & exoſæ.* Quo caſu vulgato, v. 4. Vox ex cœlo clamat: *Exite ex ea, popule mi, & peccatorum ejus participes ne ſitis, ne participes etiam plagarum ejus reddamini.* Cùmque caſu eo ſuſque deque habito nil de faſtu ſuo remitteret, quin potius in corde ſuo diceret: *Regina ſedeo, & vidua non ero, & luctum non videbo:* Deus v. 6. 7. jubet illi reddere pro merito, διπλώσατε αὐτῇ διπλᾶ κατὰ τὰ ἔργα αὐτῆς ἐν τῷ ποτηρίῳ, ᾧ ἐκέρασε κεράσατε αὐτῇ διπλοῦν, *duplicare ei duplum, ſecundùm opera ejus, in poculo, quod propinavit, propinare ei duplum, & quantum ſe glorificavit, & luxuriata eſt, tantum ei dare cruciatum & luctum.* Unde conſequitur poſterior, idemque ultimus & peremtorius ejus caſus. v. 8. *Propterea unâ horâ venient plagæ ejus, mors & luctus & peſtilentia. Et cremabitur igni, quia fortis eſt Dominus Deus, qui illam judicat.* Quem caſum acerbè deplorantes Reges terræ, qui cum ea ſcortati ſunt, & mercatores, qui ex ea quæſtum antehac fecerant, deincèps tragicè inducuntur.

Judicium ejuſdem per gradus procedens.

B XIII. Hæc

Definitur Babylon magna,

XIII. Hæc de Babylone magna in universum Apocalypsis commemorat. Ex quibus in promptu est ejus definitionem quandam ὡς συλλήβδην omnia complexam, cudere; quæ ejusmodi esse potest: ***Babylon magna est mystica** mater scortationum, & abominationum terræ, quæ gravissimorum scelerum, fornicationis, seductionis ad eandem horribilis, tyrannidis notoriæ, blasphemiarum, superbiæ intolerandæ, incantationum & nundinationis exquisitæ notis insignita, super aquis multis, & bestia ipsa coccinea septem capita, seu totidem montes, quibus incubat, & decem cornua, seu totidem Reges potestatem suam ei largientes, habente, gloriosissimæ Reginæ poculum aureum plenum abominationis & immunditiæ scortationis manu sua gestantis instar, sedens fornicari cum Regibus terræ, & infanda quæque patrare non desinit, donec Deo illam judicante, & Regibus odio habentibus cadat, existens domicilium Dæmonum, & custodia Spiritûs impuri, avísque immundæ & exosæ omnis, deserenda & deserta à piis omnibus; & ne sic quidem immanium scelerum pœnitudine ulla ducta, imò exasperata, & magis etiam se proferens, peremtorio ultimóque casu prolapsa, & cumulatis unâ horâ ejus plagis, denique igni cremata funditus horribilitérque pereat.*

& cum mulieribus Ate, Pandora, Circe, aliisque monstris comparatur.

XIV. Infaustas dirásque mulieres quasdam gentilium mythologi poëmatis suis exagitârunt. *Aten*, fictitiam Divam quandam πάντας ἀᾶται *omnes infestare*, nocere omnibus, Homerus *Iliad.* 1. finxit. *Pandora*, prima mulier, à Vulcano Jovis jussu, si Hesiodo fides est, fabricata, cum pixide clausa Jovis, ejusdem jussu ad Epimetheum, quòd ignem è Cœlo furatus in terram detulisset, missa, cujus aperta pixide omne malorum genus, morbi & calamitates sævissimæ orbem terrarum impleverunt. *Circe*, Solis & Perses Nymphæ, nec non Orphei filia, Veneficio-

rum

rum mater, Ulyſſis ſocios ob intemperantiam propinato poculo ſuo in porcos caneſque commutavit. Monſtra multa in orbe generata initio στηλιτευτικῷ ſui adverſus Vigilantium Hieronymus recitat. Quæ verò demum inauſpicata mulier, quod monſtrum horribile eſt, quod cum Babylone magna, matre ſcortationum & abominationum omnium paria facere poſſit? De qua veriùs quàm de Harpyis, Virgiliana illa ex *Æneid. lib.* 1. enunciaveris:

Triſtius haud illa monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Deûm ſtygiis ſeſe extulit undis.

XV. Eccui enim non ſtent comæ, cogitanti mulierem, ex eo ſcil. ſexu, qui viſo etiam mure trepidare ſolet, beſtiam adeò immanem non reformidantem, ſed audacter illam conſcendentem, agitantem, regentem, Reges terrarum ſubigentem, ſanguine ſanctorum ad temulentiam uſque turgentem? Quid hic Spiritus Dei aliud indigitare voluit, quàm infernalibus furiis inſtinctam agitatámque fuiſſe mulierem iſthanc, quæ mulieri illi ſanctæ, maſculum parienti & in deſertum fugienti Apoc. XII. v. 6. tremendam adeò terribilémque ſe ſe præbere voluit.

Species ejus terribilis Diaboli adverſus mulierem Sanctam machinas figurat.

XVI. Cùm verò Babylon illa magna in fronte ſua habeat nomen μυστήριον *Myſterium*, adeóque ex eorum genere ſit, quæ Scriptura חידות *ænigmata*, non quæ מליצה ἑρμηνείαν, ſeu *ſermonem clarum* Habac. II. 6. vocat; opera certè non mediocriter danda eſt, ut ænigma illud feliciter extricetur, & extricatum ad ſpiritualem uſum, permagnum certè, accommodetur. Inpræſentiarum autem παρερμηνείας, falſas myſterii hujus interpretationes, ſeu potius στρεβλώσεις detorſiones quaſdam, quas olim nonnulli animo certè innocentiore, hodie verò non pauci, quibus malè ſibi conſciis cor palpitat, nocentiore longè excogitarunt, acritérque pertendendo propugnant, ad ſanioris hermeneutices limam revocare nobis conſtitutum eſt. Præjudiciis enim

Ænigma eſt, extricandum ſedulò.

enim falsarum expositionum remotis & discussis ad clariorem mysterii intelligentiam expeditius longè iter erit.

Non notat universum mundum,

XVII. Universum mundum, qui in malo jacet, Babylonis hujus magnæ nomine figurari, nequicquam jam olim Ambrosius, Beda, Arethas, Primasius, Haymo, aliique asseruerunt. S. Johannes enim non mundum universum nomine hoc insignit, sed πόλιν civitatem certam, adeóque civitatem Diaboli, *quam*, inquit S. Augustinus, *ædificat amor sui usque ad contemtum Dei*, Civitati Dei oppositam, quæ propterea etiam non tantùm πόλις Civitas, sed etiam ἡ πόλις ἡ μεγάλη *Civitas illa magna* Apoc. xiv. 8. xviii. 10. 16. 18. vocatur; & eam quidem Civitatem, quæ obtinet regnum in Regna terræ, cap. xvii. 2. xviii. 3. 9. & Reges ac mercatores, eam immodicè plangentes. ib. v. 10. 11. &c. & populi ac turbæ, gentes & linguæ, quibus ceu aquis illa insidere dicitur cap. xvii. 15. & gentes ab illa inebriatæ cap. xviii. 7. 8. &c. septémque etiam montes quibus insidet. v. 9. quæ singula pars sunt mundi impiorum, cui Diabolus præsidet, distinguuntur. Cúmque cap. xviii. 4. jubeantur quidam exire Babylone, utique illa mundus impiorum esse nequit, cùm ex illo exitus non detur nisi per mortem. 1 Cor. v. 10.

fatentibus & probantibus etiam Doctoribus celeberrimis quibusque.

XVIII. Quas similésque ob causas Veterum, quibus eventum prædictionis nondum cernentibus fax defuit ad solidam interpretationem, illam explicationem recentiores deseruerunt plerique omnes, interpretes puta tum nostri, tum Pontificii etiam, si à paucis non ita recentibus tamen, Thoma Aquinate, Gaynejo, Castro, Malvenda, Stapletono, Sandero discesseris. Nam & Ribera, & Cornelius à Lapide, & Alcasar, & Bellarminus, & Suarezius, & Viegas, aliique in Commentariis suis alibique παρεμβολικῶς illam dedita opera refellunt. Et C. Pareus *Exercit. Theol. lib.* 11. *p.* 237. hoc etiam telo interpretationem illam oppugnat:

pugnat: *Ruina Babylonis non est interitus mundi. Ergo nec Babylon mundus. Probatur antecedens, quia ruina Babylonis & judicium meretricis idem. cap. xvij. 1. & xviij. 2. At hoc non est interitus mundi. Ratio, quia Reges, mercatores, nautæ plangent super eam cap. xviij. 9. Ergo hi erunt post judicium. At non erunt post judicium mundi.*

XIX. Affinis huic expositioni est illa, quæ Joachimo Abbati autori tribuitur; quámque etiam Seraphinus, Ubertinus de Casalis, & Dantes Italus poëta sectantur, quòd Babylon notet non in universum impiorum omnium multitudinem, sed peculiariter eorum cœtum, qui ex Christianis reprobantur, vel certè eorum, qui ex orbe Romano ad Christi fidem conversi impiè vivunt, Deíque & Christi præcepta negligunt. Cæterum hanc quoque expositionem, eadem argumenta, quæ & superiorem convellunt. A Babylone enim distinguuntur Reges & incolæ terræ, qui Christum ore confessi quidem, at scortationum & abominationum poculo inebriati, temulentíque, qua tales, electorum certè numero accenseri nequeunt. Neque etiam putandum est, vel Babylonem illam veram, & sinceram Christi fidem professuram fuisse, cùm scortatio, quæ illi tribuitur, spiritualis haud dubiè, aliud longè suadeat: vel in eorum numero, qui Babylone exire jussi, ab ea digressuri, adeóque cum muliere non ampliùs scortaturi, sed intemerato potiùs cultui Dei nomina daturi erant, hypocritas, sanctam professionem vitæ profanitate commaculantes, comparituros nullos fuisse. Si igitur Christiani reprobi alii quidem cum Babylone commiscendi, ab ea tamen distincti, alii verò à Babylonis communione segregandi, purioríque adeò quoad professionem fidei cœtui adjungendi fuerunt, jam palam omnibus erit, Babylonem magnam propriè non esse cœtum reproborum in Christiano, Ro-

Neque reprobos quosque ex Christianorum cœtu repræsentat.

no, Romano cumprimis orbe professam veram fidem Christi, fœda labe vitæ impiæ polluentium.

Alcasarii adversus sententiam eam ratio.

XX. Certè Pontificii etiam Interpretes hodierni, quantum sciam, communiter hanc non minùs, quam priorem illam interpretationem repudiant. Alcasar etiam, Jesuita Hispalensis, diffusissimus Apocalypseos Interpres, *Prol. ad cap. xvij. Disp.* 1. eam ratione oppugnare conatur, imbelli tamen, si quid judicare possum, ab acoluthiâ & consequentia Apocalypseos ducta. *In qua*, inquit, *evidens est, deflagrationi Babylonis succedere mille pacis annos, his bella Gogi & Magogi, quæ sunt Antichristi & ejus præcursorum. Quis ergo non videat, nec impiorum omnium multitudinem, nec reproborum sigillatim Christianorum cœtum ante mille illos ecclesiasticæ pacis annos finiri?* Ast verò distinctis visionibus rem eandem, vel rei ejusdem circumstantias diversas declarari, nihil prohibet. Estque hypothesis illa Alcasaris, cui nonnulli alii astipulari etiam videntur, ejusmodi, ut turbet mirè Apocalypseos sensus, & plurima obtorto collo ad conservandam acoluthiam illam rapere cogatur. Igitur temporis illius mille annorum parte quadam, & una cum Gogo & Magogo Babylonem exstituram, & mysterio suo defuncturam fuisse, nulli nos dubitamus: rejectáque illa Alcasaris ratione argumentis supra allatis, ceu firmioribus longè, & inconcussis inhæremus.

Epicrisis ad eandem.

XXI. Illud quidem haud inviti accipimus, quòd juxta expositionem hanc Joachimi, & consentientium Babylon magna orbi Romano Christiano congruit, ac proin, si fides illis habenda est, in orbe Romano Christiano stabulatur Babylon illa magna mater scortationum & abominationum, quæ Circeo poculo suo Reges & incolas terræ inebriat. Id si verum est, uti Pontificii illi Doctores pertendunt, quis non orbis Christiani Romani, Babylonem

magnam

magnam in gremio suo tolerantis, communionem omnem deserendam, Babylone infami adeò, Deóque invisa exeundum, graviter ad id stimulante ipsomet Angelo Dei, qui rei hujus gratia ex Cœlo ipso descendit, piis omnibus arbitrabitur?

XXII. Qui per Babylonem magnam veterem Babylonem, Chaldeæ metropolim famosam, intelligendam esse pertendant, oppidò pauci sunt, neque se Pontificiis etiam Doctoribus probant. Idem enim, qui supra, Alcasar his ferè argumentis opinionem illam perstringit: *Inprimis Apocalypsis ipsa declarat, Babylonis nomen huic urbi, de qua agitur, inditum, mysticè esse sumendum, quemadmodum Ægypti & Sodomæ nomen supra cap. xj. Jerosolymæ impositum est. Secundò constat Babylonem fuisse in magna planitie ædificatam. At Apocalypseos Babylon supra septem montes sita esse perhibetur. Præterquam quod textus ipse postulat, ut Babylon de qua sermo habetur, acerrimo bello Christianam oppugnet Ecclesiam, atque in hoc cæteris orbis terrarum Civitatibus antecellat. Hoc autem de Babylone hactenus verè affirmari non potest: nec aliquem reperio autorem, qui credat Apocalypseos Prophetiam in posterum implendam esse in ea ipsa urbe, cui proprium fuit Babylonis nomen.* *Babylonem veterem Chaldæam non notari; idem Alcasar probat;*

XXIII. Non contemnenda sanè sunt hæc Alcasaris argumenta. Quibus & alia non minus stringentia accedunt, cujusmodi sunt, quòd Babylon Apocalyptica tempore S. Johannis imperium habuit in Reges terræ Apoc. XVII. 18. Chaldaïca verò tum temporis ejusmodi imperium adeò non obtinuit, ut ipsa potiùs serviverit: quòdque Babylon Apocalyptica & fornicatione sua inquinatura omnes gentes terræ, & captivam Ecclesiam, ex illa quandòque exituram, retentura fuit. Atqui tale quid de Babylone Chaldaïca inde à tempore S. Johannis ad nostra usque tempora dici *aliæque etiam rationes evincunt.*

dici nullo modo poteſt. Néque deinceps in Babylone Chaldaïca tale quid eventurum cogitari poteſt, cùm ne quidem illa amplius extet, vel deinceps denuo extitura ſit, Prophetis ultimam ejus cladem, perpetuáſque deſolationes Eſaj. XIII. XIV. Jerem. L. 13. 26. 37. 42. clariſſimè prædicentibus.

Bagdad non eſt vetus Babylon Chaldæa.

XXIV. Quòd enim hodiernam urbem בגדאד *Bagdad* cum Babylone vetere, ſitus ratione eandem Geographi nonnulli, ac cum iis etiam Chaleóndylas & Curopalates faciunt, & olim quoque Arabs Interpres Geneſ. x. 10. pro בבל convertit בגדאד *Bagdad*, manifeſto errore factum eſſe non amplius habetur dubium. Babylon enim ad Euphratem, Bagdad verò ad Tigrim ſita eſt. Hodiéque rudera Babylonis viſuntur procul à Bagdad circiter XL milliaribus, vel, ut Texeira definit, teſtis αὐθημερινῆς, quantum itineris poſſit viator expeditus uno die conficere. Fontes erroris vulgati eruditè Celeb. Bochartus *Phal. lib. j. cap.* 8. aperuit: quòd Seleucia, cùm in Babylonis nomen & opes ſucceſſiſſet, non ſolùm Babylonia (ut apud Plinium & alios κατ᾽ἐξοχὴν, quia non una fuit Seleucia) ſed & Babylon appellata ſit. In eodem autem, quo Seleucia, ſolo, vel certè in proximo Bagdad cùm condita fuerit, factum hinc ut affirmarent Geographi, Bagdad ibi ſitam, ubi olim Babylon ſita erat. Liquet ergo vel uno hoc indicio certiſſimo Babylonem veterem neutiquam intelligi: utpote quæ nec S. Johannis tempore extitit, indito jam ante nomine Babylonis illi urbi, quæ nunc Bagdad inſignitur, nec unquam deinceps exiſtere debuit.

Babylon, quæ S. Johannis tempore extitit, quænam fuerit.

XXV. Illi autem urbi, cui tempore S. Johannis Babylon nomen fuit, & à cujus συνεκλεκτῇ *unà electa* fideles S. Petrus 1 Ep. v. 13. ſalutat, quæque Bagdad hodie vulgò appellatur, Saracenico Imperio obnoxia, neutiquam ea conveniunt, quæ Babyloni Apocalypſis tribuit. Nullius enim

enim Babylon illa Seleucienſis alterutram in partem nominis fuit, ut tam non ei Apocalypticæ Babylonis criteria quadrent, quam non quadrata rotundis aptari poſſunt.

XXVI. Quin potiùs ea, quæ Babyloni Apocalypſis tribuit, ad Chaldaïcæ Babylonis veteris famoſiſſimæ, ceu typi ſpiritualis illius Babylonis novæ, amuſſim apprimè congruunt, ut ad hanc S. Johannem, non ad Seleucienſem illam, alluſiſſe ambiguum neutiquam ſit. Idque analgoia utrámque inter veterem Chaldaïcam, & myſticam novam Babylonem clariſſimè demonſtrat. *Apocalyptice tamen typus fuit Chaldaea vetus.*

XXVII. Etenim Babylonis veteris initia, quæ Geneſ. xi. 1. 2. 3. 4. narrantur, condendæ urbis Babylonis, & turris in ea vaſtiſſimæ ac οὐρανομήκους rationem ejuſmodi pandunt, quòd nepotes Noachi conſtituendi השם *nominis*, ne multiplicato genere humano *diſpergerentur*, & non manerent עם אחד *populus unus* v. 6. שפה אחד ודברים אחדים habens *labium unum*, & loquens *ſermones eoſdem*. v. 1. conſilium iniverint. Cujus conſilii finem tametſi non omnes eundem conjectant, abſurdum tamen videri non poteſt, *ſi quis* ex illis ipſis verbis colligat inconditæ illi multitudini conſtitutum fuiſſe, Babylone ſedem quampiam exſtruere, in qua traditio ſermonum πατροπαραδότων cuſtodiretur, unde etiam oracula divina, & eorum ſenſus poſthac ab illis, qui ab invicem digreſſuri, & ſe huc illuc diffuſuri erant, arceſſendi eſſent, quò corporibus diviſi, fidei ſaltem unitatem tali medio retinerent, & vel ſic ſaltem עם אחד *unus populus* eſſe pergerent. Hoc certè ſignificare poſſunt verba נעשה לנו שם *faciamus nobis nomen*. v. 4. de quo *Hiſtor. Patriarch. Tom.* 1. *Exercit. xxj.* §. 10. 11. fuſiùs diſputavimus. Atque hæc Babylonis Chaldaïcæ initia fuerunt. *cujus narrantur initia,*

XXVIII. Ex talibus initiis in immenſum Babylon procedente tempore crevit, & ad ἀκμὴν, faſtigium ſuum, cum- *potentia;*

primis Nebucadnezaris tempore, enixa est. Eam igitur Nebucadnezar ipse Dan. IV. 27. רבתא בבל *Babelem magnam* insignit, & Jerem. L. 12. יולדת *mater* Chaldæorum; cap. LI. 41. תהלת כל הארץ *laus universæ terræ*. Esaj. XIII. 19. צבי ממלכות תפארת גאון כשדים *gloria regnorum, decus superbiæ Chaldæorum* vocatur. Propter opulentiam Esaj. XIV. מדהבה *aurea*, nec non רבת אוצרות *locuples thesaurorum*. Jerem. LI. 13. & propter potentiam Jerem. L. 23. פטיש כל הארץ *malleus universæ terræ* vocatur. Potestas ei competiit in multos populos, adeò ut & habitare dicatur על מים רבים *super aquas multas* Jerem. LI. 13. & גברת ממלכות *domina Regnorum* Esaj. XLVII. 5. appelletur.

scortatio, idololatria, crudelitas, blasphemia, superbia, veneficia, nundinatio,

XXIX. Jam & scelera ejus atrocissima passim Prophetæ notant. Erat enim רכה וענגה *tenera & voluptuaria* Esai. XLVII. 1. & *fornicationi* spirituali adeò dedita, ut Jerem. L. 38. dicatur ארץ פסילים *terra sculptilium*, cujus incolæ באימים יתהוללו *in simulachris insaniant*. Neque tantùm ipsa spiritualiter scortata est, sed ad similem scortationem alios, vi etiam adhibita, inducere conata est, uti vel solius Danielis & sociorum ejus, quibus falsorum Deorum cultum abnuentibus quæsitissima supplicia dictavit, exemplis liquet. *Crudelitas* ejus tanta fuit, ut inde Jerem. LI. 25. dicatur הר המשחית *mons corrumpens*, eò quòd truculentia sua omnem terram corruperit, & פטיש כל הארץ *malleus totius terræ* Jerem. L. 23. ab ipsomet Deo dicatur. Cujus quidem truculentiæ specimen in oppugnando, & captivitati durissimæ mancipando populo Dei edidit, quem etiam ita captivum *retinuit* violenter, ut *renuerit dimittere* Jerem. L. 33. donec cadente Babylone exeundi portam ipse Dominus aperuisset. *Blasphemiis* adversus verum Deum insolescens ita se jactabat אני ואפסי עוד לא *Ego & præter me non est ultra*. Esaj.

XLVII.

XLVII. 8. 10. *Superbia* ejus tanta fuit ut *καθ' ἐξοχὴν* זדון *Superba* Jerem. L. 31. imò אל יהוה זדה *adversus Deum* ipsum se *superbissimè efferens* ib. v. 29. dicatur. In corde enim suo dicebat: *Ego, non est præter me ultra* לא אשב אלמנה ולא אדע שכול *non sedebo vidua, & non cognoscam orbitatem*. Jam & *incantationibus* & veneficiis supra modum dedita fuit, adeò ut ei tribuatur עצמת חברים *fortitudo incantatorum* Esaj. XLVII. 9. ad quem locum sic Hieronymus: *Habet Babylon, omnisque Chaldæa, incantatorum, & augurum, & ariolorum, & Gazarenorum studium, quos nos Aruspices vocamus*. Denique cùm opulentissima fuerit, *Locuples thesaurorum*, Jerem. LI. 13. etiam emporiis, mercatura, & *nundinationibus* adeò famosa fuit, ut Ezech. XVII. 4. ארץ כנען עיר רכלים *terra mercatorum, & urbs negotiatorum* dicatur.

XXX. Propter atrocia hæc scelera judicium Dei finale etiam horrendúmque sancti Vates Babyloni illi denunciarunt, uti ex Psalm. CXXXVII. 8. 9. Esaj. XIII. 1. &c. XLVII. 1. 2. 3. 5. 9. 11. 13. 14. 15. Jerem. XXV. 12. LI. 8. 9. quibus locis à Persis & Medis, Deo ipso efficiente, vastanda, desolandáque prædicitur, liquet. Quæ etiam divina oracula exactissimè impleta esse, historici narrant. Hieronymus *in cap. xiij. Esaj.* refert inter signa vastitatis & solitudinis istius quondam potentissimæ Civitatis & hoc monstrari, *quòd præ multitudine Dæmonum ac bestiarum nullus eam Pastorum, hoc est, Deserti appetitor intret*, additque, se à quodam Elamita, finibus illis egresso, didicisse, *venationes Regias esse in Babylone, & omnis generis bestias murorum tantùm ejus ambitu contineri*. Et *in cap. xiv. Esaj.* descriptâ Babylonis magnificentiâ subjungit: *Hoc tantùm narravimus, ut ostenderemus, quòd ad iram Dei omnis potentia pulvis sit & favilla, & cineri comparetur. Si liceret introire barbaras nationes,*

Judicium finale.

& videre tantæ urbis extrema vestigia, videremus possessionem Hericii, & paludes aquarum, & verè completum esse, quod nunc Esajæ vocibus canitur: Scopabo eam, in scopa terens. Exceptis enim muris coctilibus, qui propter bestias concludendas, post annos plurimos instaurantur, omne in medio spatium, solitudo est.

Ex quibus ejus cum Babylone Apocalyptica analogia concluditur.

XXXI. Sicut igitur Babylon Apocalyptica vetus illa Chaldaïca esse neutiquam potuit, quippe S. Johannis tempore destructa penitus, neque unquam deinceps instauranda, ita Chaldæam Apocalypticæ typum fuisse, & hanc ad illam ubique alludere, sole meridiano clarius est. Ædificatores veteris quæsiverunt *nomen*. Nova Apocalyptica se ipsam vocat *τὸ μυστήριον mysterium*, & in eo *nomine* non parum gloriatur. Vetus Veritatis custos & depositaria esse voluit. Nova *mysterii* nomine insignita; cœlestis veritatis custos, & mysteriorum Dei interpres esse contendit. Vetus fuit Urbs magna, potens. Talis nova etiam describitur. Vetus fuit יולדת *mater*, genetrix Chaldæorum. Nova *μήτηρ mater* haberi vult omnium, qui dominationi ejus spirituali subsunt. & conceditur ei, quòd mater sit, sed per *μυκτηρισμὸν scortationum & abominationum terræ.* Vetus potentissima, opulentissima fuit. Potentiæ, opulentiæ viribus ei nova non cedit. Vetus fuit voluptuaria, scortationis & corporalis & spiritualis sceleribus famosa, crudelis, sanguinaria, Ecclesiæ sanctorum infestissima, adversus Deum blasphema, veneficiis dedita, & nundinationibus inclyta. Singula hæc ita novæ Apocalypsis vindicat, ut hæc ex illa exsculpta quodammodo videatur. Vetus Ecclesiam Dei oppugnatam, expugnatámque captivam abduxit, & pertinacissimè captam retinuit. Nova sanctis Dei bellum ἄσπονδον indixit, eósque captivos durissimè crudelissiméque habuit. Ex vetere Babylone libertas exeundi divinitùs tandem populo Dei indulta est. Ex nova

exeundi

exeundi libertatem divina vox: *Exite ex ea popule mi*, concessit. Vetus sedisse dicitur super aquis multis. Neque aliter nova. Vetus denique Babylon gravissimum Dei judicium, non tantùm confuso in ea labio, sed ad extremum etiam πανολεθρία & desolatione finali ei inflicta, experta est. Simile judicium novæ quoque Babyloni Apocalypseos oracula decernunt.

Forerii opinio, quod Babylon orientalis Antichristiana intelligatur.

XXXII. Quòd verò Forerius *Comment. in Esaj. xxiij.* aliique à Malvenda citati, pertendunt, Babylonem intelligi, Antichristianorum urbem, eò quòd Babylone, Antichristus proditurus, & in ea urbe Regnum suum inchoaturus sit; siquidem Babylonem Orientalem, quamcunque illam, intelligunt, iisdem, quibus superior de Babylone Chaldaïco, argumentis debellantur. Etenim Antichristi & Antichristianorum urbem esse Babylonem Apocalypticam, inficiamur nulli, & hactenus interpretum illorum consensum nobis gratulamur. At Babylon seu Chaldaïca, seu Orientalis alia quævis, Antichristi & Antichristianorum metropolis néque fuit, néque, quantum quidem ex vaticiniis constat, erit unquam.

Non est Saracenismus seu Lex Muhamedis.

XXXIII. Frivolum porro est, quòd Babylonem magnam Saracenismum, seu legem Muhammedis, polygamiam & fœda etiam alia permittentis, Aureolus aliique interpretantur. Quibus etiam bestia, cui meretrix illa inequitare dicitur, est Sultanus ille Ægypti, qui à Sultano Turcarum, tum in Perside residente, Regno, puta Syria & Ægypto, spoliatus est. Addunt cecidisse Saracenicam illam Babylonem in Syria A. 1100, quando Christiani Saracenis profligatis terram sanctam recuperârunt. Quomodo verò sic Babylonis nomen erit μυστήριον *Mysterium*? Quomodo decem cornua, seu Reges, & septem capita, seu montes bestiæ, cui mulier insidet, erunt Sultanus ille Ægypti? Cùm cornua illam mulierem arietaturá, nón

mulier cornua contritura dicatur? Qui etiam ſunt Reges illi terræ, quos poculo ſuo inebriatura mulier illa Saracenica, & qui mulierem denique odio habituri deſolaturíque feruntur? Denique turpi metamorphoſi mulier ac civitas illa magna, quæ judicanda graviſſimè prædicitur, in beſtiam ipſam transformatur, & caſus ac πανωλεθρία Babylonis cum Saraceniſmi in terra ſancta ceſſatione, brevíque illo gaudio, quod incerta & mutabilis fortuna ex occupata eadem terra attulit, nihil prorſus commune habet.

neque nova Roma, Conſtantinopolis.

XXXIV. Neque ſolidior eſt ſententia Aretæ, ac qui eum ſequitur, Caponſachii, Babelem magnam in novam Romam, Conſtantinopolin transformantium, eò quòd Civitas illa & ſedeat ſuper aquas multas. Non enim propriè, ſed metaphoricè illud de *populis & turbis, & gentibus & linguis* accipiendum eſſe, ipſemet Angelus teſtis omni exceptione major cap. XVII. 15. docet. Alluſio verò eſt non ad Conſtantinopolin ſed ad Babylonem veterem, quæ propter Euphratis fluminis, ad quod exſtructa fuit, magnitudinem, ſuper aquas multas ſedere, allegoricè dicitur. Conſtantinopolis certè urbs nullo modo intelligi poteſt, quæ etiam S. Johannis tempore poteſtatem habuerit ſuper Reges terræ. Apoc. XVII. 18. Taceo pleráque alia, quæ ſine aperta verborum & hiſtoriarum vi urbi illi adaptari nequeunt.

Brightmanni de Babylone duplice opinio.

XXXV. Quòd verò etiam doctiſſimus Brigtmannus noſter *Comment. in Apoc. xvj.* 19. per Babylonem magnam, cujus ibi mentio eſt, novam Romam ſeu Conſtantinopolin intelligi opinatur, non planè Aretæ & ſequacium cauſam adjuvat. Diſtinguit enim Babylonem illam, de qua Septimâ effuſâ Phialâ, loco citato ſermo eſt, à throno beſtiæ, in quem effuſa quinta phiala Apoc. XVI. 10. dicitur, adeóque etiam à Babylone illa, cujus cap. XIV. 8. & XVII. XVIII. judicium graviſſimum narratur, quam Conſtantino-

ſtantinopolin neutiquam eſſe, ultro ille largitur. Rectiùs tamen haud dubiè etiam facturus, ſi omiſſa tali diſtinctione, cujus nullum in Apocalypſi fundamentum, & quæ ambiguos lubricóſque ei ſenſus inducit, de eadem Babylone utrobique ſermonem eſſe ſtatuiſſet. Quæ enim de ruina illius Conſtantinopoleos futura divinat, forte ſunt εὐχῆς μᾶλλον ἢ ἐλπίδος, optanda quàm ſperanda magis. Repetita etiam caſus Babylonis mentio, non geminam Babylonem, ſed ejuſdem Babylonis caſum geminum arguit.

XXXVI. Remotis his paucorum ψευδερμηνείαις, veterum & recentiorum reliquorum, Pontificiorum etiam interpretum unanimis conſenſus Romam aurigatur, & Babylonem magnam Romam, occidentalem illam Imperii magni metropolin eſſe, firmiſſimè ſtatuit. Ex veteribus indicamus paucos. S. Hieronymus Epiſt. 151. ad Algaſium quæſt. 11. paucis ita definit: *Secundùm Apocalypſin Johannis, in fronte purpuratæ Meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt; Romæ æternæ.* Tertullianus *contra Judæos cap. 9. ſic & Babylon*, inquit, *apud Johannem noſtrum Romæ urbis figuram portat, proinde & magnæ & regno ſuperbæ, & Sanctorum debellatricis.* Auguſt. *de Civit. Dei libr. xviij. 2.* Romam ſecundam Babyloniam eſſe aſſerit. *Et cap. 22. Condita eſt*, ait, *Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis.* Mox *cap. 27.* Romam vocat Babylonem Occidentalem. Præter hos Ribera Jeſuita ὁμοψήφους allegat plures, puta Euſebium, Oroſium, Oecumenium, Bedam, Victorinum, alios.

Romam intelligi, aſſerunt veteres, S. Hieronimus, Tertullianus, Auguſtinus, alii.

XXXVII. Pontificii Doctores magno conſenſu id ipſum aſſerunt. Cornelius à Lapide *Comment. in Apoc. xvii.* Conſentientes inducit Viegam, Riberam, Lindanum, Alcaſarem, Bellarminum, Apringium, Gagnejum, Heſſelium, Thomam, Rizium. Et qui prius aliter Babylo-

conſentientibus Pontificiis Doctoribus pleriſque.

nem

nem interpretati ſunt, veluti Aretas, Forerius, alii; hos veritatis ſplendentibus radiis convictos mutâſſe dictum, & de Roma denique interpretatos eſſe Ribera fatetur. Addit Alcaſar, eandem expoſitionem haberi in rubricis manuſcriptis antiqui Codicis in Bibliotheca S. Laurentii. Et eodem inclinantem Propſietiam Malachiæ cujuſdam, Bernhardi συγχρόνυ, ex Arnoldo Wione in Chronicis Benedicti, idem, qui ſupra, Cornelius à Lapide citat.

& probantibus etiam id argumento duplice potiſſimùm, à Dominio in Regna terræ, & ſitu ſuper ſeptem montibus petito.

XXXVIII. Et ſanè Romam intelligi argumentis irrefragibilibus iidem confirmant, ex quibus duo potiſſimùm, à Dominio & ſitu mulieris illius petita, heic repetere, è re erit. *Dominium* quod attinet. Angelus ipſe definit Apoc. XVII. 18. mulierem illam, quam S. Johannes vidit, eſſe *urbem illam magnam, quæ habet Regnum ſuper Reges terræ*. Vocat τὴν πόλιν τὴν μεγάλην *urbem illam magnam*, quaſi diceret, illam quæ omnium ore per antonomoſiam *Urbs* dicitur, & aliis omnibus S. Johannis tempore famoſior extitit, quippe habens Imperium in Reges terræ, quod ſoli tum Romæ competiit. De quo Martialis Epigram. 12. 8.

Terrarum Dea, Gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Quæ βασιλεύουσα πόλις *imperitans urbs* Græcis; *Rerum caput & Domina* Blomdo; *Orbis totius Regina* Egnatio vocatur; & quam Ammianus Marcellinus libr. XIV. 5. dicit: *per omnes quotquot ſunt, partes terrarum, ut dominam ſuſpici & Reginam*. Romæ & Tacitus Hiſt. II. 81. I. tribuit *Reges inſervientes*, ubi acceſſiſſe Romanis Antiochum, vetuſtis opibus ingentem, & *inſervientium Regum ditiſſimum*, dicit. De eo hiſtoriæ Romanorum veterum plenæ ſunt. Tum & *ſitus* mulieris Romam manifeſtè prodit. Idem enim Angelus beſtiæ, cui mulier inſidebat, ſeptem capita facit ὄρη ἑπτὰ, ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπ᾽ αὐτῶν *ſeptem montes, quibus mulier inſidet*. Apoc. XVII. 9. Sedebat

igitur

igitur mulier, quam S. Johannes vidit, *ſuper ſeptem montibus.* Romam indicari, res ipſa clamat. Teſtatur enim Dionyſius Halicarnaſſeus *libr.* 4. Servium Tullium, Regum ultimum, Romæ ſeptem colles uno muro complexum eſſe. Apud Varronem etiam & Plutarchum mentio eſt Diei & feſti Romani *Septimontii* dicti, ob ſeptimum collem Romæ additum. *Septimontiale ſacrum* Suetonius in Domitiano nuncupat. Apud Sibyllam quoque *lib.* 11. initiò Roma ἑπτάλοφος *ſepticollis* vocatur. Ovidius Triſtium l. 4.

Sed quæ de ſeptem totum circumſpicit orbem
—— Montibus, Imperii Roma, Deumque laus.

Longum eſſet Poëtarum dicta eodem pertinentia plura repetere. Suntque montes illi ſeptem nominatim Capitolinus, Palatinus, Cœlius, Aventinus, Æſquilinus, Viminalis & Quirinalis. Quod verò Romam hodiernam Papæ ſedem non in ſeptem illis montibus, ſed in Campo Martio ſitam eſſe, nonnulli cauſantur, imprudentes ſua vineta cædunt, prodentes ſcilicet, hodiernam Romam non eam eſſe, quam S. Petrus incoluiſſe, & Cathedra ſua, in quam Pontifices ſequentes ſucceſſuri ſint nobilitaſſe creditur: & parum etiam ad rem dicunt. Sufficit enim ibi ſitam fuiſſe Romam S. Johannis tempore, & novam Romam in Veteris jura ſucceſſiſſe, ubicunque ſitum habeat. Præterea Papa quidem animi cauſa Laterano ſe ultra Tiberim in Vaticanum transtulit. Ipſa tamen ſedes non eſt tranſlata. In ſingulis etiam montibus monaſteria viſuntur.

XXXIX. Accedit his ratio firmior etiam potentiorque, prophetiæ nimirum & hiſtoriæ ſeu eventus, prophetiæ illi, quatenus hactenus impleta eſt, exactè convenientis, harmonica conſonantia, quæ vaticiniorum omnium interpretandorum quædam cynoſura & Ariadneum filum eſt. Sicut enim in humanis rebus imaginis & picturæ ſimili- *Quibus accedit complementi cum prophetia conſenſus.*

D litudo

litudo pictoris intentionem demonſtrat: ſic in divinis ſermonis Prophetici & ſeriei hiſtoriæ ſimilitudo ſententiam Spiritus S. patefacit. Si igitur, quæ Babyloni magnæ prophetia tribuit, Romæ pleráque jam eveniſſe conſtiterit, Romam Babylonem eſſe, nemo prudens vel cordatus dubitare poterit. At eveniſſe pleráque, & quæ nondum impleta ſunt, quin Romæ itidem quadrent, adeóque ibi eventura credantur, nihil penitus obſtare, in loco uberius demonſtrabimus. Roma igitur Babylon eſt.

Quæ verò Roma intelligatur, itum in partes.

XL. Qui verò Romam Babylonem eſſe nobiſcum confitentur Pontificii Doctores, quibus claritudo aliqua eſt, pœne omnes, ne Pontificem ſuum, vel Eccleſiam Romanam libera ea confeſſione lædant, ſoliciti ſupra modum ſunt. Neque tamen inter eos, quam Romam ſeligant, conſtrictos mutuis, quibus invicem digladiantur, argumentis convenit, ut vel hic etiam labium eorum, perinde ut architectorum Babylonis veteris, confuſum agnoſcas, mutuiſque vulneribus cadentes liquidè cernas.

Eſt Roma vel Ethnica vetus, vel Antichriſtiano-Ethnica nova, vel tertia.

XLI. Notat Alcaſar *in cap.* 17. *Apoc. diſput.* 1. trifariam nos poſſe de Roma loqui. Primò de Roma prout nunc eſt. Secundò, prout ſub Antichriſti adventum fore creditur ab iis, qui illam exiſtimant tunc ad antiquum idolorum cultum, & Chriſtiani nominis perſecutionem atque odium redituram. Tertiò de Roma, prout erat ſub antiquis Imperatoribus Ethnicis, cùm Chriſti Eccleſiam perſequerentur. Primam expoſitionem hæreticis, quos Evangelicos intelligit: ſecundam & tertiam Catholicis Doctoribus diſſentientibus ſcilicet tribuit. Quod ſi ſecundam & tertiam falſam & fictitiam prorſus, adeóque non niſi ad tegendam turpitudinem comparatam eſſe oſtenderimus: quid de prima ſentiendum, & quæ interpretatio Catholica, quæ hæretica ſit, ultro liquebit. At ſecundam æquè ac tertiam ſolidiſſimis argumentis, ex pharetra etiam

Cadmæo-

Cadmæorum fratrum (si enim alibi, hîc maximè juxta Poëta illud

Cadmæi fratres inter se prælia miscent.)

Doctorum Pontificiorum, qui jugulum sibi invicem ipsimet petunt, petitis convellere, in proclivi nobis erit.

Non esse veterem Ethnicam fatentur Ribera, à Lapide, alii, eò quòd judicium Babyloni intentatum in ea impletum non est.

XLII. Babylon igitur magna est Roma vel Ethnica, sub Imperatoribus persecutoribus, vel Antichristiano-Ethnica, sub finem demum mundi & adventum Antichristi ad Ethnicismum relapsa, vel tertia. Atqui nec Ethnica vetus, nec Antichristiano-Ethnica ejusmodi nova est. Ergo tertia.

Exceptio Alcasaris à Cornelio à Lapide refellitur.

XLIII. Ethnicam veterem solam intelligi, severè pertendit Alcasar ipse. Cum eodem pertendunt Bellarminus, Baronius, Pererius, Salmeron, Maldonatus, alii. Eos tamen non minus strenuè oppugnant socii & tribules, Ribera & Cornelius à Lapide, eo potissimùm argumento freti, quod gravissimum & finale judicium Babyloni magnæ denunciatum in Romam veterem Ethnicam minimè omnium competat. *Quando enim*, inquiunt illi, *vetus Roma Ethnica, venientibus una hora plagis, combusta, funditus deleta, & Babylonis Chaldaicæ Veteris instar, extremo excidio affecta est, quod Babyloni magnæ Apocalypsis patheticè adeò denunciavit?*

XLIV. Ictum huncce verè lethalem à jugulo suo depulsurus Alcasar, judicium Babyloni magnæ intentatum, ad literam ridiculè interpretatur eam vindictam, quam Deus de Roma Ethnica, & tot Martyrum interfectrice sumpsit, cum Ethnicismum sub Constantino Magno abolevit. Tunc enim, inquit, Deus Romam Ethnicam quasi occidit, eámque in Christianam commutavit, igne amoris Christi succensam. Jesuitæ frigidum Commentum hocce, Jesuita alter, Cornelius à Lapide his verbis, *Comment. in Apoc.* 17. *p. m.* 258. Solidissimè elidit: *Hæc non tantùm*

mystica, sed & ἀλληγορικὰ sunt. Convertunt enim triste, atrox & funestum Romæ excidium & conflagrationem, quod graphicè depingitur cap. xviij. in lætum, pium & omnibus votis optandum fidei, salutis & charitatis incendium.

Ejus absurditas ostensa ulterius. XLV. Et sanè figmento illo Alcasaris nihil à ratione omni alienum magis excogitari potuit. Babylon enim magna judicata est ob scelera gravissima, & in Cœlum usque ascendentia. An Roma Ethnica ob eadem scelera ad Christum conversa est? Babylon cadens facta est domicilium dæmonum, custodia omnis Spiritus impuri, & avis infaustæ. An talis Roma Ethnica ad Christum conversa? Ex Babylone cadente jubetur exire populus Dei, ne plagarum ejus particeps reddatur. An ex Roma conversa populus Dei exire debuit, ne plagarum ejus, hoc est, conversionis ad Christum particeps reddatur? Babyloni jubentur vindices reddere βασανισμὸν καὶ πένθος *cruciatum & luctum*. An conversio ad Christum fuit cruciatus & luctus? Babylonem plagæ, mors, luctus, fames & incendium, Deo eam judicante, oppressuræ dicuntur; An una hora Roma Ethnica ad Christum conversa? An conversio talis plagarum, mortis, luctus, famis, incendii, & judicii divini nomen commeruit? Denique Babylonem eversam & combustam Reges, qui cum ea scortati sunt, & mercatores terræ flebiliter deplorarunt. An iidem Romam ad fidem Christi conversam deplorarunt?

Judicium Babylonis impletum non est vastatione Romæ per Gothos, probantibus etiam Suarezio, & à Lapide. XLVI. Absurditatem mysticæ interpretationis Alcasaris palpantes alii, κρησφύγετον aliud excogitarunt. Fingunt nempe judicium Dei impletum esse in Roma, quæ sub initium quinti seculi cladem ingentem ab Herulis & Gothis passa est. Atqui & illis Jesuita Suarez. *lib. 5. cap. 7. num. 11.* Opponit rationem firmissimam, quod scil. desolatio Babylonis Apoc. XVIII. prædicta sempiterna futura sit:

Ideòque

Ideóque, inquit, *certum videtur oraculum illud in nullo præcedentium excidiorum Romæ impletum fuisse. Et cap.* 21. *n.* 6. *subjicit: Prophetia illa nondum impleta est. Nondum enim Roma penitus extincta fuit. Nam licet aliquas graves calamitates & clades non modicas sub Gothis & Vandalis passa sit, per illas tamen non est impleta illa Johannis prophetia, quia per illa excidia factum non est, ut amplius non inveniatur.* Cum igitur Babylonis excidium prædictum esse finale debeat, & fatente, & ex Apoc. XVIII. 21. 22. 23. probante Suarezio; Roma verò ex ruinis à Gothis illatis resurrexerit splendidius ferè, quàm antehac fuit, excidium Babylonis, clades Romæ à Gothis factæ esse non possunt. Addit Cornelius à Lapide *in Apoc.* 17. 1. *p.* 257. Clades illas non à decem, sed à singulis Regibus Romæ esse inflictas, néque Romam tum fuisse Ethnicam, sed Christianam ac consequenter non tam infidelem, superbam & divitem, ut Babylon describitur. Accedit, quod Roma tum passa est calamitates non à populo Dei Babylone egresso, á quo Babylon pati debuit. Apoc. XVIII. 4. sed ab illuvione barbarica, Ariana peste infecta: quodque Babylonis excidium piis materiam gaudii, impiis verò luctus præbitura est, cum clades illa à Barbaris Romæ inflicta piis doloris, impiis verò gaudii causa extiterit.

Argumenta quatuor alia, quòd Babylon non sit vetus Roma Ethnica.

XLVII. Perstat igitur Cornelii à Lapide adversus tribulis sui Alcasaris ψευδερμηνείας argumentum inconcussum & immobile prorsus. Néque desunt nobis argumenta subsidiaria, quibus Alcasaris & sociorum Babylonem de Roma Ethnica vetere explicantium opinio, ceu validissimis arietibus ulteriùs quassari & funditus subverti nullo negotio possit.

1. Quia illa non fuit mysterium.

XLVIII. Etenim *primò* Babylon in fronte scriptum nomen præfert μυστήριον *Mysterium* Apoc. XVII. 5. Sive autem sensus est, quæ de Babylone dictura erat, fore arca-

na, myſtica ſummáque admiratione digniſſima: ſive Babylonem myſterii prætextu ad inceſtum amorem ſui, ſcortationemque invitaturam; alterutrum qui Romæ Ethnicæ competere aſſerunt, aliquantò abſurdius facient, quàm ſi quis ex Alexandro M. Cybeles Sacerdotem efficere vellet. Quid enim in Roma Ethnica myſticum adeò, abſconditum, admiratione dignum fuit? An Romam Ethnicam, idololatricam, ſanguinariam, divino judicio ulciſcendam quandoque eſſe, obſcurum eſſe cuiquam potuit, ut in myſteriis id deputandum fuerit? Quorſum tam ſolicitè, & quidem myſticè, propheticè deſcribi attinebat id, quod in propatulo fidelium omnium fuit? Et numquid myſterii obtentu & ſcuto quodam potius, quàm militaris potentiæ præſidio ad eam potentiam Roma Ethnica ſurrexit, in qua orbi univerſo tremenda fuit? At Romam Chriſtianam talem quandoque futuram, qualem S. Johannes vidit, omnem certè captum ſuperavit, ut *myſterium* id veriſſimè inſigniri potuerit. Eadémque Roma Chriſtiana certo tempore myſterii ſeu religionis prætextu fucato mundum ſeduxit, dominationíque ſuæ aſtutiſſimè ſubjecit. Verbo dicam: Sub Ethnica Roma robur militare myſticæ & religioſæ larvæ multum prævaluit: Cùm contra Papalis ex myſticis, Mercurialibus, & Venereis tota conflata ſit.

II. Quia non fuit meretrix inebrians Reges & gentes terræ, ut ſecum ſcortentur.

XLIX. *Secundò* S. Johannes Babylonem, quam deſcribit, vocat πόρνην *meretricem*, adulteram, utpote quacum Reges terræ ſcortati ſint; neque meretricem ſimpliciter, ſed ejuſmodi, quæ ad ſcortandum ſecum blanditiis & lenociniis ſuis etiam Reges terræ inducat. Dicitur enim vino ſcortationis ſuæ incolas terræ inebriare, ut ſecum ſcilicet ſcortentur, cap. XVII. 2. & XVIII. 3. Scortatio haud dubiè non corporalis duntaxat intelligitur, ſed inprimis ſpiritualis, idololatria, quæ cultum ſoli vero Deo debitum,

rum, & connubii quadam fide obstrictum in creaturas transfert & τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα λατρεύει, *Creaturam supra Creatorem colit*, Rom. 1. 25. Alioquin Reges terræ cum muliere hac corporaliter scortantes vix reperias. At fieri potuit, ut cum ea scortarentur, hoc est, cultum & amorem soli vero Deo, soli Christo debitum alienarent, & mulieri tali perfidiosè impenderent. Fornicari enim cum meretrice, quod aprime hic notandum, non tam ejusdem fornicationis spiritualis seu idololatriæ communionem notat; (futurum alioquin, ut ipsi Reges cum meretrice fornicantes, secum ipsi invicem fornicarentur, utpote fornicationis communione conjuncti) quam commixtionem spiritualem cum meretrice significat. Proin cum meretrice fornicaturi non communione duntaxat sacrorum jungendi, sed meretrici cultum & amorem religiosum soli Deo debitum delaturi intelliguntur.

Cum ea Reges terræ nunquam scortati sunt.

L. Hæc certè Romæ Ethnicæ nullo modo congruunt. Neque enim cum ea ita scortati sunt Reges terræ, ut religiosè eam coluerint, & cultum amorémque soli Deo, soli Christo devinctum, in eam transtulerint. Cultum & amorem ejusmodi Roma Ethnica nunquam à Regibus terræ desideravit, flagitavit nunquam, civile obsequium, cultum comem, servitutem vilem, Regum subservientium grande pretium dominationis & victoriarum suarum reputans. Et tantum abest, ut se à Regibus terræ coli religiosè vel concupiverit unquam, ut etiam Regibus victis, vel in fidem receptis, adeóque sibi obnoxiis, religiones & ceremonias Romanas vel blanditiis, & poculo quodam scortationum propinato; vel aperta vi, in ditionibus suis exercendas imposuerit nunquam, adeóque ne communionem quidem sacrorum, nedum cultum sui religiosum, adeoque scortandi secum necessitatem injunxerit. Documento esse possunt Reges Judeæ, quibus subjectis nunquam sacra

sua

sua Romani obtruserunt, sed αὐτονομίαν ita permiserunt, ut procuratores illuc missi religiosis controversiis se se immiscere planè detrectaverint.

Neque scortatio illa impleta est, cùm Christianos ad cultum suum vi traducere Romani conati sunt.

LI. Christianum nomen, fateor, persecuti sunt acerrimè Imperatores Ethnici. An verò propterea Reges inebriarunt poculo scortationis? An, & quos Christianos Reges blanda vi ad colendam Romam, vel amplectenda etiam eorum sacra invitârunt? Et si poculo propinato scortationis invitârunt, qui Reges Christianorum poculum à Roma Ethnica propinatum biberunt? Qui epoto poculo inebriati cum Roma Ethnica scortati sunt? Quin Roma Ethnica trucidans potius Erynnis, quàm alliciens scortum fuit, magis aliarum nationum superstitiones bibit, quàm proprias blanda vi aliis bibendas propinavit.

Alcasaris distinctio inter poculum prostitutionis, & iræ fornicationis proponitur,

LII. Distinguit equidem Alcasar *Comment. ad Apoc.* 17. 2. inter propinatum poculum *prostitutionis*, & *iræ fornicationis*. De illo Apoc. XVII. 2. de hoc XIV. 8. & XVIII. 13. agi: & illo Reges invitatos esse ad luxuriam; hoc verò luxuriam detrectantes ad iram, supplicia pertractos esse asserit. Poculum prostitutionis bibisse Reges terræ, hoc est, *Romanos Senatores, qui mundum suo Imperio gubernabant, & illos etiam Reges ac Principes, qui cum Romano Imperio fœdus inierant:* alterum verò iræ fornicationis bibisse eos, quos scortari cum ea recusantes Romani ad supplicium poposcerint. Subjicit congruentius fortasse esse id ita accipere, *quasi Roma eos, qui cum illa ad spiritualem fornicationem copulabantur, suæ iræ vino ebrios reddat, id est, illos in iram atque furorem adversus Christi nomen agat.*

& argumentis convellitur.

LIII. Hæc verò διεστραμμένα ac distorta, & ad sustinendam utcunque apud domesticos desperatam causam inducta esse, vel cæcus aliquis si non viderit, at palpaverit certè. Sanè etiam Cornelius à Lapide ea sugillat ceu *ingeniosa*

niosa quidem at *minimè genuina & vera.* Enim verò vel *prostitutionem* à *fornicatione*, vel *poculum fornicationis*, à *poculo iræ fornicationis* distinguere hominis fuit ignorantis textum sacrum originalem, qui simpliciter πορνείαν vocat, quam Vulgatus interpres *prostitutionis* & *fornicationis* nominibus distinxit. Neque aliud poculum est *fornicationis*, aliud θυμοῦ πορνείας *excandescentiæ fornicationis*. Nam & poculum fornicationis, quo gentes inebriatura dicitur meretrix, est poculum excandescentiæ fornicationis, sive quia bibentes ex eo iram Dei accendunt, sive quia ipsi ignea vi, fervore & excandescentia cramatis quod in poculo est, ad scortandum incenduntur. Talis enim est Philtrorum natura, ut ad furorem & excandescentiam exardescant, quotquot ea bibunt. Ita de Imperatore Cajo Suetonius cap. 50. *Creditur potionatus à Cæsonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit.* Et cujus tandem dementiæ fuit somniare ipsosmet pios & fideles Christianos persecutiones quæsitissimas sustinentes, poculo excandescentiæ fornicationis inebriatos fuisse? Sic scilicet illi inebriati fuerunt, uti hic ad verum proferendum Alcasar ipse sobrius fuit.

Ira amasiorum meretricis adversus sanctos non est scortatio Regum cum eadem.

LIV. De cætero etiam vino scortationis inebriatos iram & furorem concepturos adversus pios & bonos omnes, qui scortatione spirituali non delectarentur, sed reos ejus reprehenderent, & ad castiorem mentem demonstratione turpitudinis inflectere conarentur, dubitari non potest. Nam & gentes scortantes ὠργίσθησαν *iratæ* dicuntur. Apoc. XI. 18. At præcipuè & Κυρίως verba illa hoc non intendunt, & de eo quicquid sit, scortatio in iis, qui ita irascentur & excandescent, & quidem cum Roma ipsa præsupponitur.

Senatores Romani non fuerunt Re-

LV. Sunto igitur inebriati poculo excandescentiæ scortationis meretricis illius illi, *qui cum illa ad spiritua-*

ges cum Babylone scortantes, sed pars Babylonis.

lem fornicationem copulati, iræ ejus vino ita inebriati sunt, ut in furorem adversus nomen Christi acti fuerint, uti Alcasar pertendit; manet adhuc quæstio, qui fuerint Reges illi, qui poculum illud bibituri, atque ita cum meretrice illa, Roma scilicet Ethnica, scortaturi, & scortatione ea in rabiem adversus nomen Christi exarsuri fuerant? Nam Romani Senatores illi, qui mundum Imperio suo gubernabant, nec Reges terræ fuerunt, sed pars ministra ipsius Romæ, Regibus subigendis opposita: nec cum Roma Ethnica Spiritualiter scortati, ac proinde etiam ex scortatione ejusmodi, ad persequendum Christi nomen excandescere non potuerunt, nec meretricem seu Romam Ethnicam, ut ille vult odio habuerunt, vel vastarunt & cremârunt, quod de Regibus scortatoribus, disertè affirmatur. Et si omnino cum Regibus terræ scortata est spiritualiter Roma Ethnica, Senatores illi non Reges scortatores fuerint, sed impuræ meretricis impuri lenones. At qui tum fuerunt Reges, cum Roma Ethnica spiritualiter fornicantes? Hoc expediat nobis Alcasar, vel quisquam emunctiorum narium alius, & magnus Apollo nobis erit.

Vinum scortationis non fuerunt opes & honores Romanorum veterum.

LVI. Neque nodum, quem ex S. Johanne dicente, quod famosa meretrix illa vino scortationis Reges & incolas terræ inebriatura sit, ut sic inebriati cum ea scortentur, nexuimus, solvit alter in diversum ferè nixus Cornelius à Lapide, qui *Comment. ad Apoc. xvij.* 2. Vinum interpretatur opes, honores, Romanorum, sive spem lucri, voluptatis & dignitatis à Romanis consequendæ, qua Reges & incolas terræ ad secum fornicandum, hoc est, idololatrandum, colendósque Deos suos pellectura fuerit. Ubi inducit etiam emblema: *Cupido κεραυνοφόρος*, id est, *fulminans*, cum hac apodosi: *Omnia vincit amor*.

LVII. Atqui *primò* fortè meretrix non tam ipsa opes, honores,

honores, potentiam amasiis suis ostentat & promittit, quàm ab amasiis, Regibus maximè & potentibus mundi ditatur ipsa. Unde enim ad tantam potentiam & opulentiam crevit, nisi à scortatione frequentata cum Regibus & potentibus terræ? *Secundò*, vinum scortationis haud dubiè mysticum, spirituale quid est, abblandiens, & lenocinans concupiscentiæ & desideriis Regum; sicut ipsa meretrix nomen *μυςήριον mysterium* præfert. Tale quid esse potuerunt mysteria doctrinæ, secreta fidei, animarum voluptatem & salutem promittentia, per quæ se infatuari Reges passi sunt, ut cum ea scortarentur, hoc est, à vero & vivo Deo deficientes, se ad meretricis amorem, vanitatem & mendacium converterent. *Tertiò* aliud longè est unâ cum alia scortari, seu communem idololatriam exercere, communes Deos colere, quod opibus Romanorum pellectos homines facturos fuisse à Lapide statuit: aliud cum aliqua scortari. Qui illud faciunt communes meretricis Deos amant, coluntque; qui hoc, ipsam meretricem ceu Deum quendam amant, coluntque. Atqui non illud, sed hoc facturos Reges & incolas terræ Apocalypsis vaticinatur. Proin Cornelio à Lapide æquè ac Alcasari incumbit ostendere, Reges terræ illos, qui cum Roma Ethnica hoc modo scortati fuerint. *Quartò* denique ne priore quidem modo Reges terræ cum Roma Ethnica scortatos esse, supra ostendimus. Notorium enim est, Romam veterem vel Reges victos delevisse, vel sacra consueta iis permisisse, saltem vino scortationis, hoc est lenociniis, blanditiis, opum, potentiæ, illecebris, quas cum *Cupidine fulminante*, seu *amore omnia vincente* ille confert, eos, ut communia secum sacra colerent, nunquam inebriâsse, quin potius aperta vi adversus obnoxios sibi pro lubitu semper consuluisse. Quin tantum abest, ut Ceremonias suas aliis Regibus gentibusque Roma vetus obtruserit, ut ipsa potius

à devictis gentibus religionem acceperit. Testatur id Leo Papa *Serm.* 1. *de Petro & Paulo*, his verbis: *Hæc civitas ignorans suæ provectionis authorem cùm pœne omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus. Et magnam sibi videbatur assumsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Atque id adeò verum est, ut cùm Romani illi Christiani nominis hostes infensissimos sese gesserint, non defuerint tamen inter eos etiam Imperatores, qui Christum ipsum inter Deos referendum censuerint, honoréſque illi divinos tribuerint. Id de Tiberio Tertullianus *Apolog. cap.* 5. & 21. Hadriano & Alexandro Severo Lampridius *Alexand. Sev. cap.* 23. 51. testantur, quorum testimonia Doctiss. Huetius *Demonstr. Evang. pag.* 63. 64. 65. solidissimè vindicat.

III. Quia Bestia, super qua Babylon equitavit, non fuit populus Romanus gentilis.

LVIII. *Tertiò* Babylon magna inducitur sedens in *Bestia* eam portante Apoc. XVII. 7. 8. &c. Bestia illa meretricis jumentum, haud dubiè populos Babyloni subjectos designat: ut qualis Bestia est, talis etiam Babylon censeri debeat. Atqui Bestia neutiquam populum Romanum gentilem, à Roma Ethnica gubernatum significat. Successit enim Draconi, seu Diabolo gentes ad idololatriam crassam seducenti, quod in Roma Ethnica factum esse, manifestum est. Non igitur Bestia illa Roma esse Ethnica potuit, quod infra deditâ operâ demonstrandum suscepimus. Proin nec Babylon eam inequitans Roma Ethnica esse potuit.

IV. Quia Roma Ethnica non consuevit nundinari animas.

LIX. Accedit denique *quartò* Babylonis magnæ nundinatio animarum, quæ Romæ Ethnicæ nullo modo convenit. Testatur enim Apocalypsis Cap. XVIII. 11. 12. 13. eversam Babylonem planxisse mercatores, quia nemo amplius emit *τὸν γόμον mercimonium ejus*, quas inter mercimonii species postremo loco referuntur etiam *ψυχαὶ τῶν ἀνθρώπων animæ hominum*. Cujusmodi mercimonium animarum

marum eſſe poteſt, ſi poteſtatem in animas, conſcientias, puta ex plenitudine poteſtatis ligandas, ſolvendas, legibus latis pro lubitu obligandas, remunerandas & puniendas; Cœlo vel Orco inferendas ſibi quovis modo aliquis acquiſiverit, vel rapuerit, atque ea poteſtate ad commodum lucrumque etiam ſuum uſus fuerit. Spiritualis igitur nundinatio intelligitur, qualis tribuitur Simoni Mago Act. VIII. 18. 19. 20. quibuſdam. *καπηλεύουσι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ cauponantibus ſermonem Dei*. 2 Cor. II. 15. fideles *πλαςοῖς λόγοις ἐμπορεύονται fictis ſermonibus negotiantibus*. 2 Petr. II. 3. denique iis, qui pietatem quæſtum putant, 1 Tim. VI. 5. Atqui nundinationem ejuſmodi animarum Roma Ethnica nunquam exercuit, neque quomodo exercuerit, quiſquam oſtendit hactenus.

LX. Nam quòd Cornelius à Lapide *Comment. ad h. l.* mercimonium iſthoc *animarum* interpretatur emptionem *vitarum* hominum, ut cum gladiatoribus, vel cum beſtiis in circo depugnent; adeóque *mancipiorum* morti deſtinatorum, uti alter Jeſuita Ribera explicat, nimis id certè dilutum eſt. S. Johannes enim diſtinctè mercimonium *τῶν σωμάτων καὶ ψυχῶν corporum & animarum* commemorat. Animarum autem á corporibus diſtinctarum mercimonium ad *θηριομαχίαν* ejuſmodi & piaculares victimas non requirebatur, cùm ad eam corpora, non animæ concurrerint. Quin conſultò Spiritus S. conſtructionem mutaviſſe videtur, ut diſcrimen notaret. Non enim animæ memorantur in ſecundo caſu, ut in præcedentibus, *& merces equorum, & rhedarum, & corporum*, ſed inde tranſitur ad quartum caſum, *καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων & animas hominum.* Quo ſignificatur haud dubiè, diſtinctam planè eſſe, diverſámque rationem mercimonii *corporum & animarum*. Si igitur vetus Roma fidelium, vel aliorum etiam mancipiorum *ἀργυρωνήτων* vitam infeſtando, & gladiatoribus beſtiis objiciendo,

Mercimonium animarum Babylonis non fuit emtio hominum cum beſtiis depugnantium, vel mancipiorum.

 do,

do, mortíque devovendo, vitas hominum in commercio habuit (quanquam insolens hæc locutio foret, cùm ejus rei, quæ destruitur nulla sit *ἐμπορία*, mercimonium nullum) mercimonium utique fuisset corporum, quæ sola occidi potuerunt, & non *animarum* perspicuè adeò à corporibus distinctarum, quas homines occidere, destruere non possunt. Matth. x. 28.

Grotii figmentum, quòd ψυχαὶ mancipia notent, refellitur.

LXI. Supparasitatur quidem heic Jesuitis Hugo Grotius, qui ex Ezech. xxvii. 13. ubi Javan, Thubal & Mesech dicuntur רוכלים בנפש אדם *negotiari ἐν ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων cum animabus hominum*, hoc est, cum hominibus mancipatis in servitutem; pertendit etiam hic ψυχὰς *animas*, mancipia notare. Ad quod exemplum Græcos posteriores servulos ψυχάρια vocâsse, observante Doctissimo Meursio, addit. Liberi enim homines, inquit, corporis sui domini, servi nil nisi animam possident, nam corpus est domini. Atqui talium mancipiorum sub voce σωμάτων *corporum* mentionem fieri oportuit, si de mancipiis in hoc textu omnino sermo est. Neque hic locus, in quo animæ à corporibus distinguuntur, cum loco Ezechielis xxvii.13. in quo distinctio ejusmodi nulla occurrit rectè comparatur. Et si animam possident servi, corpus verò eorum domini esse, utique in Romanorum commercio animæ mancipiorum esse non potuerunt. Græcis quidem σώματα *corpora*, non ψυχαὶ *animæ* sæpissimè notant servos & famulitium domesticum, uti ex Aristotele *Rhet*. 1. & Demosthene *Philipp*. 3. Linguæ illius callentes probant. Ut verò corpus absolutè poneretur pro homine libero, anima verè pro homine servo, nec Græcis, nec Latinis S. Johannis tempore cumprimis, in usu fuit. Etsi enim ψυχάρια ultimi Græci dixerunt pro servulis, prout & ultimi Latini eos *animalia* vocârunt, servos tamen ψυχὰς *animas* antiquitus vocatos esse, non æquè proclive probatu est. Ψυχαγωγοὶ quidem

plagiarii

plagiarii dicebantur, non quòd ψυχὴ per se sit *servus*, sed quòd absolutè posita ea vox, & à corpore non distincta personam humanam, sive ingenuæ, sive servilis conditionis sit, significet.

LXII. Cùm igitur Roma Ethnica vetus judicium Babyloni intentatum subiverit nunquam, mysticum, tale scilicet, quale Babyloni tribuit Apocalypsis, habuerit nihil, scortationis vino Reges & gentes ad scortandum secum nunquam pellexerit; Bestia illa, quam Babylon inequitare dicitur, nunquam extiterit, denique nec animas etiam à corporibus distinctas nundinari sueverit; uti hactenus firmiter, plerisque famosis doctoribus, adversarum partium consentientibus, astruximus: Babylonem magnam, quam Apocalypsis describit, eam non fuisse, liquidò consequitur. *Collectio argumentorum, quòd Roma Ethnica Babylon non fuerit.*

LXIII. Quos verò hactenus consentientes, & à tribulibus suis in alia omnia euntes vidimus, Blasius Viegas, Franciscus Ribera, Cornelius à Lapide, Leonhardus Lessius, alii, ne Ecclesia eorum detrimentum aliquod patiatur, aliam quercum excutiendam sibi putârunt. Pertendunt nempe illi, Babylonem magnam notare Romam Antichristiano-Ethnicam, qualis futura sit paulò ante finem mundi, tempore Antichristi, sub quo Roma à fide Christi & obedientia Papæ ad veterem Ethnicismum relapsura sit. Idque permissurum Deum addunt illi, ut urbem ab Ecclesia secernamus, útque Romani, quorum peculiaria vitia erant fastus & protervia, non suis meritis, sed Christi Petrique gratiæ tribuant, quòd sedem Pontificiam, & Ecclesiæ metropolim obtinent. *Futuram eam esse Romam Antichristiano-Ethnicam sub finem mundi, Viegas, Ribera, à Lapide, alii pertendunt.*

LXIV. Sententiam hanc verbis ipsius Cornelii à Lapide exponere, haud ἀπροσδιόνυσον fuerit. Porro ita ille *Comment. in Apoc. xvij. p.* 257. scribit. *Cùm liber signatus, Apocalypsis, sit Prophetia de futuris in fine mundi sub* *Proponitur opinio verbis à Lapide.*

Anti-

Antichristo, hinc sequitur, hæc intelligenda esse de Roma Urbe, non quæ est, aut quæ fuit, sed quæ erit in fine mundi, ac consequenter Romam Urbem tum redituram ad pristinam suam gloriam, pariter & idololatriam, alidque vitia, ac talem fore, qualis fuit tempore S. Johannis sub Domitiano, Nerone, Decio &c. nimirum ex Christiana tum rursus fiet Ethnica; Pontificémque Christianum & fideles ei adhærentes ejiciet, persequetur, & occidet, uti dicitur v. 6. Unde vocatur meretrix, quia omnium Deorum cultu, superstitionibus & vitiis imbuta, quasi meretrix prostituta cunctis gentibus, gentiúmque Diis sedebit. De hac enim rectè dicitur, quòd sit Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ; quòd sit ebria de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu, quódque Deus judicabit & vindicabit in ea cædem Apostolorum. Quia nimirum in fine mundi ipsa rursum Ethnica æmulabitur persecutiones Imperatorum Ethnicorum in Christianos, itaque Deus in ea puniet & propriam & antiquam patrum infidelitatem. Si quis tamen, ita pergit, *per persecutionem malit intelligere hæresin, ac dicere, Romam in fine mundi lapsuram in hæresin, aut simile vitium, uti singulis seculis novas videmus oriri hæreses, ideóque persecuturam Orthodoxos, æquè ac olim Ethnici persecuti sunt, itaque imitaturam & impleturam ipsorum peccata ac propter illa pariter ac sua, à Deo puniendam, ac concremandam, non multùm repugnabo, quamvis contextus magis faveat priori sententiæ.* Quemadmodum autem Roma ad Ethnicismum relabi possit, deinceps declarare conatur exemplo Hierosolymæ, quæ, inquit, *primò fuit pagana sub Chananæis, secundò fidelis sub Judæis, tertiò Christiana sub Apostolis, quartò pagana rursum sub Romanis, quintò Saracenica sub Turcis.* Concludit tandem, se hæc eò dixisse, ut osten-

ostendat, *se cum heterodoxis in fide candidè & liberaliter agere, non fugere difficultates, non tergiversari, nec affectu agi, sed ratione.*

LXV. Verùm, ut à postremo ordiar, forte deligendæ hujus sententiæ causam non habuit à Lapide candorem & ingenuitatem, qualem de se prædicat, sed desperationem potiùs quandam, & quia futura merè contingentia fingendo pro lubitu, si non castiùs, at cautiùs certè mercari, & infamiam omnem à Roma Christiana averruncare se posse speravit. Alioquin à candore & ingenuitate erga nostros reliqua ejus scripta nimium nimiúmque abesse, nemo, nisi Teresia talpa cœcior, non videt, non palpat. *Ejusdem candor hypocriticus.*

LXVI. Merum autem esse expositionem illam κερησφύγετον, inde liquet, quòd nullum in Scriptura, nullum in Patribus, nullum in Scholasticis prioribus, firmamentum, nulla rationum momenta, denique præter audaces & vanissimas conjecturas præsidii nihil habet. Proin etiam Doctores Pontificii celeberrimi eam rejiciunt, acritérque flagellant. Suarez *lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 10. probari eam sententiam posse negat. Alcasar *Not.* 13. *Proœm.* fusè eam refellit. Justinianus *in* 2 *Thess.* 2. de ea sic loquitur: *Quid hoc aliud est, quàm divinare?* Malvenda, qui multùm in hac causa sudavit, eam ceu *incredibilem* detestatur. E' recentioribus etiam Alphonsus Pandolphus *de Fine mundi p.* 360. hanc opinionem *penitus improbandam, & à veritate prorsus alienam* judicat. *Quamvis*, inquit inter alia, *Clarissimæ notæ Theologi, Scotus, Bellarminus, Suarez tradant, fieri posse, ut sedes Apostolica omnium suprema in aliam urbem aut Ecclesiam transferatur, & sic supremus Ecclesiæ Monarcha successor Petri amplius non esset, nec vocaretur Romanus Pontifex, sed totius Ecclesiæ Catholicæ universalis Patriarcha; tamen existimo, id nunquam esse eventurum, neque ante mundi finem Romam* *Opinio ea rejicitur à Pontificiis plerisque.*

à fide Catholica defecturam, quod mihi potissimùm persuadent testimonia Cypriani & Hieronymi. quæ mox etiam producemus.

Alcasaris adversus eam ratio. LXVII. *Authores hi*, ita Alcasar *loc. cit.* expositionis hujus inventores & patronos premit, *rem novam, incertam & improbabilem in medium adducunt. Cui enim unquam venit in mentem, rationi consentaneum esse, ut qui ænigma difficillimum æquè & gravissimum extricare aliter nesciam, novum quiddam & inauditum excogitem, quod sublato ipso ænigmate nullam probabilitatis speciem habeat? Quod si ea fuit eorum mens, ut aliquam Apocalypseos interpretationem invenirent, quæ bonis ingeniis satisfaceret, planè ab eo scopo aberrârunt, siquidem nec eorum declaratio doctorum est consensu recepta, neque invento fides habita.*

Iudicio ejusdem favet sententia illa nostris, & Romæ Christianæ perpetuitatem destruit. LXVIII. Neque immeritò idem eosdem hoc argumento inter alia pungit: *Cùm res sit adeò incerta, miror illos authores non fuisse veritos, ne quam ansam præberent hæreticis* (Evangelicis) *Romam ejúsque in Divorum imagines religionem detestantibus, in nos cavillandi, atque adeò jactandi, doctos etiam homines inter nos ipsos reperiri, qui affirment, Romæ perversionem & ad idololatriam reditum fuisse in Apocalypsi prædictam.* Rectè tale quid tibi, Alcasar, animus præsagivit. Revera enim Evangelici, quos tu Babyloniæ, hæreticorum infami titulo probrosè traducis, non parùm sibi gratulantur, agnoscúntque, non sine provido Numine evenisse, ut jurati cætera hostes veritati testimonium redderent, confiterentúrque adeò Romam Christianam in idololatriam (quæ imaginum quarumcunque, & quoscunque repræsentantium cultu, ut alias species non attingam, committitur) & Antichristianismum ipsum aliquando prolapsurum esse. Vel igitur vacillabit Divinarum promissionum, quibus freti Ecclesiæ

clesiæ Romanæ perpetuitatem & ἀναμαρτησίαν hactenus vindicastis, fides vel promissiones illæ obtorto collo raptæ fuerunt ad probandum id, quod gregales hi rotundo ore improbant. Sed & magnificis illis, quibus hactenus Roma superbivit, dictis S. Patrum, veluti S. Cypriani *Epist.* 55. dicentis, *Ad Romanam Ecclesiam perfidia non potest habere accessum*; nec non S. Hieronymi *lib.* 3. *contra Rusticum* scribentis: *Romana fides Petri authoritate munita non potest mutari*, (quibus consentaneum etiam Benedicti apud S. Gregorium *Dial. lib.* 1. 15. prophetiam quòd Roma ab infidelibus nunquam evertenda sit, Alcasar addit) per hanc sententiam vel nulla fides constare potest, vel alius omnino sensus ab eo, quem hactenus iis affinxerunt, aptandus fuerit. Quicquid sit, ratum est, Romam Christianam potuisse Antichristianam, idololatricam & quidni etiam quadantenus ethnicam; cùm idololatræ omnes ethnicis nihilo meliores sint, evadere. Quod verò Pontificem ipsum ex hoc incendio eripere Ribera & à Lapide conantur, non succedere dolum fatebuntur, quotquot rem ipsam penitiùs introspexerint. De quo tamen hic dicendi locus non est, ubi falsas duntaxat de Babylone magna interpretationes ad partes vocamus.

LXIX. Unum hoc à sententiæ hujus assertoribus, Cornelio à Lapide maximè, qui *ad Apoc.* 17. 17. disertè asserit, Romam ab Antichristo per decem Reges evertendam esse, sciscitari libet, anne cùm Roma Christiana sub finem mundi in Antichristianam degenerabit, Antichristi ipsius sedes & ara futura; an potius cum Antichristo alibi, Hierosolymæ scil: (quam illi sedem Bellarminus aliique deputant) sedente & stabulante communionem habitura, & propter ejusmodi communionem Antichristiana auditura sit? Si *prius* affirmaverint, jam igitur Roma, non Hierosolyma sedes Antichristi erit, repugnante licet, quantum *Dilemma adversus eandem.*

 volue-

voluerit, Bellarmino, aliisque. De quo etiam Apocalypsis dubitare non sinit. Neque enim Antichristus esse poterit extra Babylonem magnam, & Bestiam, cui illa insidet, hoc est, populos omnes terræ, qui Antichristo parent. Atqui & Babylonem magnam & Bestiam ipsam, cujus septem capita, septem Colles sunt Apoc. XVII. 9. Romæ eadem ostendit, in parte puta dominante & parente. Quod si Roma sub finem mundi Antichristi sedes erit; Roma Christiana, non Ethnica, hoc est, nomen Christi penitus abnegans, Antichristi sedes erit, utpote qui sessurus dicitur *in Templo Dei, tanquam Deus, ostentans se ipsum quasi Deum* 2 Thess. II. 4. Quomodo Roma merè Ethnica, nomen Christi penitus ejurans, erit Templum Dei? Si *posterius* pertenderint, mirabuntur meritò omnes, eodem tempore extra Babylonem magnam, Romam scil. illam Ethnicam, quæ dicitur sedere super multis aquis, seu populis, cum qua Reges terræ scortabuntur, cujus scortationis vino incolæ terræ & πάντα τὰ ἔθνη *omnes gentes* inebriabuntur, quæ mater erit scortationum & abominationum terræ, cujus decem cornua pugnabunt cum Agno; quæ sedebit Regina felicitatem inconcussam sibi promittens; extra inquam Babylonem talem, seorsim, sive Hierosolymæ, sive alibi Antichristum locum aliquem habiturum esse, si extra Romam Ethnicam Antichristus aliquis erit, & propter communionem cum illo Roma Antichristiana erit, jam non Babylon magna, seu Roma Ethnica, verùm Antichristus ille, utpote scaturigo malorum omnium & fundi calamitas, erit mater scortationum, & vino scortationis suæ omnes gentes inebriabit. Nisi fortè fictitius ille Antichristus erit pater & Roma mater; ille vinum miscebit, hæc propinabit.

Cum hypothesi de duratione

LXX. Antichristum ante finem mundi regnaturum tres annos & dimidium, hypothesis est, à qua οἱ ἐξ ἐναντίας se di-

ſe dimoveri haud patiuntur, de cujus veritate heic nil diſputo. Dividatur tempus illud, decernatúrque, an, quæ Antichriſto & Babyloni Scriptura tribuit, ejus intervallo evenire omnia potuerint. Primò quidem Antichriſtus ille Hieroſolymæ, ſi Deo placet, reſidens, & jam arcem Dominationis ſuæ occupans, inde communionem cum Roma inſtituet, eámque ſeducet, & in malitiæ conſortium pertrahet? An, qui tum Pontificem Romæ aget, purpuratorum ſuorum choro ſtipatus, & tot gentium præſidiis firmatus, tam ſegniter Antichriſto reſiſtet, ut brevi adeò tempore vincat, & ima ſummis miſceat? Mox Roma ipſa non uni alicui populo, ſed tot Regibus & populis idololatriam non vi aliqua, ſed illecebris & blandimentis ſuis obtrudet, adeò ut cum Roma ſcortentur aſſiduè. Quin ex ſcortatione illa potentiam immenſam comparabit, & mercatores terræ ita liberaliter unget, ut opulentiſſimi evadant. Demum ruet Roma, ſed nondum corruet, verùm collectis poſtliminio viribus ſedebit iterum ut Regina, & ſe ſuperbiſſimè proferet. Tandem impleta peccatorum menſura obruetur, & excidetur ſubitò. Atque non ſic quidem finis erit omnium, nam & Reges ſuperabunt, & mercatores, qui perditæ Babyloni leſſum canent & inferias facient ſolenniter. Hæccine omnia intra anguſti illius, quod Antichriſto definiunt, temporis cancellos ſingula eventura putabimus? Et temerè id aſſerentibus, prophetiam modo ut ἐξουθενεῖν exinanire, vel certè obſcurare, & à genuino eventu ſuo, rebúſque experiundo pridem liquidò cognitis ad *nova, incerta, incredibilia*, ut Alcaſar & Malvenda non ſine indignatione quadam appellant, abducere poſſint, fidem nos habebimus?

Antichriſti ἀνύστατον eſt.

LXXI. Ad dedecus Romæ Chriſtianæ pertinet, quòd Ribera callidum inventum ſuum ea ratione probabile reddere conatur, quòd multi hodiéque ſint Romæ, qui & no-

Ribera injuria nobilibus Romanis illata.

minibus & stemmatis se ex Veterum Romanorum genere esse comprobent, genúsque suum referant ad eorundem stirpem, quos ad majorum suorum idololatriam & scelera relapsuros ille divinat: quódque illi minimùm eandem civitatem cum veteribus incolentes, unum etiam cum illis corpus censeri possint. Quid de infamia hac nobilibus Romanorum prosapiis inusta censendum sit, viderint ipsi, conscii soli, qualem θυμὸν ἐν στήθεσι gerant. Illud saltem injuriam sibi ab amicis factam vægrandem Romani illi interpretabuntur, quod asseverat ille, eos *eandem Civitatem cum ethnicis veteribus incolentes, unum etiam corpus cum illis censeri posse*, atque idcirco ad ethnicismum relapsuros. An non verò Papa etiam & Cardinales eandem civitatem incolunt? Quid de illis igitur Ribera ariolatur? Et si ingenia & pietatem impietatemque locorum situs, vel civilis compages & contesseratio format, quid de ipso Ribera fieri debuit, qui eandem Hispaniam, non aliam puto, inhabitavit, quæ à Mauris seu Saracenis Africanis diu olim insessa fuit?

Ejusdem & à Lapide argumentis occurritur.

LXXII. Neque momenti alicujus est, quam urget à Lapide, ratio, *quòd Apocalypsis sit Prophetia de rebus futuris in fine mundi sub Antichristo;* cui etiam succollat subsidiaria ratio Riberæ, quod Apoc. XVI. 19. dicitur, *Babylonem magnam venire in memoriam ante Deum*, & cap. XVIII. 5. *recordari Deum iniquitatum ejus.* unde colligunt illi, demum sub finem mundi impletum iri, quæ de Babylone magna Apocalypsis prænuntiavit, ac tum veterem etiam Romam Ethnicam, unâ cum novissima punitum iri. Etenim Apoc. I. 19. jubetur S. Johannes scribere *quæ vidit*, καὶ ἅ εἰσι, καὶ ἃ μέλλει γίνεσθαι μετὰ ταῦτα, & *quæ sunt, & quæ posthac* (non in fine duntaxat) *futura sunt:* Distinguendum illi fuerat judicium Babylonis, à judicii causis, & Babylone ipsa. Judicium peremtorium sub finem

nem mundi, ſeu extrema tempora conſummabitur. At Babylon ipſa diu ante judicium & exiſtet, & longo ſatis temporis tractu judicium mereri, ac theſaurum iræ Divinæ in diem iræ accumulare debuit. Proin Deus jam jam vindictam ultimam de Babylone expetiturus, *recordari* iniquitatum Babylonis, & Babylon ipſa *in memoriam* tum *venire ante Dominum* dicitur, quia ſcelerum diu, continuéque patratorum, & myſterii iniquitatis à longo tempore operari, & fata Babylonis provocare non ceſſantis recordatus Deus ad vindictam procedet; non quia peccata Romæ Ethnicæ, tamdiu interrupta, & oblivione veluti obliterata, vel certè æterna damnatione expiari pridem cœpta, occaſione ſcelerum Romæ noviſſimæ, memoriam demum ſubitura, & vindictam flagitatura ſunt. Certè ſcelera quædam magnæ Babyloni Apocalypſin tribuere, quæ à Roma Ethnica patrata non ſunt, ac proinde, ut in ea punirentur, in memoriam Dei venire non poterant, jam ſupra animadvertimus.

LXXIII. Sibyllarum oracula nequicquam iidem ſolicitant. Quid enim folia earum ad obſcurandam veræ prophetiæ veritatem? Quanquam ne obſcurant quidem, ſed confirmant potiùs, ut ex Apocalypſi deſumta, hoc quidem in argumento, vero haud ſit abſimile. Non enim aliud *lib.* 8. Romæ ante finem mundi denuntiant, quàm cœleſtes plagas, combuſtionem & deſolationem extremam. ἔσαι ἡ Ρώμη ῥύμη. *Erit Roma vicus*, inquiunt. At futuram ſub finem mundi denuò Ethnicam, & ejecto Papa ac Cardinalibus, puniendam, neutiquam illæ præſagiunt. *Cùm caput illud Orbis occiderit*, inquit Lanctantius *lib.* *vij.* 25. *&* ῥύμη *eſſe cœperit, quod Sibyllæ fore ajunt, quis dubitet, veniſſe tum finem rebus humanis, orbique terrarum?*

Sibyllarum de Roma excidio vaticinium.

LXXIV. Sic ad liquidum perduximus, Babylonem magnam

Cùm Babylon nec ve-

tus Roma Ethnica fuerit, nec novißima Antichristiano-Ethnica futura sit, tertiam esse concluditur.

magnam non esse etiam Romam sub finem mundi demum Antichristianam & Ethnicam futuram. Cumque omnino Roma sit, consentientibus Doctorum Romanorum plerorúmque omnium calculis, Roma verò nec Ethnica vetus esse potuerit, uti nobiscum famosissimi Jesuitæ, Ribera, à Lapide, Lessius, Viegas, alii agnoscunt, & argumenta omni exceptione majora convincunt: nec novissima Antichristiano-Eth-nica esse possit, ut nobiscum Jesuitæ alii haud ignobiliores illis, Alcasar, Suarez, Justinianus, Malvenda, alii, confitentur, & argumenta haud minùs stringentia fidem indubiam faciunt, infallibili consecutionis nexu inferimus, Romam tertiam, nec Ethnicam, nec Antichristiano-Ethnicam, propriè scilicet talem, nomen Christi prorsus ejurantem, sub finem mundi extituram intelligi. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DISSERTATIO
SECUNDA
QUA

Falsæ de Bestia, meretricem portante, interpretationes refelluntur.

BREVIARIUM.

I. *Babylonis mysterium, non intellecto Bestiæ mysterio, cognosci nequit.*

II. *Bestiæ descriptio summaria,*

III. IV.

III. IV. *ratione totius*,
V. & *partium, puta capitum*,
VI. & *cornuum*.
VII. *Definitio Bestiæ*.
VIII. *Meretricis & Bestiæ distinctio*.
IX. *Bestia meretricem portans cum Bestia marina convenit*.
X. *Repugnantibus Ribera, à Lapide, quorum argumenta solvuntur*.
XI. *Bestiam dicens S. Johannes Danielis stylo loquitur*.
XII. *Bestia mulierem portans cum Bestia priore Apoc. xiij. descripta convenit*.
XIII. *Falsæ interpretationes Bestiæ quatuor recensentur*.
XIV. *Prima Riberæ, Viegæ, à Lapide, quòd sit Diabolus in mundo dominans, verbis à Lapide exponitur*,
XV. & *illustratur amplius*.
XVI. *Refutatur eadem ab Alcasare, eò quòd Apoc. xiij. 1. à Dracone seu Diabolo destinguatur*.
XVII. *Eadem expositio aliis etiam argumentis refellitur, cujusmodi sunt, quòd dici nequit, meretricem seu Romam, uti pertendunt illi, Antichristiano-Ethnicam Diabolo inequitare*,
XVIII. *quod Diabolus dici nequit fuisse & non esse, & ex abysso ascendere*,
XIX. *quòd eidem septem capita, montes, Reges*,
XX. & *decem cornua seu Reges aptari nequeunt*.
XXI. *Imperium aliquod maximum Bestiæ nomine figuratur*.
XXII. *Expositio secunda Bestiæ, quòd Romanum Imperium Ethnicum notet, verbis Alcasaris proponitur*,
XXIII. *refelliturque tum eo, quod meretrix ipsa Roma*

 Ethnica

Ethnica non fuit, proin nec Bestia ejus jumentum esse potuit,

XXIV. *tum argumentis aliis, veluti* I. *quòd Bestia successit Draconi, per Romam Ethnicam imperanti.*

XXV. *Alcasaris exceptio, quòd Draco notet Diabolorum Rempublicam, refellitur.*

XXVI. II. *quod Roma Ethnica fuisse, & non esse, & ascensura ex abysso, & in exitium abitura dici nequit. Alcasaris exceptio elisa.*

XXVII. III. *quòd Romæ Ethnicæ septem capita non quadrant. Alcasaris exceptio, quòd septem persecutores Romani intelligi possint, quatuor argumentis refutata.*

XXVIII. *Ejusdem exceptio, quod indefinita multitudo persecutorum intelligatur, proponitur,*

XXIX. *& discutitur.*

XXX. IV. *quòd decem cornua Bestiæ, seu totidem Reges, Romæ Ethnicæ non congruunt. Alcasaris detorsio cornuum ad Senatores Romanos proponitur,*

XXXI. *& quatnor argumentis rejicitur.*

XXXII. *Argumenta ex Apoc. xiij. eidem expositioni opposita.*

XXXIII. *Expositio tertia Viterbiensis, quòd Bestia Imperium Turcicum notet, proponitur,*

XXXIV. *& ab Alcasare ipso, solidísque etiam argumentis convellitur.*

XXXV. *Expositio quarta Hugonis Grotii, quod Bestia Domitiani Imperium figuret, proponitur.*

XXXVI. *Ejusdem absurditas in genere demonstratur.*

XXXVII. *& quinque argumentis asseritur.*

XXXVIII. *Romam parentem non vel Ethnicam veterem, vel Antichristiano-Ethnicam novissimam, sed tertiam denotari, concluditur.*

I. Baby-

Babylonis mysterium, non intellecto Bestiæ mysterio, cognosci nequit.

I. Babylonis magnæ mysterium non intellecto mysterio Bestiæ, cui impura meretrix illa inequitare dicitur, feliciter extricari nequit. Sicut enim relata se mutuò illustrant, ita Babylon & Bestia, quæ ita ad se invicem, ut rectores ad subditos, imperantes ad parentes referuntur, lucem haud dubiè non contemnendam invicem fœnerantur. Ut verò Bestiæ mysterium intelligentiæ nostræ sese promptiùs offerat, falsas ejusdem interpretationes ante omnia refelli, adeóque nebulas mysterio, ab iis potissimùm, quorum interest, ut æternis tenebris illud involvatur, offusas discuti, operæ pretium fuerit. Impediunt enim præjudicia inveterata non parùm, ne de re cognitu saluberrima sanum judicium ferri possit.

Bestiæ descriptio summaria,

II. Vidit S. Johannes Meretricem impuram sedentem ἐπὶ θηρίον κόκκινον, γέμον ὀνομάτων βλασφημίας, ἔχον κεφαλὰς ἑπτὰ καὶ κέρατα δέκα *super Bestia coccinea, plena nominibus blasphemiæ, habente septem capita & decem cornua.* Apoc. XVII. 3. Bestia haud dubiè systema notat Bestiarum, seu multitudinem hominum animalium Spiritu Dei non præditorum, adeóque populum animalem legibus certis consociatum. Quæ coccinea dicitur, sive propter crudelitatem, quia rea est sanguinis Christi & sanctorum, vel propter apparentiam, quia per professionem externam fidei sanguine Christi colorata & purificata videbatur. Quanquam blasphemiæ illam à Sanctis ejusdem cœtus facilè discreverunt.

ratione totius,

III. Cùm verò S. Johannes θαῦμα μέγα, *portentum* illud *magnum* sanè stuperet meritò, ejus mysterium ipsi Angelus paulò clariùs exposuit, docens scilicet, quid sit *Bestia*, ratione tum *totius*. v. 8. tum *partium*, puta & *capitum* v. 9. 10. 11. & *cornuum*, quorum partim *ortus*. v. 12. partim

tim *obsequium*, quod Bestiæ præstabunt v. 13. partim *clades* v. 14. partim *odium* conceptum adversus meretricem, hostilitatémque v. 16. declaratur.

IV. Ratione *totius* ita Angelus Bestiam describit. v. 8. *Bestia, quam vidisti, erat, & non est, & ascensura est ex abysso, & in exitium abitura. Et mirabuntur incolæ terræ, videntes Bestiam, quæ* ἦν καὶ οὐκ ἔστι καίπερ ἔστι *erat, & non est, & tamen est.* Sensus paradoxi haud dubiè is est, bestiam simile quid ante se habuisse, & eo intereunte, tanquam propaginem quandam in ejus locum ita successisse, ut in eo reviviscere, & vires suas omnes exerere meritò credi possit; & denique interituram prorsus, non mutandam, ut prius illud. Ad intelligendum illud sapientiam spiritualem requirit Angelus v. 9. *Hic est mens, habens sapientiam*, innuens, mysterium proponi ejusmodi, cujus intelligentia oculos mentis verbo Dei probè illuminatos exigat, nullámque expositionem probandam, quæ sapientiam non resipiat. Certè *vir brutus non cognoscit, & vir stultus non intelligit hoc.* Ψ. XCII. 7.

Et partium, puta capitum, V. Partes Bestiæ statuuntur *capita* & *cornua*, quia scilicet vis potissima in illis residet. Et *capita* quidem numero septem v. 9. totidem dicuntur esse ὄρη *montes*, in quibus mulier sedet. Quibus verbis sedes Bestiæ mulierem portantis ita insinuatur, ut septem montes illi simul typus & monimentum sint totidem Regum v. 10. quibus octavus accedere debuit. v. 11. nec non totidem populorum eidem imperio obnoxiorum. Nam & in aquis multis, seu populis, & turbis, & gentibus & linguis Apoc. XVII. 1. 15. & in montibus illis septem meretrix sedere dicitur.

& cornuum. VI. *Cornua* numero decem totidem Reges statuuntur, potestatem, ut Reges, unam horam accepturi cum Bestia & eandem in Bestiam unanimiter translaturi. v. 12. 13. Sensus

Sensus est, fore ut Reges decem certo saltem tempore unâ regnent, & in Bestiam potestatem suam derivent, adeóque ei serviant, obsequantur, vel saltem comiter eam colant. Hic *ortus*, hoc *obsequium* Regum est. *Clades* eorundem v. 14. recensetur, ubi cum Agno pugnaturi & ab eodem vincendi dicuntur, *quia Dominus Dominorum est, & Rex Regum, ac qui cum eo sunt electi & fideles*. Sed & cornua, seu Reges illi *odio habituri meretricem, desertam facturi, & nudam carnem ejus comesturi, eámque igne combusturi*. v. 16. dicuntur. Sensus est, futurum, ut meretricem agnitam detestentur, destituant eo auxilio, quod illi hactenus tulerunt, populorum suorum obedientiam ei subducant, fomenta ei, præsidiáque omnia eripiant, & igni tandem eam vastent.

VII. Sic feralis Bestiæ illius, quæ meretricem portat, ejusmodi definitio exsurgere potest: *Bestia est jumentum meretricis Babylonicæ, eam portans, seu populus eidem subditus animalis Spiritu Dei non præditus, populo cuipiam priùs existenti succedens, eúmque prava imitatione exprimens, capitibus septem, seu totidem montibus, seu typis populorum septem rectoribus, quibus octavus accedere debuit parentium; nec non omnibus decem, seu totidem Regibus potestatem suam quandoque simul Bestiæ conferentibus, sed post meretricem odio habituris, desolaturis & combusturis, constans, tandémque ad interitum etiam vergens.* *Definitio Bestiæ.*

VIII. Duo hinc statim elicimus, quæ æquos rerum arbitros facilè concessuros confido. *Prius* est, *Meretricem & Bestiam* distinguendam esse, ut ejusdem Babylonis partem geminam, dominantem, imperitantem unam, parentem, subditam alteram. Meretrix enim in Bestia sedet, adeóque eam regit, subjicit, & ad facienda imperata quovis modo flectit. Bestia contra quamvis populus unus, *Meretricis & Bestiæ distinctio.*

 multitu-

multitudo regnum aliquod constituens, meretricem *βασάζει portat*, adeóque eidem paret, subjicitur, & imperata ejus religiosè facit. Eadem utrobique Babylon est: sed parte imperante & parente discreta.

Bestia meretricem portans cum Bestia marina convenit.

IX. *Posterius* est, Bestiam hanc, clitellarium meretricis jumentum, eandem numero esse cum Bestia illa priore maritima, seu ex mari ascendente, quæ Apoc. XIII. 1-11. describitur, & cap. XIV. 9. 11. XV. 2. XVI. 2. 10. 13. XIX. 19. 20. XX. 4. 10. etiam indigitatur. Arguunt id multa satis. Utraque enim ascendere ex mari, seu Abysso: utraque septem capitibus & decem cornibus, seu totidem Regibus constitui: utraque potestatem suam habere à Dracone, seu fuisse & non esse, & esse, blasphemiis horrendis turgere: utraque sequaces habere incolas terræ, non electos & fideles, sed reprobos, non scriptos in libro vitæ Agni: utraque pugnare cum sanctis & Agno, & vincere & vinci dicitur, insinuatúrque. Agnoscit id una nobiscum Alcasar *Comment. in Apoc. xvij.* 3. ubi inter alia sic ille: *Pro comperto habeo Belluam, in qua mulier sedet, eandem esse cum maris Bestia, quæ cap.* 13. *descripta est:* Inter alia hoc etiam utitur argumento: *Si*, inquit, *duæ Bestiæ forent, cùm Johannes utramque descripsisset, neutiquam diceret cap. xix.* 19. *Et vidi Bestiam, & apprehensa est Bestia. Ubi utroque in loco articulum præponit, ac supponit pariter, unam tantùm esse Bestiam, septem capitibus, & decem cornibus constantem.* Addit, S. Johannem Apoc. XIX. 20. recensentem finem hostium Ecclesiæ, Bestiæ duntaxat & Pseudoprophetæ (quem eundem cum Bestia posteriore seu terræ rectè facit) meminisse. *Non igitur*, inquit, *alia superest Bestia, præter duas*, priorem scilicet & posteriorem. Cúmque posterior non sit illa, quæ meretricem portare dicitur, priorem esse, solidè concludit.

X. In

X. In diverſum nequicquam nituntur Viegas, Ribera, & à Lapide, qui Beſtiam meretricem portantem aliam eſſe à Beſtia priore probare ſatagunt, his ſcilicet argumentis: *quod Johannes alioquin eam cum præpoſito articulo deſignaſſet: quódque prior Beſtia pardo ſimilis, adeóque maculoſa, hæc coccinea dicatur*. Ad *prius* rectè reſpondet Alcaſar, Agnum capitis XIV. & XV. evidenter unum eundémque eſſe, cùm tamen Johannes capite XIV. I. illi articulum non præfigat. Addere potuit, cap. XIII. II. ubi ſine articulo de Agno & Dracone priùs viſis ἀρνίον δράκων memoratur. Contra de meretrice nondum viſa cap. XVII. I. cum gemino articulo τῆς πόρνης τῆς μεγάλης meminit, ut adeò criſin illam de articulo prorſus fallacem & lubricam eſſe conſtet. Tum S. Johannem cap. XIII. Beſtiam utramque maris & terræ expreſſiſſe monet. Cùm autem duas deſcripſerit, rectam Grammaticæ rationem non poſtulâſſe, ut ad primam deſignandam articulo uteretur. Ex cæteris igitur verbis dijudicandum eum reliquiſſe, cujuſmodi Beſtiam ille intellexiſſet. Ad poſterius idem reſpondet, etiam pardum hominem diſcerpentem ejus ſanguine ita reſpergi poſſe, ut qui priùs maculoſus, idem poſtea coccineus appareat. Addo, aliam rationem eſſe, ob quam coccinea eadem Beſtia dicitur. Etenim & varii coloris eſſe potuit, ob diverſas religiones hominum eidem imperio innexorum: & coccinea, ſive ob crudelitatem, ſive ob apparentiam, ut ſupra diximus.

Repugnantibus Ribera, à Lapide, quorum argumenta ſolvuntur.

XI. Cùm igitur Beſtia meretricem portans cum priore Beſtia conveniat, dubitari nequit, quin S. Johannes utrobique θηρίον *Beſtiam* dicens, loquatur ſtylo Danielis, qui cap. VII. 3. ארבע חיון *quatuor beſtias* deſcribit, quas vidit aſcendentes ex mari, cum quibus diverſo licet ſchemate, at ſenſu non diſpare, deſcriptis, exactiorem harmoniam demonſtrare hujus loci non eſt. Saltem etiam Alcaſar Beſtaim

Beſtiam dicens S. Johannes Danielis ſtylo loquitur.

ſtiam maritimam ex quatuor beſtiis Danielis conflatam eſſe, nobiſcum agnoſcit, & *comment. in Apoc. xiij. S.* 3. *pag.* 506. eruditè probat.

Beſtia mulierem portans cum Beſtia priore Apoc. xiij. deſcripta convenit.

XII. Unum addo, ſicut Beſtia mulierem portans Beſtiæ priori, ſeu maritimæ quadrat, ita mulierem ipſam Beſtiæ poſteriori, ſeu terrenæ, quæ etiam Pſeudopropheta Apoc. XVI. 13. XIX. 20. & XX. 10. vocatur, planè congruere. Id quoque nobiſcum Alcaſar fatetur. Et unum eundémque Antichriſtum per utramque beſtiam diverſa ratione figurari, Bellarminus, & ante ipſum etiam Rupertus ſtatuunt. Arguit autem id harmonia Beſtiæ poſterioris cum muliere. Etenim mulier imponit prætextu myſterii. Beſtia terrena cornuum duorum Agno ſimilium obtentu. Mulier poculo ſcortationis inebriat. Beſtia terrena ſeducit habitantes in terra propter ſigna, quæ ipſi datum erat facere coram Beſtia. Mulier ſævit in omnes ſcortationem cum ea abnuentes. Beſtia terrena omnes non adorantes imaginem Beſtiæ perſequitur. Mulier nundinatur animas. Beſtiæ quoque terrenæ imago dat ſignaturam omnibus parvis & magnis, divitibus & pauperibus, liberis & ſervis, in manu dextra, aut frontibus eorum, ut ne quis poſſit emere aut vendere ſignatura deſtitutus.

Falſæ interpretationes Beſtiæ quatuor recenſentur.

XIII. Prælibatis hiſce ad diſcutiendas ψευδερμηνείας, ſeu falſas de Beſtia mulierem portante interpretationes, accedimus. Quas in univerſum quatuor reperi, puta *Riberæ*, qui Diabolum in mundo dominantem; *Alcaſaris*, qui Romam Ethnicam; *Viterbienſis*, qui Imperium Turcicum; & *Grotii*, qui Domitianum intelligi, pertendunt. Weigelii blaſphemam interpretationem, à Ven. Crocio *Antiweigel.p.* 1.*p.* 78. memoratam attingere horreo.

Prima Riberæ, Viegæ, à Lapide, quòd ſit

XIV. Primò igitur ad incundem noſtram revocanda eſt expoſitio, qua Beſtiam hanc Diabolum & mundum hunc, quatenus eſt complexio hominum mundanorum & vitioſo-

vitiosorum, adeóque Diabolum in mundo, quasi Regno impietatis suæ dominantem esse statuit. Ita pertendunt Ribera, Blasius, Viegas, à Lapide, alii. *Mundi hujus*, ita Cornelius à Lapide *ad Apoc. xvij.* 3. scribit, *sustentator, & quasi anima eum dirigens, movens & agitans est Diabolus & consequenter Antichristus Diaboli Vicarius, & princeps. Rursum mundus hic non est aliud, quàm cœtus mundanorum, id est, hominum fastuosorum & vitiosorum, qui est corpus politicum Diaboli & Antichristi, sicut Respublica est corpus civile Regis & principis. Bestia ergo est mundus, sive mundi regnum, fastus & pompa, in quo inequitat Babylon, Roma Ethnica & impia, mundi impiorúmque domina. Hæc enim præsidet regno Diaboli, ideoque super Diabolum, qui impiorum multitudinem sustinet, & quasi animat & vegetat, sedere dicitur, ut ab eo sustentari, regi & agitari videatur. Unde bestia hæc plena nominibus blasphemiæ, quia sua infidelitate & impietate, tam vita, quàm voce blasphemat Deum.* *Diabolus in mundo dominans, verbis à Lapide exponitur.*

XV. Addunt illi, Coccineam dici Bestiam, quia mundus regio splendore & fastu triumphet. Coccum enim & purpuram vestem esse Regum & Principum. *Fuisse & non esse, & ascensuram esse de Abysso, & in interitum ire* bestiam dicunt, quia ante Christum fuit, & in mundó dominatur impietas & Diabolus; Christo autem veniente *non est*, quia princeps mundi foras eam ejecit Joh. XII. 31. & sub finem mundi rursus *ex abysso ascendet*, Romam ad idololatriam seductura, similis hactenus Draconi vel Ceto, qui nunc è mari caput & dorsum attollit, nunc rursum in illud se totum demergit, tertiò iterum emergit & ascendit. *Septem capita* ajunt esse primò *septem montes*, quibus Roma inædificata est: secundò *septem Reges*, sive collectionem tyrannorum, qui septem ætatibus, sive seculis in mundo, regno impietatis & Diaboli regnârunt, fideléſ- *Et illustratur amplius.*

H que

que persecuti sunt. Quales fuerint Cain, Nimrod, Reges Sodomæ ac Ægypti, impii Reges Israëlis & Judæ, Reges Chaldæorum, Asiæ & Syriæ; Imperatores Ethnici Romani & Saraceni, denique Antichristus. *Decem cornua*, seu decem Reges fore illos, qui sub finem mundi, Antichristo veniente, Romæ, & Romano Imperio subjecti erunt, aut certè ex eo prodibunt, & invidentes Romæ tantas opes & gloriam ejus jugum excutient, eámque invadent, vastabunt, conterentque, ariolantur.

Refutatur eadem ab Alcasare, eò quòd Apoc. xiij. 1. à Dracone seu Diabolo distinguatur.

XVI. Non satisfacit isthæc interpretatio Pontificiis aliis, Alcasari cumprimis, qui passim eam rejicit & refutat, hoc inprimis fretus principio, quòd eadem sit Bestia capitis XIII. & XVII. Atqui Bestia capitis XIII. à Dracone Diabolo, disertè distinguitur. Etenim cap. XII. narratur pugna Draconis, qui v. 9. vocatur ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος Διάβολος, καὶ ὁ Σατανᾶς. *serpens antiquus, nuncupatus Diabolus & Sathanas ille, seducens orbem habitabilem*, qui è cœlo in terram dejectus mulierem, quæ masculum peperit, persecutus est, & cum reliquis seminis ejus bellum gessit. Tum demum cap. XIII. 1. 2. vidit S. Johannes *Bestiam ascendentem ex mari, cui Draco dedit potentiam & thronum suum, & potestatem magnam*, illam ipsam videlicet, quæ cap. XVII. mulierem portare dicitur. Cùm igitur Draco sit Diabolus & Draconi Bestia successerit, ab eodem thronum & potestatem nacta, Bestia utique à Diabolo licet inspirata, mota & agitata, ipse tamen Diabolus non est. Neque potest simul esse Diabolus, simul multitudo hominum malorum eadem Bestia, quæ à Dracone manifestè adeò distinguitur.

Eadem expositio aliis etiam argumentis refellitur, cujusmodi

XVII. Accedunt alia non minùs prægnantia. Enimverò quid absonum magis putabimus, quàm meretricem, hoc est, ut iidem Interpretes explicant, Romam Antichristiano-Ethnicam fingere Diabolo *in mundo quasi Regno impieta-*

impietatis suæ dominanti, uti à Lapide loquitur, inequitantem? Scilicet meretrix & Diaboli sibi dominantis exsors erit, & regno impietatis Diaboli ipsa non etiam accensebitur, & de mundo impiorum non erit. Nam meretrix quidem à Bestia manifestè distinguitur: illa insidere, hæc insideri: illa portari, hæc portare dicitur. Tum quid attinebat Sathanam, de cujus perpetua & indefessa grassatione in mundo toties Spiritus S. absque figuris, clara & simplici dictione præmonuit, nunc S. Johanni sub obscuro ejusmodi ænigmate, ceu mysterium quoddam repræsentari? Nimis dilutus est hic color veritati obductus.

sunt, quòd dici nequit, meretricem seu Romam, uti pertendunt illi, Antichristiano-Ethnicam Diabolo inequitare,

XVIII. Præterea Diabolo in mundo quasi Regno impietatis suæ dominanti neutiquam convenit, quod de Bestia dicitur, illam fuisse & non esse, & de abysso ascendere, & in interitum vadere. Quomodo enim de Diabolo dici potest οὐκ ἔστι *non est* cum perpetuò circumeat is, leonis rugientis instar, quærens quem devoret. 1. Pet. v. 8? Neque obstat, quòd devicto à Christo Diabolo, & principe mundi foras ejecto, à Lapide & Ribera excipiunt. Ita enim victus & foras ejectus à Christo est Diabolus, ut adversus fideles, qui per fidem Christo innexi sunt, quoad potentiam spiritualem nihil virium amplius habeat, neque habuerit unquam. At de cætero regnum & dominium ejus, quod in mundum infidelium obtinet, morte Christi abolitum non est. Imò quoad externam & civilem etiam violentiam adversus electos morte Christi non ita perdomitus est, quin S. Johannis etiam & succedentibus temporibus per tyrannos Ecclesiam gravissimè infestaret. Quid enim aliud sibi vult Regnum Draconis, & ab eodem thronus ac potentia omnis in Bestiam transfusa? Quid solutio Sathanæ post exactos mille annos? Qui igitur dicere sustineat, Diabolum inde à morte Christi usque ad novissima Antichristi fictitii tempora *non esse*, non sævire, non regnare in mundo,

quod Diabolus dici nequit fuisse & non esse, & ex abysso ascendere,

do, & electis etiam palam non insidiari, aperta etiam vi eosdem non oppugnare, næ is pudorem omnem decoxisse meritò censebitur.

quòd eidem septem capita, montes, Reges,

XIX. Quo etiam sensu *septem capita* seu *totidem Reges* habuerit Bestia, hoc est Diabolus, certa ratione assertores sententiæ hujus explicare nequeunt. Frivolum enim & ineptum planè est, quòd collectionem tyrannorum, qui septem mundi ætatibus in mundo, Diaboli Regno regnârunt, fidelésque oppugnârunt, adeóque septem quasi Dynastias & principatus mundi intelligi pertendunt. Scilicet ad hos nos remittunt, ut à nido suo nos avocent. Quin potius Reges hosce septem in montibus seu collibus Romæ, qui illorum typus & monimentum constituuntur, adeóque in Romani imperii ditione, in qua iidem authores supra etiam meretricem à Bestia utique ἀχώριστον collocarunt, ostendere par erat. In his enim sederunt, regnârunt, & meretricem portârunt. Tum utique capita septem, Reges septem Bestia habuit, cùm meretricem portavit. At pleraque illa capita, Reges plerosque, quos authores illi subtiliter numerant, Bestia, quando meretricem portavit, non habuit. Taceo, quòd ætatis septimæ Rex supposititius est, & ad sex etiam priores proportionem nullam habet. Quem enim tres anni cum dimidio, quos Antichristo tribuunt, cum ætatibus sex superioribus, quarum singulæ secula integra sibi vendicant, commensum habent?

& decem cornua seu Reges aptari nequeunt.

XX. Ejusdem fere commatis est eorundem Authorum commentum de *decem cornibus*, seu totidem Regibus, quos sub finem mundi Antichristo caput ex inferis prolaturo Romæ, meretrici scilicet parituros, & ejusdem denique jugum excussuros fingunt. Nititur enim fabula ingeniosè composita de Roma Antichristiano-Ethnica novissima, quam supra & argumentis & consensu Doctorum Pontificiorum communi abundè confutavimus. Brevi adeò tempore

pore decem Reges Romæ subjectum iri, & frenum mox admorsuros, Romámque internecino & exitiali odio appetituros esse, eccui mirum non videbitur? Si tamen tale quid continget (uti etiam contigit, ut intra ἑξαήμερον Cælum, terra, & omnes exercitus crearentur) at certò fore ut contingat, liquere pernego. Neque enim prophetia obscura, & ænigma intricatum, quod quò volueris cunque non minùs appositè trahi potest, & impletum ante ejusmodi Romæ statum si non certiùs, at probabilius longè asseri potest; rei adeo mirificæ & incredibilis argumentum censeri potest.

XXI. Non igitur Diaboli & mundi Regnum catholicum, sed Imperium & Regnum aliquod maximum intelligi, reliqui Doctores Pontificii, magno consensu nobiscum pertendunt. Idque etiam argumentis non contemnendis probant, qualia sunt, quòd apud Danielem similibus Bestiarum ænigmatis certæ Monarchiæ repræsententur: quòd Bestia hæc omnibus populis dicatur imperatura, qua ratione certam universalem Monarchiam indigitari observant: quòd denique id ipsum capitum & cornuum distinctio manifestè arguat. *Imperium aliquod maximum Bestiæ nomine figuratur.*

XXII. Romanum hoc esse Imperium, Monarchiam Romanam, iidem Doctores nulli omnino dubitant. Cùm verò meretricem fecerint Romam Ethnicam veterem, abs se impetrare non potuerunt, quin Bestiam eam portantem etiam in Roma Ethnica veteri & idololatrica nobis ostenderent. *Significatur Imperium Romanum idololatriæ deditum, sive Romanus Orbis idololatra, quem Roma Ethnica lege & imperio administrabat*, inquit Alcasar *Comment. in Apoc. xvij.* 3. Alibi *in Apoc. xiij.* rectè probavit idem, Bestiam mulierem portantem eandem esse cum Bestia maris, quæ Apoc. XIII. describitur. Utramque esse Romanum Imperium idololatriæ deditum, quod olim Ecclesiam *Expositio secunda Bestiæ, quòd Romanum Imperium Ethnicum notet, verbis Alcasaris proponitur.*

Christianam insectabatur, ibidem probare satagit. *Ubi semel*, inquit, *statuamus, in meretrice Romana Ethnicam figurari, ilico compertum fit, eam Bestiam esse Romanum Imperium, Diis commentitiis obsequens, quod à Roma Ethnica administrabatur*. Sapienter equidem ita judicavit, cùm dorsum portantis bestiæ ab insidentis meretricis corpore ἀδιάσπαστον & indivulsum esse, ratio & communis sensus dubitare non patiantur. Quis enim sanus equum ab equite ei insidente separatum dixerit?

refelliturque tum eo, quod meretrix ipsa Roma Ethnica non fuit, proin nec Bestia ejus jumentum esse potuit,

XXIII. Eodem igitur freti principio, argumentum invertimus. Babylon magna, seu meretrix Bestiæ insidens non est Roma vetus Ethnica, uti superiori diatriba clarissimè demonstravimus. Ergo bestia meretricem portans non est Romanum Imperium Ethnicum vetus. Quæ sola demonstratio sufficere elidendo errori poterat. Sed in promptu alia etiam argumenta sunt, quibus simul opinionem illam minuamus, simul figmento illi, quòd Roma vetus Ethnica sit meretrix, fidem amplius etiam detrahamus. Si enim Bestia non est Imperium Romanum Ethnicum, meretricem quoque Romam Ethnicam non esse, Alcasar ipse, & qui eum assectantur, confiteri nobiscum, nisi semel rectè placitam hypothesin damnare & refigere constituerint, necessum planè habebunt.

tum argumentis aliis, veluti 1. quod Bestia successit Draconi, per Romam Esbnicam imperanti.

XXIV. Atqui Romam veterem Ethnicam non esse Bestiam, *primò* inde liquet, quia Bestia meretricem portans successit Draconi. Clarè id testatur S. Johannes Apoc. XIII. 2. *Bestiæ dedit Draco suam potentiam, & thronum suum, & potestatem magnam*. Manifestum igitur est, priùs regnasse Draconem, ut Draconem; deinde regnâsse Diabolum. Quis verò Draco sit, qui Apoc. XII. 4. 5. &c. stetit coram muliere parturiente, paratus absorbere filium ejus, raptum tamen ad Deum & thronum ejus, dubitari vix potest. Quis enim neget, prolem masculam, quam mulier

mulier parturiens enixa eſt, hoc eſt, quem Eccleſiam poſt longam exſpectationem vidit ſceptro ferreo recturum gentes, eſſe Chriſtum; & notari in Apocalypſi primas inſidias, quas Chriſto tetendit & votum interficiendi Chriſtum eum in morte retinendi, atque una cum Diabolo inſtrumentum violentiæ illius, Imperium Romanum Ethnicum, per Draconem intelligi? Unde conſequitur, Regno Beſtiæ, quod Draconi ſucceſſit, Imperium Romanum Ethnicum neutiquam figurari.

XXV. Nam quòd Alcaſar *Comment. in Apoc. xij.* 3. 4. contendit, Symbolo Draconis Diabolorum Rempublicam univerſam denotari, ſi ita intelligatur, ut infauſta Reſpublica illa ab inſtrumentis ejus, Romano cum primis Imperio gentili, ſeparetur, recipi non poteſt. Neque enim Diabolus mulierem & filium ejus *ἀμέσως immediatè*, & ſine inſtrumentis perſecutus eſt. Inſtrumenta verò, per quæ dira molimina ſua exercuit, Romani Ethnici tum fuerunt, quos penes ſumma rerum, adeóque etiam nocendi lædendique poteſtas in orbe potiſſimùm fuit. Vocatur enim Diabolus *Draco*, non utique à larva aliqua, qualem in Paradiſo aſſumſit, ſed quia magnum corpus habuit in mundo, quod regebat, & per quod nocebat hominibus. Solentque magna Imperia Draconum etiam emblemate in ſcriptura figurari, uti ex Eſaj. XXVII. 1. & Ezech. XXIX. 3. ubi Rex Ægypti cum התנים הגדול *Dracone magno, cubante in medio fluminum*, comparatur, colligi poteſt.

Alcaſaris exceptio, quòd Draco notet Diabolorum Rempublicam, refellitur.

XXVI. *Secundò* character ille Beſtiæ, *quod fuerit, & non ſit, & aſcenſura ſit ex abyſſo, & in exitium abitura ſit*, Romano Imperio Ethnico concinnè aptari non poteſt. Nam quòd Alcaſar eum verbis illis ſenſum induere conatur, ut Beſtiam ſeu Romam Ethnicam fuiſſe, hoc eſt, fideles perſecutam eſſe, *non eſſe*, in præſentiarum non perſequi, *ex abyſſo aſcenſuram*, hoc eſt, denuo ad perſequendum

II. quod Roma Ethnica fuiſſe, & non eſſe, & aſcenſura ex abyſſo, & in exitium abitura dici nequit. Alcaſaris exceptio eliſa.

dum caput suum ex orco prolaturam esse, & *in exitium abituram*, seu persecutionem illam cessaturam quandoque esse, intelligatur, parum certè coloris interpretatio habet. Persecuta enim ante B. Johannem Roma Ethnica Ecclesiam est: sed tempore Johannis, quo Domitianus rerum potitus est, persequi non desiit; quod vel S. Johannis exemplum commonstrat. An enim fidem ille in Patmo scilicet suo hærens, in quo *propter sermonem Dei, & testimonium Jesu Christi* exul visiones divinas excepit, habere potuisset Angelo asseveranti, Bestiam, seu Romam Ethnicam non esse, hoc est, Ecclesiam non persequi, tum scilicet, cùm ipsemet persecutione dirissima superata, novam sustinuit? Deinde Bestia illa ascendisse dicitur ex abysso, quò verò nisi in terram? Cum igitur stylo prophetico abyssus seu mare gentes infideles, terra verò Ecclesiam repræsentet, manifestum est, Bestiæ illius originem quidem ad infidelem gentem, qualis Roma Ethnica fuit, referri; at de cætero non ita infidelem ipsam indigitari, quin cum vera Ecclesia commixta, & ejusdem externa in nonnullis saltem professione Deo mentita, ipsa quoque in communione externæ Ecclesiæ censeretur. Quo sensu etiam Antichristus in domo Dei sedens introducitur. Denique Romam Ethnicam dicere **εἰς ἀπώλειαν ὑπάγειν** *in exitium abire* tum, cùm à persecutione cessans ad Christum conversa est, nimis illud certè **ἄλογον** est. Perinde ac si **εἰς ἀπώλειαν** in exitium vaderet is, qui ab exitio liberatur, vel ad mortem concederet is, qui vitæ restituitur. Talibus **φλυαρίαις** delectari necessum est illos, qui, quò se vertant, nesciunt.

III. quòd Roma Ethnica septem capita non quadrant.

XXVII. *Tertiò* Romæ illius Ethnicæ *septem capita* non satis concinnè Alcasar demonstrat. Intelligit nempe Romæ Ethnicæ persecutores inter Neronem primum & Julianum ultimum interjectos, puta Domitianum, Trajanum,

Alcaſaris exceptio, quòd ſeptem perſecutores Romani intelligi poſſint, quatuor argumentis refutata.

num, Antoninum, Severum, Decium, Valerianum & Diocletianum, quorum ſeptem perſecutorum Eccleſiæ perſecutiones totidem atrociſſimæ fuerint. Cæterùm *primò ἀσύστατα* hîc Alcaſar loquitur. Si enim Beſtiæ hujus Regem principem conſtituit Domitianus, S. Johannis perſecutor, quomodo S. Johannis tempore non extitit Beſtia (uti ſuprà aſſeruit) cujus tamen caput princeps extitit? *Secundò* omittit perſecutores Maximinum & Aurelianum, quorum famoſiſſimas perſecutiones hiſtoriæ pœne omnes computant. Neque obſtat, quòd perſecutiones illorum inter decantatas decem Sulpitius Severus numerat. Nam & Maximinum idem *libr.* 11. 32. nihilominus inter perſecutores, utpote qui nonnullarum Eccleſiarum clericos vexaverit, numerat: & duas alias, nimirum Adriani & Aurelii, Antonini filii, ſubſtituit. Et de eo quicquid ſit, plures certè quam ſeptem perſecutores Neronem exceperunt. *Tertiò* paradoxum eruditis futurum, non immeritò Alcaſar ſuſpicatus eſt, quòd capitum Beſtiæ, quæ Romæ Ethnicæ perſecutores eſſe ſtatuit, numero cenſûque Neronem, furibundum leonem illum, excluſit. Rationem ille quidem hanc *in cap. xiij.* 1.*pag.* 503. reddit, *quod Neronis mentio facta, ſigillatim jam præceſſerit cap. xiij.* ubi *perſecutio à Dracone excitata, per Neronem effectui data ſit.* Quaſi verò perſecutio vel filii mulieris nati & ad Deum ac thronum ejus evecti, quem Draco abſorbere parabat, Neroni, & non Tiberio potiùs adſcribi mereatur; vel mulieris etiam marem parientis antequam in deſertum illa avolaret, ſoli Neroni accepta referri debeat. Atqui duravit perſecutio illa mulieris, donec alis acceptis in deſertum aufugit, ibidémque locum à Deo præparatum, in quo nutriretur, reperit, Apoc. XII. 6. 13. 14. quod factum haud dubiè eo tempore eſt, quo pacem nacti Chriſtiani Reges Chriſtianos nutritios habuerunt. An verò ad pacem uſque Chri-

ſtianis redditam ſolus Nero Eccleſiam perſecutus eſt? *Quartò* explicare nobis Alcaſar non potuit, quid poſita hac de ſeptem perſecutoribus interpretatione ſibi velint verba Apoc. XVII. 10. 11. *Quinque ceciderunt; unus eſt, & alius nondum venit, & cùm venerit, oportet ipſum breve tempus manere, & Beſtia quæ erat, & non eſt, & ipſe octavus eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum vadit.* Si quinque illi collapſi ex numero ſeptem illorum Regum ſunt, recitet ille nobis quinque principes Romanos perſecutores, ex eorum, quos deſignavit, numero, qui tempore S. Johannis ceciderint.

Ejuſdem exceptio, quod indefinita multitudo perſecutorum intelligatur, proponitur.

XXVIII. Has ſimileſque difficultates ſubodoratus Alcaſar videtur, cùm ſtatim ad aliam expoſitionem delapſus *in cap. xiij.* 18. monet, ſeptem capitum ſignificationem non opus eſſe ad ſeptenarium perſecutionum numerum poſſe reduci, ſed ſolùm ad multitudinem Imperatorum Ethnicorum, qui Chriſtianam Eccleſiam vexarunt. *Etenim*, inquit, *receptiſſima in ſacris literis phraſis eſt, certum numerum pro incerto poni, id quod præcipuè in quibuſdam numeris locum habet, qui completi appellantur: cujuſmodi ſunt ſeptenarius, denarius & millenarius.* Subjicit, *in ſeptem capitum numero, ſi certus pro incerto ſumatur, ſignificari poteſt, quamvis voluerit Deus perſecutorum numerum Eccleſiæ ignotum eſſe, non tamen temerè & caſu id eventurum, ſed in numero certo atque perfecto, id eſt, per ſummam Dei ſapientiam ac diſpoſitionem ordinato ad ipſius Eccleſiæ emolumentum.*

& diſcutitur.

XXIX. Scilicet κρησφυγέτῳ ejuſmodi opus habuit ille, ut ſe extricaret iis rationum nodis, quos adverſus inſulſam expoſitionem ſuam necti poſſe, tam hebes non fuit, quin animadverteret. Si idonea eſt hæc explicandi ratio, magno labore & ſe & alios in explicanda Apocalypſi liberaverit ille. Neque inquirendum ampliùs ſtudioſè fuerit in numeros

meros reliquos Apocalypticos, puta, ſeptem Candelabra, Sigilla, Tubas, Capita, Montes, aliáque ſimilia. Adeóque nihil inde aliud quàm myſteriorum quædam confuſio ſuborietur. Quod ſi alibi definiti numeri pro indefinitis ponuntur, at hic poni non potuerunt. Septem enim illi Reges ita diſtribuuntur, ut ex iis quinque cecidiſſe, unus eſſe, & alius nondum veniſſe dicatur. Neque obſtat, quod v. 11. dicitur *Beſtia, quæ erat, non eſſe; & ipſe octavus eſſe, & de ſeptem eſſe.* Qua ratione pateſcere ait Alcaſar, *ſeptenarium illum numerum indefinitè pro incerto accipiendum eſſe.* Neque enim hoc conſequitur, cùm nihil vetet octo, vel ex numero ſeptem eſſe, non quia unus ex ſeptem ſit, ſed quia ratione quadam cum ſeptem illis conveniat.

IV. quòd decem cornua Beſtiæ, ſeu totidem Reges, Romæ Ethnicæ non congruunt.

Alcaſaris detorſio cornuum ad Senatores Romanos proponitur,

XXX. *Quartò* denique nec *decem cornuum* ſeu *decem Regum* numerus Romæ Ethnicæ congruere ullo modo poteſt. Alcaſar quidem *in cap. xiij. 1. ſſ. 3. p.* 507. ad Senatores Romanos detorquere conatur. *Illud mihi certum eſt,* inquit ille, *decem iſthæc cornua eſſe ſymbolum multitudinis Senatorum Romanorum. Sicut enim unum cornu in Scriptura deſignat principem unum, ita cornua plurima polyarchiam innuunt, ſeu plurimorum principum gubernationem. Ut autem hoc ſignificaretur, aptiſſimum fuit decem cornuum ſymbolum; quippe denarius eſt multiplicationis numerus, & eam ob rem majores omnes numeri in denario tandem clauduntur. Nam ubi ad denarium pervenitur, protinus ad numerorum initium, ſive unitatis regreſſio fit. Cùm autem ſenatorum numerus certus ac præfinitus non eſſet, & exprimendus foret numerus aliquis, qui multitudinis eſſet ſymbolum, nullus potuit congruentius aſſumi, quàm denarius. Ita Zachar. viij. 13. decem homines notant plurimos. Præterea ipſe Apocalypſeos contextus Cap. 17. 12. explicat, per decem*

capita figurari Polyarchiam, quæ est multitudo principum eodem tempore vigentium. Atqui ejusmodi erant Romani Senatores. Etenim licet non propriè fuerint Reges, eorum tamen potentia & amplitudo Regum instar erat. Quare Cyneas dixit, Romanum Senatum sibi visum fuisse consessum Regum, uti narrant Plutarchus in Pyrrho, Florus lib. I. *Livius lib.* II. *Cohærent cum hoc ipsius textus verba. Decem cornua, decem Reges sunt, qui potestatem tanquam Reges unâ horâ accipiunt. Quid enim obsecro est, una hora, nisi uno eodemque tempore principatum tenere? Quòd autem Reges appellentur, & declaretur pariter, non propriè Reges esse, sed Regum habere potestatem & amplitudinem, quis non in hoc Senatorum Romanorum descriptionem agnoscat?* Hactenus ille, veritati nebulas summo offundens opere.

& quatuor argumentis rejicitur.

XXXI. Nos autem jam supra nebulas hasce nonnihil dissipavimus, ostendentes scilicet, Senatores Romanos ipsius Romæ dominantis partem fuisse. Reges verò ab eadem Roma, uti scortatores à scorto, & parentes ab imperante distingui. In promptu tamen alia quoque sunt, φλυαρίας hujus, & distortæ interpretationis nervos incisura. Etenim *primò* cornua decem, & per illa totidem Reges designati disertè numerantur. Senatores autem Romani non decem, sed ducenti fuerunt, ex Romanis & Sabinis à Romulo primùm lecti. Quæ permutandorum numerorum licentia si recipitur, nihil obstabit, quò minus pro duodecim stellis ducentæ, & pro septem candelabris septuaginta numerentur. Cùm verò alibi numeris veluti 666 & 1260 accuratè inhæreamus, quid opus hîc est, per decem cornua seu Reges ducentos, vel polyarchiam etiam quamvis intelligere? *Secundò* de cornibus seu Regibus illis testatur Angelus cap. XVII. 12. quòd Regnum ὄπω ἔλαβον nondum acceperint. Saltem igitur S. Johannis tempore

pore nondum Reges illi Regnum acceperunt. Quando verò acceperint, nîl heic definio. Senatores autem Romanos tempore S. Johannis nondum poteſtatem ſuam, quantacunque illa quondam fuit, accepiſſe, quis aſſerere auſit? *Tertiò*, Reges illi Regnum, ſeu Regiam poteſtatem accepiſſe dicuntur. At qui Senatores vel S. Johannis tempore, vel poſt ejus tempora *regnum* acceperunt? Quæ tum polyarchia Romæ, quod plurium regimen obtinuit? Næ hoſpitem eſſe Alcaſarem nimium oportuit in hiſtoria Romana, ex qua conſtat, ***urbem Romam à principio Reges habuiſſe: Libertatem & conſulatum Q. Brutum inſtituiſſe. Dictaturas ad tempus ſumtas: neque decemviralem poteſtatem ultra biennium, neque Tribunorum militum jus conſulare diu valuiſſe. Non Cinnæ, non Sullæ longam dominationem, & Pompeji Craſſique potentiam citò in Cæſarem: Lepidi atque Antonii arma in Auguſtum ceſſiſſe, qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub Imperium accepit***, uti Tacitus initio Annalium loquitur. Deinceps vis & poteſtas imperii penes unum fuit, & jam Galbæ ætate ***Senatus populique Romani nomina obliterata ſunt***, uti idem Tacitus *Hiſt.* 1. 55: 4. loquitur. Neque unquam Romanus Senatus convaluit, nedum eam ad authoritatem poſtliminio conſurrexit, quam Cyneæ tempeſtate, qua *Regum conſeſſus* cluebat, obtinuit. *Quartò* cornua illa meretricem odio habitura, & deſolatura, & combuſtura ſtatuuntur. Ubi verò & quando Senatores Romani Romam Ethnicam odio tali appetitam deſolârunt, combuſſerunt?

XXXII. Non deſunt alia etiam argumenta, quæ ex cap. XIII. ubi Beſtia marina deſcribitur, huc revocari poſſunt. Agnoſcit enim nobiſcum Alcaſar, quod alii negant, Beſtiam marinam eandem eſſe cum Beſtia meretricem portante. Id ſi verum eſt, uti verum eſſe ſupra etiam probare *Argumenta ex Apoc. xiij. eidem expoſitioni oppoſita.*

 occu-

occupavimus: edisserat nobis Alcasar, quemadmodum Romæ Ethnicæ, quòd v. 1. S. Johannes dicitur vidisse Bestiam ex mari ascendentem: quòd v. 5. duratio Bestiæ definitur mensibus quadraginta & duobus, seu diebus propheticis mille ducentis & sexaginta, hoc est, totidem annis: quòd v. 3. potestatem Bestiæ Draco impertitus dicitur: quòd v. 8. omnes habitatores terræ quorum nomina non scripta sunt in libro vitæ, adorâsse feruntur. Hæc aliáque ejusmodi Romæ Ethnicæ neutiquam quadrant, cujus originem S. Johannes non vidit; quæ annos mille ducentos & sexaginta non duravit: quæ potestatem civilem à Deo per quem Reges regnant, non à Dracone, Diabolo accepit; quámque habitatores terræ omnes adorârunt nunquam.

Expositio tertia Viterbiensis, quòd Bestia Imperium Turcicum notet, proponitur,

XXXIII. Tertia sequitur expositio Annii Viterbiensis, qui Bestiæ figurâ Imperium Turcicum adumbrari asserit. Secundas ei faciunt Caponsachius *in Apoc. xiij.* Lavisinus *lib. de Aquila Esdræ fol.* 21. & Luisius Legionensis libro *de nominibus Christi*. Turcis nempe convenire pertendunt illi, quæ Apoc. XIII. 1-11. Bestiæ marinæ tribuuntur. Turcas quippe ortos esse *ex mari*, hoc est, variorum populorum, Arabum, Saracenorum, Tartarorum &c. colluvie: similes esse *pardo*, quia Monarchiæ Græcorum, quam pardo assimilavit Daniel, sedem & potentiam ad se rapuerunt: *ursi* pedes habere, quia fulcra Monarchiæ Persicæ, ab eodem Daniele urso comparatæ, retinet. *Leonis* os habere, quia exuvias primæ Monarchiæ Assyriorum possidet: nomen *blasphemiæ* in capite suo habere, quia Deum Israëlis, & Filium Dei blasphemant: *terribiles* & *crudeles* esse, utpote quarum invicta tamdiu potentia fuerit; quique tot jam secula cum sanctis Christi cultoribus bellum ἄσπονδον gesserint; denique perdurare posse ad tempus usque Bestiæ assignatum, cùm à vero nihil abhor-

abhorreat, illos menses *quadraginta duos* adversus Christianum nomen grassaturos.

XXXIV. Cæterùm expositionem hanc meritò Alcasar ipse quoque improbat, eò quòd *in multis rebus violentiam quandam præ se ferat, & cum allusione ad quartam Danielis bestiam parùm conveniat*. Certè imperio Turcico neutiquam congruit, quòd Bestia dicitur portare meretricem. Quæ enim meretrix illa notis illis, quibus in Apocalypsi insignitur, compuncta est, quam Turcæ portent? Certè meretricem illam Romæ esse, ex characteribus indubiis, & scintillantibus quibusdam prophetiæ hujus gemmis supra comprobavimus. Atqui partem aliquam sive imperantem, sive parentem Romæ portari à Turcis, atque ita portari, ut cum ea Turcæ dici possint scortari, nimis profectò absurdum est. Supra etiam veritati dedimus, quòd meretricis mysterium Turcarum sive religioni, sive Imperio non conveniat. Proin nec Bestiæ mysterium ei quadrare potest, cùm ἀχώριστα & ἀδιάσπαστα esse, palam fit. Quæ verò Authores illi ex cap. XIII. Turcis aptare conantur, ejusmodi sunt, ut Romæ applicentur rectiùs; uti in loco fidem faciemus.

& ab Alcasare ipso, solidisque etiam argumentis convellitur.

XXXV. Sic excussis Doctorum Pontificiorum sinistris interpretationibus, una superest obiter perstringenda Hugonis Grotii ἐπαμφοτερόδοξος. Is nempe ut in Veteri Testamento Christum occultare sustinuit, ita in Novo Testamento Antichristum temerariis suis glossematis intricandum abstrudendúmque putavit. Meretricem igitur Romam idololatricam interpretatus, Bestiam jumentum ejus facit Domitianum Imperatorem, utpote qui, patre absente, *fuerit*, hoc est, uti Tacitus loquitur, nomen sedémque Cæsaris obtinuerit, & *non fuerit*, eo tempore, quo Vespasiano Principe, Ephesi S. Johannes egerat, cum imperio scilicet, redactus quippe in modum privati, *modestiam*,

Expositio quarta Hugonis Grotii, quod Bestia Domitiani Imperium figuret, proponitur.

destiam,

destiam, inprimisque studium Poëticæ simulans, modica quoque & usurpata antea imperii munia amittens, ut ait Suetonius, *ascensurus ex abysso*, hoc est, ex latebris suis proditurus denuo, & ex obscuro potens evasurus; atque *in interitum abiturus*, seu morte non qualibet, verum pessima tragicáque è vivis eximendus, quomodo constet Domitianum domesticorum suorum manibus interfectum periisse.

Ejusdem absurditas in genere demonstratur. XXXVI. Insulsam planè & infelicem esse hanc, viri cætera doctissimi, Bestiæ hujus crisin, quis non intelligit? Etenim Bestiam, quæ meretricem portat, ejusmodi definiri conveniebat, non quæ dominaretur, sed quæ dominanti ipsa pareret subjiceretúrque. At Domitianus Romæ imperavit, non paruit. Tum meretrix ipsa cum Roma Ethnica non fuerit, uti supra demonstravimus, neque Bestia Romæ Ethnicæ pars aliqua esse potuit. At Domitianus Romæ Ethnicæ pars potissima fuit. Quæ duo vel sola commentum isthoc abundè convellunt.

& quinque argumentis asseritur. XXXVII. Accedunt hisce alia, velut in cumulum. *Primò* enim obtigit visio Bestiæ S. Johanni post Vespasianum & Titum sub ipso Domitiano, à quo in Insulam Patmos relegatus erat. Atqui Prophetia de Bestia loquitur, quòd fuerit, & non sit. Quomodo fuit, & non est (saltem juxta interpretationem Grotii) qui, eo ipso tempore & fuit, & rerum potitus est? Et si maximè tum rerum potitus non est, uti fingit Grotius, at fuit certè. *Secundò* quæ causa reddi potest, cur potiùs Domitiano vel Tiberio, sub quo Christus crucifixus est, vel Neroni, vel Vitellio, non minoribus utique portentis θηρίυ *Bestiæ* stigma inurendum fuerit? An forte S. Johannes Domitianum persecutorem suum ultioni mactare voluit? *Tertiò* quo sensu Domitianus ex mari vel abysso progressus dici potuit? An etiam magis, quàm præcedentes Cæsares, ex abysso ille prodiit?

diit? *Quartò*, qui fuerunt decem illi Reges septicipitis hujus Bestiæ, Domitiani puta, qui meretricem, hoc est, Grotio interprete idololatriam Ethnicam odisse occœperunt, ac desolàrunt tandem combusseruntque? *Quintò* personam singularem, qualis Domitianus fuit θηρίον *Bestiam* appellari, non satis congruum est stylo scripturæ, in qua uti ex Prophetia Danielis liquet, Bestiæ nomine imperia vasta adumbrari solent.

XXXVIII. Bestiam igitur nec Diabolum mundo universo imperitantem, nec Romanum imperium Ethnicum, nec Imperium Saracenicum, nec Domitianum esse indubitabilibus jam argumentis constat. Cúmque omnino Romæ non alibi terrarum quæri debeat; cùm Characteres ejus Romam demonstrent, & meretricem, quam illa portat, Romæ domicilium suum metaturam esse, supra comprobaverimus: in Roma verò-Ethnica vetere, vel novissima etiam Antichristiano Ethnica inveniri nullo pacto possit, in Roma tertia eam unà cum meretrice sua stabulari, lege nexúque consecutionis firmissima concludimus.

Romam parentem non vel Ethnicam veterem, vel Antichristiano-Ethnicam novissimam, sed tertiam denotari, concluditur.

DISSERTATIO
TERTIA
QUA

Verborum, quibus mysterium Babylonis Meretricis & Bestiæ circumscribitur, dubiorum inprimis, sensus indefinitus explicatur.

BREVIARIUM.

I. *Instituti continuatio, & explicandorum verborum Prophe-*

Prophetiæ continuatio.

II. *Babylonem definituro ostendenda est ejus analogia quædam cum Babylone Chaldæa veteri.*

III. *Meretrices olim titulum præferebant.*

IV. *Babyloniæ meretricis titulus est, Mysterium,*

V. *prodens scilicet professionem ejus, quod Mysteria Divina penes se recondita sola habeat.*

VI. *Babylon igitur religionis prætextu imponit.*

VII. *Mysterium, cujus obtentu imponit, est non pietatis, sed impietatis, quia est mater scortationum.*

VIII. IX. *Mater est scortationis præcipuè spiritualis, defectionis à Deo vero ad creaturas.*

X. *Proin in externa Ecclesia meritorium propudium aliquod est, Deo & Christo fidem fallens.*

XI. *Scortatio Spiritualis meretricis in eo potissimùm consistit, quòd loco veri Dei se ipsam colendam religiosè prostituit.*

XII. *Idololatria seu scortatio duplex meretricis probè distinguitur.*

XIII. *Meretricis convenientia cum Antichristo.*

XIV. *Meretrix civitas Magna est, non inclusa tamen Romæ mœnibus.*

XV. *Civitas apud Græcos & Latinos ab urbe distinguitur,*

XVI. *etiam in S. literis.*

XVII. *Est igitur civitas, hoc est multitudo per caput aut capita sociata, adeòque civitas imperitans,*

XVIII. *non politica, sed religiosa,*

XIX. *eáque non Ethnica sed Christiana, adeoque Hierarchia quædam Christiana,*

XX. *quod Bestiæ etiam, Meretricem portantis consideratio arguit.*

XXI. *Est enim Bestia multitudo hominum animalium Meretri-*

Meretrici servientium.

XXII. *Typus ejus proponitur Roma vetus.*

XXIII. *Bestia est multitudo hominum Meretrici, seu Hierarchiæ dominanti parens, non infidelis simpliciter, sed Christi nomen præ se ferens,*

XXIV. *quod etiam antithesis Civitatis sanctæ, nec non Bestia posterior Apoc. xiij. 11. &c. arguit.*

XXV. *Magis etiam materia, ex qua Bestia conflata est, puta gentes, quibus exterius atrium Templi datum est, quæque civitatem sanctam calcare. 42. menses debuerunt.*

XXVI. *Ejus rei typus proponitur Israël carnalis.*

XXVII. *Babylon meretrix & Bestia quæ sit, ex superioribus θηλικῶς definitur.*

XXVIII. *Habitus externus Mulieris est purpura, coccinum &c.*

XXIX. *quæ tum ad literam, tum mystico sensu exponuntur.*

XXX. *Ad eundem Meretricis habitum pertinet poculum aureum, intus abominationibus plenum, quo notatur cortex verborum Dei traditiones, aliaque tegumenta turpitudinis.*

XXXI. *Interior Meretricis habitus sunt flagitia ejus.*

XXXII. *Bestiæ constitutio propria explicatur. Ejus ortus exprimitur verbis, quod fuerit, non sit, ascensura sit ex abysso, & abitura in interitum, quibus verbis notatur vel exortus à Dracone,*

XXXIII. *vel similitudo cum Israële carnali, cujus regiminis formam affectat.*

XXXIV. *Capita Bestiæ septem,*

XXXV. *sunt septem montes*

XXXVI. *typi Dynastiarum septem & totidem rectorum.*

XXXVII. *Quibus non succedentes sibi septem potestates urbis Romanæ,*

XXXVIII. *sed totidem provinciæ ditionis Romanæ denotantur.*

XXXIX. *Cornua Bestiæ decem affigenda sunt non capitibus singulis Bestiæ, sed septimo monti seu Regi, quatenus ei octavus convenit, & quidem non semper, sed unam horam, qua ij robur suum Meretrici & Bestiæ collaturi erant ad conservandam unitatem fidei.*

XL. *Consectarium ex iis, quæ de Bestia dicta sunt, deductum.*

XLI. *Judicium meretricis explicatur.*

XLII. *Casus Babylonis ab Angelo Apoc. xviij.* 1. 2. *ingeminatus non est finalis,*

XLIII. *& in Meretricis desolatione, fideliumque ab ea separatione consistit.*

XLIV. *Judicii incrementum in plagis Babyloni à populo Dei infligendis consistit.*

XLV. *Peremtorium & finale ejusdem judicium subita ejus deletione,*

XLVI. *adeóque πανολεθρία Babylonis absolvitur.*

XLVII. *Ex superioribus Babylon magna θετικῶς definitur, characteribúsque suis clarissimis circumscribitur.*

Instituti continuatio, & explicandorum verborum Prophetiæ continuatio.

I. Quid Babylon Magna, meretrix propudiosa, & eandem portans Bestia non sit, ita explicavimus hactenus, ut ad cognoscendum, quid sit utraque illa, nec Oedipo divinatore, nec natatore Delio quicquam amplius indigeamus. Lucem tamen nonnullam fœneraturi argumento, cujus exactior cognitio si quo alio, hoc certè inprimis tempore momentum haud exiguum habet, ejusdem Babylonis definitionem & demonstrationem solidam molimur. Quam quidem priùs quàm

quàm aggredimur, lubet in antecessum Prophetiæ de Babylone & Bestia verba, difficiliora cumprimis, quoad sensum saltem indefinitum, explicatiora reddere, ut obscuritate sublata, & præjudiciorum discussis nebulis, ipsa deinceps demonstratio feliciùs expeditiúsque procedat.

II. Ante omnia Meretrix illa famosissima vocatur *Βαϐυλὼν ἡ μεγάλη* *Babylon illa magna* Apoc. XVII. 5. Alludi autem ad veterem בבל רבתה *Babylonem magnam* Dan. IV. 30. cui nomen inditum est à *confusione*, quia שם בלל יהוה שפת כל הארץ *ibi confudit Deus labium universæ terræ, & inde dispersit eos Jehova super universam terram*. Gen. XI. 9. abundè liquet. Qui igitur mysterium Babylonis hujus Apocalypticæ explicare contenderit, ei post tempora S. Johannis demonstrandam esse Babylonem quampiam veteri illi Chaldaicæ non planè dissimilem, in qua scilicet ob studium constituendi nominis exstruendæque vastissimæ turris confusum sit labium, ex qua dispersæ sint gentes, quæ sensim magnam ad potentiam pervenerit, quæ sceleribus multifariis piaculare caput alligârit, quæ sanctos persecuta fuerit, Ecclesiámque ipsam captivam redegerit, ex qua Ecclesia exire jussa paruerit, quæ ob impietatem gravissimam judicium Dei provocaverit, extra omnem dubitationis aleam positum est.

Babylonem definituro ostendenda est ejus analogia quædam cum Babylone Chaldæa veteri.

III. Olim quidem meretrices pudoris prostituti in cellæ, quam *depromptuariam* Plautus *Amphitr. A. 1. sc. 1.* vocat, seu lupanaris foribus præscribere nomina solebant. Seneca Controv. 2. l. 1. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus.* Tertullianus *de Pudicitia: Sub ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis.* Juvenalis *Satyr.* 6. v. 123. *Nuda papillis constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ.* Aliquando etiam in fronte signari sueverunt, teste Seneca *loc. cit.* ubi sic ille: ***Nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri ac-***

Meretrices olim titulum præferebant.

cepisti &c. De quo vide sis plura apud Durantium *lib. 1. var. cap. 2.* Meretrici proin etiam huic mysticæ præfigendus titulus erat, sed in fronte scilicet, non alibi, quia palam profiteri quid esset, nullam quietem dare oculis & aliorum quoque frontibus signaturam imprimere, uti ex Apoc. XIII. 16. constat, debuit. Opponi etiam debuit præscriptio tituli in fronte meretricis non solùm præscriptioni tituli קדש יהוה *Sanctitas Jehovæ* in frontali Pontificis, sed etiam præscriptioni tituli Sanctorum seu Servorum Agni, nomen τ πατρὸς *Patris* Agni in fronte sua scriptum præferentis. Apoc. VII. 3. XIV. 1. XXII. 4.

Babyloniæ meretricis titulus est, Mysterium, IV. Titulus hic fronti meretricis præfixus est: μυςήριον *Mysterium* Apoc. XVII. 5. Quod nomen Arethas olim, & post illum Menochius, Gagneus, Alcasar, à Lapide, Brigthmannus, alii negant vel titulum esse, vel tituli partem, asseruntque, esse rem ab ipso Johanne additam, ut titulum sequentem *Babylon magna* &c. non propriè, sed mysticè intelligendum esse insinuetur. quasi scilicet diceretur, super frontem ejus scriptum esse nomen illud μυςηριῶδες *mysticum*, Babylon magna &c. Quam sententiam meritò rejicit, utpote parùm convenientem textui, in quo post verbum ὄνομα γεγραμμένον incisionem exemplaria, non parenthesin habent. Scribendum insuper fuisset non μυςήριον *mysterium*, sed μυςηριῶδες *mysticum*, scilicet nomen, in fronte scriptum.

prodens scilicet professionem ejus, quod Mysteria Divina penes se recondita sola habeat. V. Omnino igitur vox illa μυςήριον ad titulum pertinet, & meretricis jactantiam, professionémque ad amorem sui scortatores allicientis significans, ei opponitur, quòd Cap. XIII. 1. de Dracone dicitur, capitibus ejus ὄνομα βλασφημίας *nomen blasphemiæ* inscriptum esse. Sicut autem Pontificis olim titulus frontali ejus inscriptus, erat: *Sanctitas Jehovæ*; & agni ac sequacium ejus, *Pater*, uti supra meminimus: ita Meretrix isthæc quæ sola veteris Sacerdotii

Sacer-

Sacerdotalem panopliam ex professo æmulatur, & affectat, imitandum sibi consilium isthoc statuens, titulum sibi quempiam honorificum, quo oculorum humanorum aciem perstringeret, séque amasiis suis efficaciter commendaret, præfigendum putavit, quem ex professione ipsa meretricis Spiritui S. elicere placuit. Cùmque mysterium arcanam Dei voluntatem significet, speciosum eum, & instituto suo planè conducibilem titulum selegit, persuasura scilicet hominibus, se veri mysterii esse depositorium & custodem; se in scrinio pectoris sui clausa habere secreta Dei; se religionis, cultus, ceremoniarum divinitus sibi revelatarum verissimam promam condam esse; à se denique non aliunde, arcanam voluntatem Dei, ejusque intelligentiam omnem arcessendam unicè esse. Atque eodem planè sensu Daniel IX. 36. de Antichristo prædicitur ידבר נפלאות *Proloquetur admirabilia*, mysteria scilicet, quibus nequitiam suam tecturus, incrustaturúsque erat.

VI. Sequitur hinc, ei, qui Babylonem magnam demonstrare & definire satagit, necessariò ostendendam esse ejusmodi Thaidem, quæ mysteria religionis sacratissima jactet, & sub prætextu Mysterii pietatis oculos fascinet plurimorum, qui meram pietatem apud eam regnare, intimam voluntatem Dei in penetralibus ejus latere, atque ab ea perinde atque ab ipso Deo & spiritu ejus omne fas, religionem omnem hauriendam esse putant. Aliud enim significari voce *Mysterii*, dici certè nulla ratione potest. Etenim omnino μυστήριον *Mysterium*, vox ab Hebræo מסתר *Mistar*, quod *secretum* notat, derivata, uti eruditè Doctiss. Casaubonus *Exercit.* 16. *ad A. Baronii* 43. notat, non aliud, quàm arcanum ad sacra pertinens, seu, uti Chrysostomus exponit τὸ ἀπόῤῥητον καὶ θαυμαστὸν καὶ ἀγνοούμενον, quod sine revelatione divina *exprimi* & *cognosci nequit*, adeóque *Admirabile* quodpiam. Unde ipsi etiam gentiles

Babylon igitur religionis prætextu imponit.

gentiles mysterium insigniunt arcanos suos cultus & religiones πλετὰς, καὶ ἐποπτείας, quæ plerunque impuræ & abominandæ erant, velut Eleusinia Sacra.

Mysterium, cujus obtentu imponit, est non pietatis, sed impietatis, quia est mater scortationum.

VII. Concedit Spiritus S. meretrici nomen isthoc μυστήριον, quasi diceret: Revera est mysterium, sed μυστήριον non εὐσεβείας *pietatis* 1. Tim. III. 16. verùm ἀνομίας *iniquitatis*, & defectionis in hypocrisi operantis 2 Thess. III. 7. 10. 1 Tim. IV. 2. Neque hoc tantùm, sed jactantiæ etiam meretricis opponit apertam veritatem, quòd videlicet tantum absit, ut sit mysterium pietatis, ut sit potiùs βαβυλὼν ἡ μεγάλη, ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν καὶ τῶν βδελυγμάτων *Babylon illa magna, illa mater scortationum & abominationum* Apoc. XVII. 5. Quæ dicta esse per μυκτηρισμὸν seu *irrisionem*, quia non sit quod jactat, sed id potiùs, cujus contrarium præ se fert, abundè liquet. Quis enim credat ullum cœtum, civitatem ullam, qualis Babylon definitur, se ipsam prælato quasi in fronte nomine, turpitudinis suæ damnaturam; & ea professione quenquam seducturam?

Mater est scortationis præcipuè spiritualis, defectionis à Deo vero ad creaturas.

VIII. Babylon igitur magna secundum rei veritatem Spiritui S. ea nota compungitur, quòd sit, *mater scortationum & abominationum*. Supra. v. 1. πόρνην μεγάλην *Meretricem magnam* v. 3. γυναῖκα *Mulierem*, hîc μητέρα *Matrem*, nuncupat. Sequioris igitur fœminei, non fortioris & masculini sexus Babylonem facit. Quomodo & mulieris Jezabelis Apoc. II. 20. 21. mentio est: & Salomon in Proverbiis non uno loco אישה זרה *mulieris peregrinæ, fatuos ad se invitantis*, cui sapientiam opponit, meminit. Notum scilicet est, eum sexum impotentiorem faciliùs deliciis diffluere; & per χρηστολογίας, εὐλογίας, omnémque ἀπάτην ad easdem potentius insidiosiúsque allicere, flagrantiúsque & impotentius tum amare, tum odisse. Alluditur autem ad veterem Babylonem, quæ Esai. XLVII. 1. בת בבל *filia Babelis* vocatur. Denique cum veram Eccle-

Ecclesiam Mulieri in desertum profugæ superiùs cap. XII. 1. 2. prophetia comparaverit Babylonem pro æmula ejusdem se gerere, insinuare eadem opera videtur.

IX. Neque qualiscunque hæc mulier est, sed πόρνη μεγάλη *Meretrix magna* Apoc. XVII. 1. seu scortum insatiabile, & cui simile non prostat, imò *mater scortationum & abominationum terræ*, hoc est, ejusmodi, ex qua in Civitate illa scortationes & abominationes omnes proveniunt, quæ est exemplar, fons & origo omnium fornicationum, & abominabilium scelerum, quæ ipsa seminavit, edidit, eduxit, propagavit, & ad quæ patranda multos filios, hæredes, sectatores, protrudit. Ut verè dicatur Meretrix hæc ex genere βαρβοριτῶν *Barbaritarum*, de quibus Epiphanius in Panario, & Oecumenius in Judam, scripsêre. Scortationem intelligi utramque & *spiritualem*, quæ est conversio amoris & affectus à Deo ad Creaturam, & *corporalem*, quæ amoris illiciti fœda prostitutio est; nihil vetat, cùm ut plurimum indissolubili nexu utraque jungatur, & Prophetia matrem appellet non πορνείας *scortationis* simpliciter, sed πορνῶν *scortationum & abominationum terræ*. Spiritualis autem κυρίως intelligitur, non corporalis, quia cum Babylone, civitate scilicet Magna, uti infra v. 18. vocatur, Reges terræ scortati, incolæ terræ vino scortationis ejus inebriati dicuntur, quod de corporali scortatione propriè intelligi nequit. *Civitates idolorum cultrices solent in sacris meretrices nuncupari, sicut idololatriæ etiam nomen fornicationis tribuitur. Esaj. xxiij. 15. Jerem. ij. 20. & cap. iij. 1. Ezech. xvj. 3. Mich. 1. 7.* inquit Alcasar *ad Apoc. xvij. 1.* Verbo, defectio intelligitur à vero Deo & Christo Creatore & Redemtore, à Lege & Verbo ejus, quo salus promittitur, ad creaturas, tanquam ad summum bonum: conversio amoris à Deo ad mundum; λατρεία τῆ κτίσεως παρὰ τὸ κτίσαντα *cultus creaturæ*

L *supra*

supra Creatorem Rom. 1. 25. Apostasia à Deo vivo, perfidia & nefaria idololatria.

Proin in externa Ecclesia meritorium propudium aliquod est, Deo & Christo fidem fallens.

X. Proin Babylonem veram investigaturo & detecturo quærendum est in Ecclesia externa meritorium aliquod propudium, quod Deo, Christóque fidem fregit, ejusque cruci valedicens quæstum in mundo facere occœpit, quòdque insuper poculo fornicationis propinato Reges & incolas terræ inebriatos ad scortandum secum immaniter seducit: ita ut mulier illa se loco Dei, tanquam Deum, gerens Reges illos & incolas terræ ad se loco Dei viventis relicti amandum, colendum, sibique adeò impertienda ea, quæ solius Dei sunt, aucupandi honoris Divini, captandi quæstus, emolumenti commodorúmque terrestrium gratia, pelliciat.

Scortatio Spiritualis meretricis in eo potissimùm consistit, quòd loco veri Dei se ipsam colendam religiosè prostituit.

XI. Manifestum enim est, scortationem spiritualem ejusmodi Meretrici huic competere, qua non tantùm à Deo summo & incommutabili bono se perfidiosè avertat, & ad creaturas, ceu supremum quoddam Numen, si non professione aperta amoris, cultus, religiosi obsequii, (quomodo fœdissima quandoque meretrix perfidiam tegit, & operata iniquitatem, os tamen abstergit, & iniquitatem se patrasse negat) at reipsa tamen se convertat, atque sic non in Deo vivo, sed in Dei vivi operibus non tam glorietur, delicietur, quàm lasciviat turpissimè: Sed etiam ipsa se horribili quadam metamorphosi in Deum permutet, & fascino quodam philtróque propinato ad se, vice Dei & Christi amandum, colendum, glorificandum, Reges & incolas terræ, in se scilicet deliciaturos, & appetitum voluptatémque omnem exsatiaturos, invitet, iisque se cupidissimè prostituat.

Idololatria seu scortatio duplex meretricis probè distinguitur.

XII. Unde consequens est duplicem, probéque distinguendam, idololatriam meretrici huic competere. Prior illa est, qua religiosum cultum ipsa creaturis impertitur. Poste-

Posterior, eáque præcipua, quæ hîc spectatur, qua se ipsam pro Numine venditans, ad cultum, venerationem sui Reges & incolas terræ invitat, iisque adeó procumbens satietatem cupiditatum, deliciarum, bonorum omnium, temporalis puta & æternæ salutis promittit. Proin non simpliciter πόρνη *meretrix*, sed μήτηρ *mater* omnium *scortationum*, poculum aureum plenum abominationibus & impuritate scortationis suæ manu gestans, adeóque philtro quodam ad scortandum secum, in se deliciandum luxuriandumque studiosissimè invitans, inducitur. Quis autem dubitet hanc fœdissimam omnium idololatriam esse, qua quis non tam ipse creaturas colit, quàm ceu Numen quoddam Divinitatis particeps, & Divinitatem quandam creaturis impertiens, promissa quinetiam felicitate temporali & æterna, creaturis se colendum, adorandum, glorificandum liberaliter offert, prostituitque.

XIII. Sic meretrix convenit planè cum *Homine illo peccati, filio perditionis*, ἀντικειμένῳ *Adversario* Christi scilicet famosissimo, de quo S. Paulus 2 Thess. II. 4. testatur, quod se efferat ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα *super omnem, qui Deus aut Numen dicitur; adeò ut in templo Dei tanquam Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum.* Hoc scilicet propriè est esse *matrem scortationum, & poculo scortationis Reges & incolas terræ ad scortandum secum invitare, quod* Apostolus dixit *efferre se supra omne quod Deus, aut Numen dicitur, in Templo Dei instar Dei sedere & divinitatem præ se ferre*, hoc est, non ad Deum vivum, sed ad se loco Dei promittentem cœli thesauros & felicia quæque, colendum, glorificandum, adeóque sagenæ suæ sacrificandum, reti suo adolendum, invitare liberaliter, & pellicere potenter.

Meretricis convenientia cum Antichristo.

XIV. Pòrro Angelus Dei Apoc. XVII. 18. Babylonem illam magnam, matrem scortationum & abominationum definit

Meretrix civitas Magna est. non

inclusa tamen Roma mœnibus.

definit πόλιν μεγάλην, ἔχουσαν βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς *Civitatem magnam, habentem regnum super Reges terræ*. Sensus duplex esse potest. Prior, quòd ea Civitas, quæ S. Johannis tempore Regnum in Reges terræ habuit, quandoque in magnam meretricem illam degeneratura sit. Posterior, quòd Babylon illa Civitas sit, quæ Regnum in Reges terræ habitura est. Uterque sensus commodus sit licet, πόλις tamen seu *Civitas* illa, Romana licet, Romæ tamen mœnibus includi non debet. Tametsi enim Apoc. XVII. 9. *Septem montes* Romam Urbem mœnibus inclusam arguant, eosdem tamen symbolicè septem Reges, seu populos totidem significare, versus 10. & 11. statim sequentes abundè testantur. Certè πόλις *Civitas* Romana montibus Romæ non fuit alligata, cùm Cives Romani etiam in Provinciis nati fuerint, uti S. Pauli Tharsensis Cilicis licet, Civis tamen Romani exemplum fidem facit. Ad eandem nempe Civitatem pertinent, qui eodem jure utuntur, ubicunque terrarum sint. Bestia quoque ita in septem urbis Romanæ montibus habitat, ut iis tamen includatur minimè, cùm & capita nonnulla, & cornua ejus sese extra urbem Romanam protendant.

Civitas apud Græcos & Latinos ab urbe distinguitur,

XV. Hinc adeò & Græci, & Latini Civitatem ab Urbe distinguunt. Græcis enim quandóque non locum mœnibus cinctum, sed πολιτείαν jus ipsum Civium, sive eodem, sive diversis etiam locis habitantium, denotat. Ita Eustathius *ad Iliad.* ρ. Οἱ δὲ παλαιοὶ φασὶ πόλιν μὲν τὴν πολιτείαν ἄστυ δὲ τὸ τεῖχος. *Veteres Civitatem vocant πολιτείαν jus civitatis; urbem verò mœnia.* Aristoteles *Polit. lib.* 1. *cap.* 2. ἡ ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις. *Civitas* vocatur *ex pluribus vicinitatibus, communitas perfecta.* Thucydides lib. VII. Ἄνδρες γὰρ πόλις, καὶ οὐ τείχη. *Viri Civitas sunt, non mœnia.* Tacitus *de moribus Germanorum*, civitates eos habuisse, urbes non habuisse,

buisse, sed sparsim habitasse scribit. Cæsar de Bello Gallico lib. I. *Omnis Civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est*. Lib. VI. *Parisii Senonibus civitatem patrum memoria conjunxerant*. Rutilius de Romana urbe:

Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit injustis te dominante capi.
Dúmque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, quod priùs Orbis erat.

Unde Civibus loco motis licet, civitatem ipsam non ilico deficere, Politici etiam sciscunt. Ita Athenienses Athenis direptis in naves aufugerunt, eò quòd Oraculum respondisset: *Civitatem Atticam fore salvam in muris ligneis*. Megalopolitani quoque, Cleomene eos invadente urbem deseruisse, civitatem secum abduxisse dicuntur. Pompejus denique apud Dionysium *lib.* 41. cùm ducentos senatores & meliorem civium Romanorum partem Roma secedere audivisset, non in parietibus Civitatem esse dixit. Plura eam in rem convehere desino, cùm res ex iis quæ dicta sunt, clara efficiatur.

XVI. Neque etiam significatus hic in S. literis prophe- *etiam in S. literis.* ticis hospes & inusitatus est Cant. V. 2. Sponsa sic loquens inducitur: *surgam nunc & circuibo* בעיר *per Civitatem, per plateas, & per loca lata quæram quem diligit anima mea*. Ubi Civitatem mœnibus Cinctam nemo intelligit, nisi qui Christnm sponsum civitati ejusmodi includere velit. Par ratio est loci Cap. V. 7. *Invenerunt me Custodes* הסובבים בעיר *circumeuntes Civitatem*. Ita Apoc. XI. 2. Gentes calcaturæ dicuntur ἐπὶ τῆς πλατείας πόλεως τῆς μεγάλης *in platea Civitatis magnæ, quæ spiritualiter nuncupatur Sodoma & Ægyptus, ubi Christus crucifixus est*. Insuper Cap. III, 12. Vincenti nomen inscribendum dicitur Dei, καὶ τὸ ὄνομα τῆς πόλεως τοῦ θεοῦ τῆς καινῆς Ἱερουσαλὴμ: *& nomen Civitatis illius Dei, novæ Hierosolymæ*. Denique Apoc.

xx. 9. Gogus & Magogus ascendisse dicuntur in planitiem terræ, & cinxisse τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην *Civitatem illam dilectam*. Quibus locis nomine πόλεως *Civitatis* textum quendam, vel ordinem domorum materialium muris circumdatum significari, nemo castus peritúsque Scripturæ interpres affirmaverit.

Est igitur civitas, hoc est multitudo per caput aut capita sociata, adeóque civitas imperitans,

XVII. Sic Babylon erit πόλις *Civitas*, hoc est, multitudo sociata per caput aut capita, utens potestate imperandi, tanquam jure metropoleos; & ibi ubi est metropolis illius Imperii, & quocunque Imperium illud extenditur. Dominantem enim, seu imperitantem Civitatem intelligi, vel inde apparet; quod Apoc. XVII. 3. *Mulier* καθημένη *sedens super Bestia* inducitur. Regit igitur Bestiam haud aliter, quam eques in equo sedens eum regit, subigitque pro lubitu, uti quidem etiam Apoc. VI. 2. 4. 5. 8. Equites in equis sedentes, eósque moderantes & ad obsequium flectentes memorantur.

non politica, sed religiosa,

XVIII. Neque tamen societas & multitudo illa dominans intelligitur hominum politicorum vel secularium, qui civili potestate utuntur, sed religiosa potiùs principum scilicet alterius generis, quales apud Israëlitas שרי קדש *Principes sanctitatis*, seu *Sanctuarii*, dicebantur. Vocatur enim Civitas hæc πόρνη *meretrix*. At potestatem politicam, sive parva sive magna, sive regia, sive ἀριστοκρατικὴ aut popularis sit, per se *meretricem* nemo appellaverit. Quamvis imperium civile falsam religionem exercens ex accidenti *meretricem* vocari posse, non abnuo. Atqui Babylon non simpliciter meretrix appellatur, sed ad scortandum etiam, adeóque religionem falsam exercendam Reges & incolas terræ propinato scortationis poculo seducere dicitur. Unde colligere est, Civitatem eam sibi jus docendi & præscribendi religionem arrogare. Quod in civitatibus sine Pontificibus, flaminibus, sacrorum antistitibus fieri non solet.

ſolet. Inſuper Apoc. XVII. 18. Mulier illa vocatur *Civitas illa Magna*, quæ habet Regnum in Reges terræ. Genuina igitur ejus proprietas eſt, *imperare Regibus* terræ, adeóque ſibi Principes politicos ſubjicere. Civitas verò & Regnum illud, cui Principes Politici ſubjiciuntur, Regno Politico utique contradiſtinguitur, adeóque Eccleſiaſticum eſſe intelligitur.

XIX. Civitas porrò illa, ſeu multitudo per caput aut capita ſociata dominans religioſa, adeóque Hierarchia quædam Romana cùm Ethnica non ſit, uti ſupra demonſtravimus, conſequens eſt, ut Chriſtiana; hoc eſt, nomine Chriſti, ſed in mendacio, non in veritate, utens, adeóque ſpecioſis prætextibus, & ſplendida quadam apparentia imponens, ſic videlicet, ut prætextu Chriſti, authoritatis & nominis Divini aliam authoritatem & poteſtatem loquendi, qua homines ad obedientiam obligentur, meretrix introducat, intelligatur. Quod inprimis inde liquet, quòd prophetia Apoc. XI. 7. 9. 11. XIII. 7. XVII. 14. arguit, ſimul nomen Chriſti & meretricis, Agni & Beſtiæ habentis cornua *inſtar Agni*, per omnes gentes prædicari debuiſſe. Quod fieri non potuit, niſi meretrix illa nomine Chriſti & Agni ad authoritatem & regnum in ſe derivandum abuteretur.

eáque non Ethnica ſed Chriſtiana, adeoque Hierarchia quadam Chriſtiana,

XX. Atque id magis etiam conſideratio Beſtiæ meretricem portantis confirmat. De qua falſas interpretationes cùm ſupra perſtrinxerimus abundè, firmíſque rationibus rejecerimus, è re nunc fuerit indefinitam quandam ejuſdem explicationem aggredi.

quod Beſtia etiam, Meretricem portantis conſideratio arguit.

XXI. Stylo Prophetico, uti ex Daniel. cap. VII. inprimis colligitur חיוה θηρίον *Beſtia* non unum hominem quempiam, ſive regnantem, ſive obedientem, ſed multitudinem hominum regnum aliquod conſtituentem, & hoc quidem loco parentem, ſervientem (Mulier enim in Beſtia ſedens,

Eſt enim Beſtia multitudo hominum animalium Meretrici ſervientium.

ſedens, adeóque eidem dominans, in ſervitutem eam redigens inducitur) ſignificat. Certè S. Johannes ipſe Apoc. XI. 8. Beſtiæ *πόλιν μεγάλην Civitatem magnam* tribuit. Quæ quidem Civitas magna, Beſtiæ ditio, non unum aliquod pomœriis ſuis incluſum oppidum (ita enim Geometrarum eſſet Civitatem indicare, quæ orbe terrarum maximo pomœrio incluſa foret) ſed ditionem amplam, & imperium ejuſmodi, in cujus omnibus partibus ſunt Cives eodem jure, ab uno Capite ac ſenatu pendentes. Etenim mulier illa ſedens in Beſtia ſedere dicitur *ἐπὶ τῶν ὑδάτων πολλῶν ſuper aquis multis* Apoc. XVII. I. quæ mox verſu 15. *λαοὶ καὶ ὄχλοι, καὶ γλῶσσαι, καὶ ἔθνη populi, & turbæ & linguæ & gentes* exponuntur. Unde colligere clariſſimè eſt, eam multitudinem, quæ Beſtia dicitur, & in qua Mulier ſedet, eſſe in multis populis, turbis, gentibus & linguis.

Typus ejus proponitur Roma vetus.

XXII. Typum ejus rei præbet Roma vetus, quæ toti ferè Orbi imperitans, in Orbe univerſo fuit. Neque enim niſi per Romanos Romanorum Imperium teneri potuit. Hinc Præſides, Proconſules, Legati, Imperatores, Legiones, Mercatores, Publicani in omnibus Provinciis erant. Sicut igitur Romanus Senatus cum Principe, populo Romano, Romanus verò Populus gentibus ſuperpoſitus fuit regendis, ſubigendis: ita Mulier populo ſuo, & populus ejus multis populis ita & intereſt & præeſt, ut multi populi gentes & linguæ ipſi ſerviant.

Beſtia eſt multitudo hominum Meretrici, ſeu Hierarchiæ dominanti parens, non infidelis ſimpliciter, ſed Chriſti nomen præ ſe ferens,

XXIII. Hanc porro Beſtiam, ſeu multitudinem hominum animalium Meretrici ſeu Hierarchiæ dominanti obedientem, eſſe populum non gentilem vel ſimpliciter infidelem qualemcunque, ſed veri Dei & Chriſti nomen præ ſe ferentem, adeóque שפת חלקות בלב ולב *labiæ blanditiarum cum corde & corde* loquentes Pſalm. XII. 3. Apocalypſis ipſa dubitare neutiquam ſinit. Beſtia enim illa Apoc. XIII. 2. ſucceſſit Draconi, ejúſque poteſtatem & thronum

thronum occupavit. Quòd si igitur Draco, uti supra veritati dedimus, est Sathanas populi Romani ipsum palam adorantis viribus & potestate armatus vestitúsque: utique Bestia, cui Draco thronum suum cessit, est multitudo Christiano nomine non in veritate ovans, eandémque potestatem usurpans. Sicut igitur populus Romanus Diabolum palam adorans, falsos Deos nominans, & Christianam religionem oppugnans Draconi septem capitum accensetur: ita procedente tempore, quando Draco Bestiæ thronum resignavit, populus eidem succedaneus passim Christianum nomen præ se ferens, verba fundamenti loquens, audiens, vel dici permittens, at de cætero ea vel non intelligens, & in Christum fide recta & sincera non credens, sed potiùs opiniones hominum erroneas sequens, authoritatémque humanam nominans, adeóque populus Christianus hypocriticus Deo vero & Christo mentiens, Bestia est. Neque enim Christianus est, quisquis Christum nomine profitetur, juxta S. Augustini etiam sententiam, sapienter ita *Enchirid. cap.* 5. scribentis: *Si diligenter, quæ ad Christum pertinent, cogitentur, nomine tenus invenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsa non est apud eos.*

XXIV. Ampliùs id ipsum antithesis Civitatis sanctæ demonstrat. Veri enim, ἀνυπόκριτοι & ἀκίβδηλοι Christiani, sive firmi, sive adulti, sive infirmi, seu pueri in fide, constituunt haud dubiè πόλιν ἁγίαν *Civitatem illam sanctam*, cujus thronus est in cœlis, quæque adeò se soli Christo Domino, Regi & Capiti ad dextram Dei Patris sedenti regendam permittit. Draco verò cum nominibus falsorum Deorum omnique idolorum vetustorum pompa, & χρηστηρίων *Oraculorum* præstigiis abiit, & throno suo cessit. Quid igitur *Bestiæ* reliquum est nisi populus Christianus ψευδώνυμος, thronum habens in terra, potentiam civi-

quod etiam antithesis Civitatis sancta, nec non Bestia posterior Apoc. xiij. 11. &c. arguit.

M tatis

tatis Draconis possidens, & per id, quòd nomine Christi gloriatus licet, veram tamen fidem non habet, *à civitate sancta* distinctus? Et quomodo non Bestia populum falsò nominatum Christianum significabit, cum posterior Bestia, quæ Apoc. XIII. 11. &c. describitur, coram priore omnem potestatem ejus faciens, Cornua gerere ὅμοια ἀρνίῳ *similia* cornibus *Agni* dicatur? Quod nihil aliud quàm similitudinem Agni in hypocrisi, sive usurpationem subdolam eorum, quæ vero Agno competunt; sive cornua illa sint duo testamenta, uti Primasius explicat; sive potestas aperiendi & claudendi, significare potest.

Magis etiam materia, ex qua Bestia conflata est, puta gentes, quibus exterius atrium Templi datum est, quæque civitatem sanctam calcare. 42. menses debuerunt.

XXV. Quin imò Apoc. XI. 2. non obscurè indigitatur materia, ex qua Bestia hæc conflata est, scilicet ἔθνη τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν πατήσουσι μῆνας τεσσαράκοντα δύο, *gentes, quibus exterius atrium Templi datum est, calcantes Civitatem sanctam menses quadraginta duos.* quod tempus mensium quadraginta duorum idem est cum tempore, quo Apoc. XIII. 5. Bestia prior ποιῆσαι *facere*, rem suam gerere, prosperare dicitur. Unde gentes atrium exterius possidentes, Bestiæ materiam esse colligitur. Quid autem gentes atrium exterius possidentes, & civitatem sanctam calcantes aliud sunt, quàm Zizania tritico permixta, Christiani λεγόμενοι, Deum verum, Christum ore confitentes, reapse & opere abnegantes? Nam secundum id, quod revera sunt, vocantur ἔθνη *gentes.* Quid enim aliud Christiani hypocritæ, homines ψυχικοὶ *animales* sunt, quàm gentes, veri Dei & Christi abnegatores? Secundùm id verò, quod nominantur, & esse videri volunt, versari ἐν αὐλῇ *in atrio* Templi, & *civitatem sanctam calcare* dicuntur. Quod haud dubiè faciunt illi, qui cum fidelibus quoad id, quod hypocritis, & verè fidelibus commune, adeóque externum fere & terrestre tantum est, conjunguntur, nomine Christi, lectione Scripturarum, verbis fundamenti, sacramentis, loco

loco congregationis communi cum fidelibus utuntur, *συνευωχῶσι unà* cum fidelibus *epulantur* 2 Pet. II. 13. qui denique non tantùm ita in atrio exteriore & civitate sancta versantur, sed etiam civitatem sanctam *πατῶσι calcant*, hoc est, eandem graviter premunt, & adversus verè fideles infestos sese gerunt. Nunquam enim non qui secundùm carnem est filius, eum qui secundùm spiritum est, persequitur Gal. IV. 29.

XXVI. Typus hujus rei fuit Israël carnalis. Etenim populo, qui ceu impurus typicè ab altari removebatur, Templi partem eam, in qua altare erat, quæque קדש *ἅγιον Sanctum* appellabatur, ingredi nefas erat. Deus enim eum טמא *impurum declaravit in oblationibus suis* Ezech. XX. 26. Ejus loco sanctificavit filios Levi, futuros sacerdotale genus, qui adoraturi & sacrificaturi Sanctum ingrederentur, cultùmque divinitus præscriptum celebrarent; Pontifice quotannis semel etiam ipsum Sanctum Sanctorum ingrediente, & injunctum sibi munus obeunte. Qui igitur in atrio stabat, populus Dei licet, impurus tamen typicè & legaliter censebatur. Qui vèrò sanctum ingrediebantur, Sacerdotes altari devoti, sancti & puri typicè & legaliter censebantur. Ad typum huncce alludens Apocalypsis externam Ecclesiæ Christianæ post Draconis imperium communionem Templo Solomonis typico comparatam ita distribuit, ut partem, atrium scilicet foras projiciendum *gentibus*, hoc est, Christianis hypocritis, non legaliter tantùm, & typicè (neque enim typum & antitypum in omnibus congruere necessum est) sed verè impuris, impiis & merè animalibus in atrio versantibus, adeóque in externo cultu cum verè fidelibus communicantibus: partem verò *sanctis*, non in atrio duntaxat, sed *Sancto ipso* consistentibus adorantibúsque, & cum vero altari Christo, fide haud simulata communicantibus tribuat. Cúmque tempus

Ejus rei typus proponitur Israël carnalis.

gentibus civitatem Sanctam calcantibus constitutum Apoc. XIII. *Bestiæ* tribuat, adeoque gentes & Bestiam Synonyma Spiritus S. faciat; liquidò inde, Bestiam multitudinem hominum oretenus Christianum nomen confitentium, fidémque in Christum simulantium esse, conficitur.

Babylon meretrix & Bestia quæ sit, ex superioribus θετικῶς definitur.

XXVII. Quæ igitur θετικῶς, quoad sensum indefinitum saltem, sit Babylon, seu Meretrix, quæ Bestia, abundè jam colliquescit. *Babylon* scilicet seu *Meretrix* est Civitas magna dominans, seu Hierarchia Christiano nomine abutens & mysterii religionísque prætextu imperans populo pro Christiano se venditanti, & se illi religiose cum omni sua potentia subjicienti. *Bestia* verò est multitudo hominum animalium terrestrem potentiam obtinens, nomen Christianum professa, & religionis mysteriique causa se Hierarchiæ Dominanti subjiciens, eique religiose obsequens.

Habitus externus Mulieris est purpura, coccinum &c.

XXVIII. Habitus Mulieris & Bestiæ externus à Spiritu S. Apoc. XVII. 3. 4. describitur, ut Mulier περιβεβλημένη πορφύρᾳ καὶ κοκκίνῳ, καὶ κεχρυσωμένη χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ καὶ μαργαρίταις *amicta purpurâ & coccino, & inaurata auro ac lapide pretiosô & margaritis.* Bestia similiter κοκκίνη *Coccinea* dicitur. *Coccinea* utraque statuitur, sive quia Mulieris Bestiæ insidentis exterior etiam vestitutus coccineus est (revera enim Spiritus S. characteribus ejusmodi perspicuis rem obscuram lectori etiam simplici insinuare voluit) sive quia per professionem externam fidei in Christum videtur Coccineo sanguinis ejus colore tincta, sive quia sanguinis Christi & sanctorum rea est. Neque quidquam obstare videtur, quò minùs singula Spiritûs S. voce illa figurare intenderit.

quæ tum ad literam, tum mystico sensu exponuntur.

XXIX. Amictus quoque Mulieris tum ad literam, tum mystico sensu accipi potest. Ad literam, quia Hierarchia illa, vel Reginæ dominio pollentis super Regna terræ fastu se

ſtu ſeſe proferens, vel æmula apparatus Tabernaculi veteris, ad cujus ſtructuram populus contulit זהב וכסף ותכלת וארגמן ותולעת שני *aurum*, & *argentum*, & *hyacinthum*, & *purpuram*, & *vermiculum cocci*. Exod. xxv. 4. 5. vel externo ſplendore faſcinatura & pellectura ad amorem ſui, purpuram, coccinum, aurum, argentum, pretioſos lapides, annulos ſibi circumpoſitura, & in externo cultu habituque propalam oſtentatura erat. Senſu verò myſtico, quia cum fuco & fallaciis, omníque ἐνεργείᾳ τῆς ἀπάτης *Mulier* apparere debuit; in cultu externo jactatura & prætextura ſcilicet nomen *Chriſti*, qui in carne venit, & *ſanguinem* purpureum & coccineum pro Eccleſia effudit, quod *purpuræ* & *coccini* ſymbolum ſignificat: nomen Spiritûs S. cujus divinam aſſiſtentiam ſibi arrogare debuit, quæ ſicut divina omnia, auri ſymbolo figurari potuit: nomen *Sanctorum*, juſtorum Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrùm, Patrum, qui *gemmis* & *margaritis* comparari potuerunt, nomen inprimis *Petræ*, lapidis pretioſi, ſuper quem Eccleſia ædificata ſit.

XXX. Ad exteriorem illum habitum *Meretricis* etiam ποτήριον χρυσοῦν *Auratum Poculum*, quod in manu habet, intus *abominationibus* & *impuritate ſcortationis* refertum, pertinet. Poculum igitur iſthoc quo ceu philtro quodam Meretrix ad libidinem invitat, aliud extus oſtentat, intus promittit aliud. Extus *aureum* cúm ſit, magnifica quæque præ ſe fert, qualia eſſe poſſunt cortex Verborum Dei, Apoſtolicæ traditiones, omníſque prætextus ex Scriptura arreptus, quo Meretrix ſibi authoritatem conciliare nititur; & ſimilia, quibus ceu illecebris & fraudibus ſuis circumſcriptos irretire miſere conatur. Accedunt ſplendidi, quibus Meretrix ſuperbit, tituli, majeſtas & ſplendor imperii, opum, honorum, deliciarum. Sed coruſcet licet fulgeátque extus mirificè poculum iſthoc, cramate tamen interiore

Ad eundem Meretricis habitum pertinet poculum aureum, intus abominationibus plenum, quo notatur cortex verborum Dei traditiones, aliaque tegumenta turpitudinis.

interiore tristius nihil mundus vidit. Abundat enim intus & sub tegmine verborum ac rerum speciosissimarum veneno exquisitissimo, meris abominationibus & impuritate scortationis, falsitatibus, mendaciis abominabilibus, corruptelis verbi Dei, quibus prona credulitate receptis adoptatísque à Deo vivo, à regno Dei, à Christo capite, à vera justitia homines ad alia omnia transversos abripit. Planè sicut philtra meretricum externa specie splendentia, intus autem mixta rebus impurissimis, & abominabilibus, puta cineribus ranarum, bufonum, serpentum, aliisque feralibus ejusmodi, improvidos, & externa specie dementatos impuris amoribus ad insaniam usque devincire, & amasiorum corpora, animásque pessundaret solent.

Interior Meretricis habitus sunt flagitia ejus.

XXXI. Interiorem Meretricis habitum & constitutionem produnt flagitia, quæ ei Apocalypsis imputat. De scortatione ejus horrenda supra vidimus. Accedunt crudelitas seu Tyrannis, blasphemandi cacoëthes, superbia, veneficia, & nundinatio, animarum cumprimis, quæ *Dissert.* 1. *§§.* 8-11. indigitata, clara adeò sunt, ut explicatione nulla indigeant. Par ratio est qualitatis *loci*, quem septicollem Romam in Apocalypsi definiri, abundé supra demonstravimus.

Bestia constitutio propria explicatur. Ejus ortus exprimitur verbis, quod fuerit, non sit, ascensura sit ex abysso, & abitura in interitum, quibus verbis notatur vel exortus à Dracone,

XXXII. Bestiæ verò constitutio propria explicationem nonnullam meretur, ratione inprimis ortus capitum & cornuum. *Ortum* quod attinet, de eo dicitur. Apoc. XVII. 8. *quòd fuerit, & non sit, & ascensura sit ex abysso, & in perditionem itura.* Cùm fuisse dicitur, supponitur præcessisse quippiam, cum quo Bestia similitudinem quandam habuerit. Duo autem præcesserunt, quibuscum Bestia similitudine quadam coaluisse dici potest. *Draconis* nimirum Imperium quod attinet, constat, Draconem thronum & potestatem suam cessisse Bestiæ Apoc. XIII. 2. Eatenus igitur Bestia cum Dracone convenire debuit. Quæ enim

enim in uno tertio conveniunt; ea quoque inter se conveniunt. *Erat* igitur in Dracone ratione ejusdem potestatis & throni; *non est*, quod Draco fuit, utpote qui gentes ad crassam idololatriam seduxit, cùm Bestia externam illam crassámque idololatriam deseruerit, & *ex abysso*, multitudine gentium exorta fuerit.

XXXIII. Sed & cum præcedente *carnali Israële* Bestia similitudinem quandam obtinet. Etenim 1. Respublica Israëlitarum à Deo ipso instituta, & Deo nomenclatore habens appellationem populi Dei, constabat hominibus circumcisis, qui in cultus Divini exercitio subdebantur Pontifici & sacerdotibus, sedentibus in loco, quem Deus elegerat; quibus obedire necessum habebant; quique locum habebant in mundo, in quo Deus habitare dicebatur, & in quo sacrificia Deo offerebantur; qui tamen circumcisi licet, maximam partem Deum, justitiam & fœdus ejus vel ignorabant, & cum soli Deo in bona conscientia inservire debuissent, pro timore Dei præcepti humani obedientiam habuerunt, id ipsum Salvatore nostro Matth. xv. 8. 9. ex Esaj. xxix. 23. hypocritis illis seriò exprobrante. Quis non cum carnali hoc Israële eatenus congruere Bestiam, multitudinem scilicet hominum animalium Christum oretenus profitentium, at de cætero Hierarchiæ certo in loco dominanti, cultum & sacrificia præscribenti, adeóque non tam Deo, quàm hominibus, non Agno & sponso Ecclesiæ, sed Meretrici profligatissimi pudoris sese subjicientium, intelligit? *Erat* igitur Bestia, hoc est, similem ante se populum, pro Ecclesia Dei se venditantem habuit, cujus tradux & propago veluti est. At *non est*; jure scilicet non est, quale olim fuit, quia, *vetera transierunt, & omnia nunc nova facta sunt.* 2. Cor. v. 17. Neque enim is Novo Testamento induci status debuit, qui sub Vetere obtinuit. Neque amplius Ecclesia potest esse ea,

vel similitudo cum Israële carnali, cujus regiminis formam affectat.

ea, quæ certis montibus, uti mox dicetur, certoque loco affixa eſt, cùm Eccleſia Chriſtiana Caput ſuum habens in Cœlo ad dextram Dei, in terra ad locum nullum conſtringi poſſit. Beſtia igitur talis hominum multitudo, non vera Chriſti Eccleſia eſt. Καίπερ ἐστι, *Et tamen eſt*, Beſtia, hæc. Quippe præ ſe fert nomen Chriſti, & verbum ejus. In medio quoque ejus ſunt Sancti, qui propter communionem externam bene de illis ſperant. Iccirco vocatur Eccleſia & populus Dei, ſed quia *non eſt*, jure videlicet, utpote carens divina inſtitutione, cùm Deus ejuſmodi Eccleſiam, cujus Caput ſit terreſtre, cujus Paſtores infallibiles, legiſlatione ac juriſdictione divinitus non approbata utentem, & quæ certam fixámque ſedem in mundo à qua authentica interpretatio verbi arceſſenda ſit, non inſtituerit, neque etiam errores, quos Beſtia veris dictis admiſcet, Verbi Divini teſtimonium habeant, iccirco Spiritus S. Beſtiam illam à Deo prodiiſſe negans, ex abyſſo potiùs infauſtum caput protuliſſe, & interituram fortiter aſſeverat. Utérque ſenſus, & prior ille, & poſterior hic, verbis Prophetiæ hujus quin conveniat, negari nequit. Si proin vel uterque, vel alteruter ſenſus in eo populo, quem Beſtiam eſſe in loco definiemus & demonſtrabimus, reperire dabitur, ſatis prophetiæ fiet haud dubiè.

Capita Beſtiæ ſeptem,

XXXIV. Capita Beſtiæ quod attinet, ita de iis Prophetia habet Apoc. XVII. 9. 10. 11. Αἱ ἑπτὰ κεφαλαὶ, ὄρη εἰσὶν ἑπτὰ, ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπ' αὐτῶν. Καὶ βασιλεῖς ἑπτά εἰσιν· οἱ πέντε ἔπεσον, καὶ ὁ εἷς ἐστιν, ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθε· καὶ ὅταν ἔλθῃ, ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι. Καὶ τὸ θηρίον ὃ ἦν καὶ οὐκ ἔστι, καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι, καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐστι, καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγει. *Septem capita montes ſeptem ſunt in quibus Mulier ſedet. Et Reges ſeptem ſunt: Quinque ceciderunt, & unus eſt, & alius nondum venit, & cum venerit, pauliſper eum oportet manere. Et Beſtia quæ erat, & non*

eſt,

est, & ille octavus est, & ex septem illis est, & in interitum vadit.

XXXV. Capita septem cùm septem montes dicuntur, septem montium symbola seu imagines intelliguntur. Estque septem montium illorum designatio scintillans quædam gemma, quæ suo fulgore reliquæ textus obscuritati medetur. Nam Romam septimontiam seu septicollem veluti digito ita Angelus demonstrat, ut res tota etiam simplicibus pellucere possit. Qua de re supra abundè diximus.

Sunt septem montes

XXXVI. Iidem tamen septem montes haud dubiè ita septem colles seu montes, quibus Roma superstructa est, significant, ut simul monimentum etiam statuantur septem dynastiarum, seu regionum, universam ditionem Romanam, ceu sedem Bestiæ complectentium. Solet autem Scriptura quandóque per montes totam aridam, quæ exaggerata super mare & fluvios extat, figurare. Quo sensu Jon. 11.7. alveus maris vocatur קצבי חרים *extrema* seu *radices montium*. Populi quoque in unum collecti, & gentes linguis discretæ montium similitudinem habent. Unde Imperium Babylonicum Jerem. LI. 25. הר המשחית *mons corrumpens* vocatur. Ejusdem verò Bestiæ Regiones & Provincias symbola montium Romæ etiam insinuari, argumento est, quòd eadem Bestiæ capita non tantùm septem montes, sed etiam septem Reges figurant. Montes autem à Regibus divelli non possunt. Et montium seu provinciarum Bestiæ rectores, sive politici, sive Ecclesiastici etiam βασιλεῖς Reges dici non incommodè potuerunt.

typi Dynastiarum septem & totidem rectorum.

XXXVII. Septem Reges totidem urbis Romanæ potestates principatus & Regimina significare, persuasum plerisque reperio. Habuisse enim Urbem Romanam ordine Reges, Consules, Tribunos, Decemviros, Dictatores, Cæsares, Papas, observant. Cecidisse autem quinque, Re-

Quibus non succedentes sibi septem potestates urbis Romanæ,

ges., Consules, Tribunos, Decemviros, Dictatores: Sextum Cæsares esse: Siptimum Papas, nondum venisse: Denique Regem Octavum eundem esse cum septimo ab eo distinctum licet ob ingenii & morum in pejus corruptorum dissimilitudinem iidem animadvertunt.

Sed totidem provinciæ ditionis Romanæ denotantur.

XXXVIII. Cæterùm cùm potestates illæ ad Bestiam Draconi quippe succedentem non faciant; & Rex septimus, ac cum eodem conveniens Octavus non tam ad Bestiam, quàm ad meretricem à Bestia portatam pertineant, concinniùs fortè eorundem septem montium, seu septem provinciarum Bestiæ rectores sive politicos sive Ecclesiasticos intelligi posse, alii existimant, ut simplicissimus sensus hic sit, initiò habituram Bestiam septem grandes orbis terræ partes, in quibus sedeat, septémque adeò gentibus constituram; & iis totidem minimùm Reges imperaturos, qui Bestiæ in illis montibus seu partibus orbis, capita censeri possint.

Cornua Bestiæ decem affigenda sunt non capitibus singulis Bestiæ, sed septimo monti seu Regi, quatenus ei octavus convenit, & quidem non semper, sed unam horam, quâ ij robur suum Meretrici & Bestiæ collaturi erant ad conservandam unitatem fidei.

XXXIX. Cornua decem ejusdem Bestiæ Apoc. XVII. 12. 13. definiuntur totidem Reges. Et capita quidem ac cornua eatenus distingui, quòd illis amputatis Bestiam interire necessum est; his verò resectis manere eandem nihil prohibet; clarum est. Tum etiam dubitari vix potest, quin cornua illa non singulis Capitibus, sed uni affigenda & adaptanda sint, hunc scilicet in finem, ut capitis ejus robur in tot potentiæ fulcimentis denotetur. Affigi verò septimo Capiti, monti seu Regi, quatenus ei Octavus Rex supervenit, congruentissimè possunt, & fortè etiam debent, quia in superioribus apparuisse unquam eventus reclamat. Præterea cum Rege illo octavo decem Reges non perpetim, sed μίαν ὥραν *unam horam*, hoc est κατὰ μίαν ὥραν *simul eodem tempore* horam regnaturi, & Bestiæ in octavo illo Rege potestatem ac potentiam suam unanimiter ita impertituri erant, ut à Bestia dissentire in rebus fidei nemini liceat, quin dissentientes

ſentientes ab eo adeóque ipſe Agnus, & qui cum eó ſunt electi & fideles παντεςατιᾷ & unitis viribus oppugnentur tantiſper, donec ab Agno victi, odium adverſus meretricem inſatiabile concepturi ſunt. Denique Reges illi ſeu cornua Beſtiæ, concepto adverſus meretricem odio eandem deſolaturi, nudaturi, devoraturi, & igne combuſturi dicuntur.

XL. Conficitur hinc, ei, qui Babylonis myſterium evolvere velit, demonſtrandam eſſe ejuſmodi Beſtiam, ſeu multitudinem Chriſti nomen oretenus confitentium, at de cætero cum meretrice ſcortantium, quæ poſt Romam Ethnicam ad Chriſtum converſam, habeat *ſeptem capita*, ſeu totidem Provincias, rectoribus ſuis ſive Politicis ſive Eccleſiaſticis ſubditas, adeóque certo loco, ſedi certæ adſtringi ſe velit; & ſub ſeptimo capite ſeu octavo Rege *cornua decem*, ſeu totidem Reges cum Rege illo octavo conſpirantes, & συμφερτῇ ἀρετῇ ad tempus Agnum & qui cum eo ſunt, electos & fideles, hoc eſt, Chriſtianos, non perſonatos, ſed veros & ſinceros, oppugnantes; donec ab Agno victi odium internecinum adverſus meretricem concipiant, & ejuſdem excidio finali illud denique expleant. *Confectarium ex iis, quæ de Beſtia dicta ſunt, deductum.*

XLI. De judicio *Meretricis* dicendum nonnihil ſupereſt. Per gradus illud procedere Apoc. XVII. 16. innuitur. Diſtinctiùs verò illud cap. XVIII. explicatur. Ibi enim Angelus è Cœlo deſcendens habens poteſtatem magnam, & à cujus gloria illuſtrata terra eſt, qui haud dubiè eſt Angelus ille volans per medium cœlum, habens Euangelium æternum, & euangelizans incolis terræ Apoc. XIV. 6. 7. cum robore & contentione vocis clamat. v. 2. ἔπεσεν ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, καὶ ἐγένετο κατοικητήριον δαιμόνων, καὶ φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου καὶ μεμισημένου. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt habitaculum dæmonum* *Judicium meretricis explicatur.*

num, & custodia omnis avis immundæ & odiosæ. Allusio est ad Esaj. XXXIV. 11. 13. 14. 15. Mox verò v. 4. alia vox è Cœlo clamat: ἐξέλθετε ἐξ αὐτῆς ὁ λαός μου, ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς, καὶ ἵνα μὴ λάβητε ἐκ τῶν πληγῶν αὐτῆς: *Exite ex ea popule mi, ne communicetis cum peccatis ejus, & ne accipiatis de plagis ejus.*

Casus Babylonis ab Angelo Apoc. xviij. 1. 2. ingeminatus non est finalis.

XLII. Evidenter satis duo constant. *Prius*, casum huncce ingeminatum Babylonis non esse finalem & peremtorium, tum quia cadente Babylone relinquuntur tales, qui cum dæmonibus, Spiritu immundo, avi immunda & odiosa comparantur: tum quia talibus adhuc in Babylone assignatur κατοικητήριον *domicilium* & φυλακὴ custodia; adeóque Babylon deinceps clavim putei abyssi accipit; tum quia post casum illum nihil de typho suo remittit, sed potiùs v. 7. Reginæ instar sedens se jactare, & v. 21. adhuc citharœdos tibines habere dicitur: tum quia post eum casum v. 4. Babylone exire jubentur fideles: tum denique quia v. 21. Angelus peculiaris à priore illo v. 1. multùm distinctus ad exequendum judicium finale inducitur. Sicut enim priori Angelo attribuitur, quòd ab ejus gloria illuminata sit terra, sic posteriori non splendor talis, sed fortitudo tribuitur.

& in Meretricis desolatione, fideliumque ab ea separatione consistit.

XLIII. *Posterius* est, casum huncce primum Babylonis in separatione populi Dei gloria illuminati communione externa cum Meretrice agnita jam & demonstrata, adeóque fidelium ab iis, qui cum Spiritibus & avibus immundis comparantur, discretione consistere. Quæ haud dubiè est *denudatio* illa cap. XVIII. 16. qua Meretrix absterso hypocriseos & speciosorum titulorum fuco ita detegitur, ut palam jam fidelibus & populo Dei ab Angelo Dei illuminato, qui in Babylone hac captivus quodammodo detinebatur, innotescat, non honestam castámque virginem, sed meritorium esse propudium, in posterum ita relinquen-

linquendum, & relicto ejus habitaculo nova communio, quam Meretrix, Spiritus & Aves immundæ non ingrediantur, instituatur.

Iudicii incrementum in plagis Babyloni à populo Dei infligendis consistit.

XLIV. Judicii illius incrementum consistit in plagis casum illum primum v. 4. 5. &c. consequentibus. Jubentur enim v. 6. ob peccata in cœlum ascendentia fidelès Babyloni τὰ διπλᾶ κατὰ τὰ ἔργα αὐτῆς διπλῶν *reduplicare duplicia secundum opera ejus, & in poculo quod infudit, duplum ei infundere.* Et ne in infligendis plagis agerent remissè & segniter, addit Angelus v. 7. *Quantum glorificavit se ipsam, & lascivivit, tantum ei date cruciatum & luctum, quia in corde suo* (puta etiam post casum illum primum) *dicit: Sedeo Regina & vidua non sum, & luctum non videbo.* Scilicet etiam post casum illum primum Meretrix vulnera sua incurata celans grassari, pro Regina se gerere, solitudinem negare, luctum præ se ferre nullum cum insolenter pergeret, jubetur populus Dei ille scilicet, qui Babylone exivit, non parcere Babyloni triplex æs habenti circa pectus, sed potius ruinis ejus instare, cruciare eam strenuè, adeóque lugendi materiam locupletem etiam invitæ obtrudere. Quod quidem judicium, in continuata demonstratione veritatis, qua sola Meretricis Regnum, authoritas & felicitas imminuitur, adeóque sicessione ab ea perfecta sine spe ulla reconciliationis, non sine causa constituitur. Sic enim Meretrix nudatur sic desolatur, deseritúrque, sic denique odium passivum incurrens susque déque habetur, Regnumque & potestas Regni ejus continué infringitur, labefactatúrque donec ad tempus cessantibus fatis, iisque continuata impietate provocatis, denique ad finale exitium suum approximet.

Peremtorium & finale ejusdem judicii.

XLV. Peremtorium & finale ejusdem judicium in subita ejus deletione consistit, quæ sic v. 21. explicatur. *Et sustulit unus Angelus robustus lapidem, ut molarem magnum,*

um subita ejus deletione,

gnum, & conjecit in mare, dicens: sic ὁρμήματι impetu conjicietur Babylon illa magna civitas & non invenietur amplius. Præceps, celerrimus, & irreparabilis ejus interitus & πανολεθρία, cui analoga est conjectio montis magni igne ardentis in mare Cap. VIII. 8. memorata, innuitur. Magnus lapis sua mole ruit: cum ingenti impetu si projiciatur, longè maximo, si à valido quopiam robustóque projiciatur. Nec spes est rursum fluitandi in summo, cùm eum & suum pondus, & aliena vis in imo fundo defigant. Sic ergo malè peribit Babylon, ut emergendi ne minima quidem spes affulgeat amplius. Conveniétque adeò interitus hic Babylonis mysticæ cum interitu Babylonis Chaldaicæ, de quo sic Jerem. LI. 63. 64. prædictum legere est: *Et erit cùm compleveris legere librum hunc, ligabis super eum lapidem, & projicies eum in medium Euphratem, & dices* ככה תשקע בבל *sic submergetur Babel, & non consurget à facie mali, quod ego super eam induco.*

adeóque πανολεθρία Babylonis absolvitur.

XLVI. Ut verò manifestius fiat excidii hujus novissimi gravitas, quibus rebus hoc modo etiam privanda sit Babylon, Spiritus S. v. 22. 23. exprimit. *Et vox Citharœdorum, & Musicorum & tibicinum, & tubicinum non audietur in te amplius: & artifex ullus ullius artis non invenietur in te amplius, & vox molæ non audietur in te amplius, & lux lucernæ non lucebit in te amplius.* Liquet hinc post priorem etiam casum non defuturos Babyloni Citharœdos, Musicos, tibicines, tubicines, artifices, molam, & vocem sponsi & sponsæ, adeóque futurum amplius ut in ejus templis theatralis Musica perstrepat, in foro non desiderentur artifices, qui magnifica opera moliantur, in familiis denique non desint necessaria, tum ad usum quotidianum, puta *molendinæ*, ad conterenda semina, præparandámque farinam, ex qua panis περιούσιος coquitur: & *Lux lucernæ*, facem prælatura operibus quibuscun-

buſcunque (etiam in Templis ejus) tum ad propagationem Civium Babylonis, puta *ſponſus* & *ſponſa*, ex quibus ſoboles legitimè procreari ſolet. Hæc omnia cum exſpiratura Spiritus S. aſſeverat, πανωλεθρίαν Babylonis magis etiam amplificat.

XLVII. Ex omnibus illis, quæ hactenus ad intelligentiam verborum, quibus Babylonem magnam Prophetia deſcripſit, diximus ultro Babylonis magnæ expreſſi characteres colliguntur. Babylon ſcilicet Magna hiſce notis clariſſimis cognoſcitur, quòd ſit Civitas magna, ſeu Hierarchia Romana nomen Chriſti profeſſa, religionis ſeu myſteriorum fidei obtentu populum certum animalem ditioni & imperio ſuo obnoxium, in ſeptem collibus, totidémque provinciis habitantem, & Regum plurium potentia ac robore ſuffultum, ita regens, ut ſimulata religione cultum ſoli Deo vivo debitum ab illo depaciſcens, ſe ceu Divinitatis participem religioſè coli, & amorem, officia Deo debita in ſe transferri patiatur, eadémque ratione horribilis idololatriæ, luxuriæ, crudelitatis erga ſanctos externæ communioni ſuæ permixtos, ſuperbiæ, blaſphemiarum, veneficiorum reatum contrahat, donec juſto Dei judicio detectis ejus fraudibus à ſanctis & fidelibus agnita & deſerta, ob continuatum cumulatúmque reatum tandem finale & horribile judicium ſubeat, & funditus extirpata corruat.

Ex ſuperioribus Babylon magna ϑετικῶς definitur, characteribusque ſuis clariſſimis circumſcribitur.

DISSER-

DISSERTATIO
QUARTA
QUA

Ecclesia Romana Christiana distinctis periodis, cui ejusdem parti & tempori Babylonis Magnæ mysterium quadret, definitur, simúlque totius controversiæ status figitur.

BREVIARIUM.

I. *Præcedentium succincta ἀνακεφαλαίωσις.*
II. *Ecclesia Romana Christiana quolibet tempore Babylonicæ impietatis rea non fuit.*
III. *Character generalis eorum, qui quovis tempore, non famosæ Babylonis, sed Ecclesiæ & Sponsæ Christi asseclæ fuerunt.*
IV. *Quales eo ipso tempore, quo Ecclesia Romana in Babylonem degeneravit, in externa Ecclesiæ Romanæ communione vixerunt, mortuique sunt.*
V. *Character generalis eorum qui quolibet tempore Babylonis, & Bestiæ asseclæ fuerunt.*
VI. *Personas in Babylonico vel Bestiali statu positas, & in finem vitæ in eo persistentes solus Deus novit.*
VII. *Cœtus tamen externus, cui characteres Babylonis & Bestiæ competunt, Babylon, & Bestia haud dubiè est.*
VIII. *Ecclesiæ Romanæ Christianæ ab ejusdem initio, ad nostra usque tempora septem periodi distinguuntur.*

IX. *Prima*

IX. *Prima ejusdem periodo, ab ejus initio ad Constantinum M. Ecclesia Christi, non Babylon fuit.*

X. *Secunda quoque periodus à Constantino M. ad Phocam, & Bonifacium III. à Babylonica impietate eximitur.*

XI. *Satanæ stratagema in seducendis piis, ut sæpe alio consilio revera quid instituant, alio instituere sibi videantur.*

XII. *Eodem seducti Episcopi nonnulli Romani in secunda imprimis periodo, opinionem, splendorem, autoritatem æquo majorem affectârunt.*

XIII. *Tertia periodus à Bonifacii III. temporibus ad Gregorium VII. usque porrecta, Babyloni infelix initium dedit.*

XIV. *Néque tamen eo adhuc tempore in Meretricem illam, quam Apocalypsis depingit, planè degeneravit.*

XV. *Quarta demum periodo, inde à Gregorio VII. ad Bonifacium VIII. usque, supremam etiam in temporalibus potestatem affectans, palam in propudium illud Apocalypticum converti cœpit. De Gregorio VII. testimonium Aventini,*

XVI. *& Onuphrii.*

XVII. *Demum periodo V. à Bonifacii VIII. temporibus, ad Leonem X. usque Ecclesiæ Romanæ Hierarchia dominans ad summæ impietatis Babylonicæ fastigium surrexit.*

XVIII. *Sexta periodus à Leone X. ad finem usque Concilii Tridentini judicio Babylonis initium dedit, quæ septima periodo, à fine Concilii Tridentini ad nostra usque tempora ad pristinam potentiam eniti modis omnibus conatur.*

XIX. *Ex periodorum distinctione isthac status quæstionis figitur: Anne Hierarchia Ecclesiæ Romanæ dominans*

nans à temporibus Gregorii VII. maximè, sit Babylon illa, quam Apocalypsis describit?

XX. *Affirmarunt ante Reformationem plures, post eam, quotquot ab ea se separarunt, facto ipso, & plerique etiam professione affirmant.*

XXI. *Ecclesiarum Gallicanarum eam in rem confessio & assertio.*

XXII. *Authoris institutum ulterius.*

Praecedentium succincta ἀνακεφαλαίωσις.

I. Romæ stabulari Babylonem Magnam, Matrem illam scortationum, & abominationum terræ, Pontificiorum etiam Doctorum magno consensu supra firmavimus. In Romam porro Ethnicam, sive veterem, sive futuram etiam quampiam prophetiam isthanc neutiquam cadere, adversus eosdem sententiarum divortiis mirè miseréque distractos, fusè etiam comprobavimus. Denique in Ecclesia Romana Christiana, quatenus ea Hierarchiæ quadam forma, mysterii seu religionis prætextu, multitudini hominum animalium, Christi nomen præ se ferentium, ita imperitat, ut à Deo vero, & lege ejusdem deficiens, Divinum sibi & creaturis honorem conferri patiatur; Prophetiæ hujus complementum demonstrandum esse explicatis supra Prophetiæ verbis, fidem minimè dubiam fecimus.

Ecclesia Romana Christiana quolibet tempore Babylonicæ impietatis rea non fuit.

II. Sicut autem Bestiam vocare Ecclesiam, stylo Spiritus S. est mirari Bestiam, & eidem subjici est adorare Bestiam: Ita Ecclesiam veram vocare Babylonem & Bestiam, est sine dubio sanctos, & eos, qui in Cœlo habitant, blasphemare. Palmarium isthoc scelus in se admiserit, quisquis Ecclesiam Romanam Christianam promiscuè, adeóque universam, singulorúmque temporum, hoc est, Christianos quosvis Romæ, inde à principio Ecclesiæ illius ad nostra usque tempora degentes, Babylonis Magnæ convitio asper-

tio aspergere, adeóque maledicere iis, quibus benedicendum fuerat, animum induxerit. Ut igitur *δικαίαν κρίσιν κρίνετε justum judicium judicare* comperiamur, vile à pretioso, Ecclesiam Romanam verè Christianam à Babylonica, Florem à Flora distinguere, atque tempus ipsum Meretricis hujus orientis, adolescentis, lascivientis, exolescentis, & ruentis discernere; denique eadem opera subjectum Prophetiæ de Babylone certiùs constituere, totiúsque quæstionis statum accuratiùs figere, constitutum deliberatúmque habemus. Liquebítque sic, Ecclesiæ Romanæ competere id, quod de Hierosolymitana Esaj. 1. 21. 22. pronuntiatum reperimus, his verbis: *Quomodo facta est meretrix civitas olim fidelis, plena judicii, in qua justitia commorabatur, nunc autem homicidæ: Argentum tuum versum est in scorias: Vinum tuum aqua mixtum est.*

III. Et in universum quidem non famosæ Babylonis, sed Ecclesiæ & sponsæ Christi, ceu *συμπολίτας τῶν ἁγίων, καὶ οἰκείους τοῦ θεοῦ Cives sanctorum & domesticos Dei* accensemus omnes illos Ecclesiæ Romanæ, ab ejusdem principio ad nostra usque tempora, asseclas, seu illi Ecclesiam eam rexerunt, seu regenti se quocunque modo subjecerunt, qui Christo animarum suarum pastori & sponso fidem illibatam intemeratámque præstiterunt, Verbo Dei scripto se subjecerunt, ejusdem interpretationem sensúmque sanum & genuinum ex ipsis Scripturis sibi demonstratum receperunt, Divinæ non humanæ ulli autoritati fidem suam omnem obstrinxerunt, solum Deum vivum ex verbi ejusdem præscripto coluerunt, neque adeò cultum amorémque Deo debitum vel in se, vel in creaturas alias transtulerunt, non suis, sed solius Christi Salvatoris unici meritis justitiam, salutem, gloriam suam omnem acceptam retulerunt, & veram unicéque salutarem fidem sinceræ erga Deum & proximum charitatis, vitæque Christo Redem-

Character generalis eorum, qui quovis tempore, non famosæ Babylonis, sed Ecclesiæ & Sponsæ Christi asseclæ fuerunt.

tore suo dignæ sanctimonia exornârunt. Sicut maledictus est, qui adorat non Deum: ita maledictus est qui talibus veri Dei adoratoribus maledicit, vel Babylonis asseclas eosdem facit.

Quales eo ipso tempore, quo Ecclesia Romana in Babylonem degeneravit, in externa Ecclesia Romana communione vixerunt, mortuique sunt.

IV. Neque adeò dubitamus, quin eo ipso tempore, quo Ecclesia Romana in Babylonem degeneravit, ac sequentium etiam temporum tractu, Romæ vixerint, mortuique sint plures, qui in terrestribus licèt & externis rebus cum Ecclesia communicantes, in statu tamen Cœlesti & spirituali cum ea consortium non habuerunt, adeóque uti à peccatorum Babylonis labe immunes se conservârunt, ita plagarum Babyloni decretarum sive in vita, sive in morte participes redditi non sunt, quos à Babylonis etiam communione distinguimus meritò. Tales infelice eo tempore fuerunt, qui Scripturam S. pro sufficienti instrumento doctrinæ habuerunt, fundamentum salutis in eo revelatum amplexi sunt, veritatem ejusdem amârunt, Deo soli, Christóque ad salutem confisi sunt, & piè vixerunt, at de cætero erroribus quibusdam, subinde etiam gravibus implíciti fuerunt, vel eosdem saltem tulerunt, quos quocunque demum nomine venerint, veniántque, non tam pro parte vel Babylonis vel Bestiæ, quàm pro sanctis vinctis & captivis habemus. Quales si nulli cum Babylone & Bestia in eadem externa societate conjuncti fuissent, inebriari Meretrix sanguine sanctorum & testium Jesu (Apoc. XVII. 6.) non potuisset.

Character generalis eorum qui quolibet tempore Babylonis, & Bestiæ asseclæ fuerunt.

V. Ex adverso Ecclesiæ Romanæ omnes, quocúnque demum tempore illi vixerunt Episcopi, Presbyteri, Doctores illi, qui Scripturam unicam fidei & vitæ regulam negligentes, fundamentum salutis ignorantes, & veritatem ejusdem non amantes, dixerunt ac putârunt unquam, se fidei arbitros & dominos esse, à se haud secus quàm ab ipso Spiritu S. verbum Dei, ejúsque infallibilem interpretationem repe-

repetendam, leges á sede sua præscriptas & approbatas, aut à Concilio suo injunctas justitiæ & salutis causa recipiendas esse, quique ad dictum Scripturæ quidvis aliud sub anathemate addiderunt, veritatem interim justitiæ Dei & regni Christi non rectè docuerunt, se ipsos supra omne Numen extulerunt, amorem & cultum uni solique Deo debitum in se ipsos, aliásque Dei Creaturas transtulerunt, elationis suæ causa, & mysterii religionisque prætextu bella concitârunt, libertatem Christianam suppresserunt, idololatriæ, crudelitatis erga sanctos, luxuriæ, superbiæ, blasphemiarum, veneficiorum nihil reliqui fecerunt; hi inquam, Tros Rutulùsve, & quocúnque demum nomine insigniti fuerint, sintque adhuc; quacunque ætate vixerint, vivántque non Ecclesia Christi, ejúsque germani fidelésque Rectores, sed ***Babylon***, & ***Babylonii*** Romani vel fuerunt, vel etiamnum sunt, quod characteres Babylonis supra expositi abundè comprobant. Pari ratione populus ille Imperii Romani potentiâ suffarcinatus, & multorum populorum potentiâ amplificatus, Christianum equidem nomen præferens, cætera veri fundamenti salutis ignarus, nec veritatis amans, atque se dedens in obsequium ejusmodi Episcoporum & Præpositorum, quales jam descripsimus, ex eoque obsequio justitiam & salutem sperans, Bestia, ejúsque membra, & asseclæ singuli Bestiales sunt, uti Characteres Bestiæ supra allati non minùs firmiter comprobant.

Personas in Babylonico vel Bestiali statu positas, & in finem vitæ in eo persistentes solus Deus novit.

VI. Firmum est, & inconcussum stat fundamentum *Dei*, habens sigillum hoc, *Dominus novit eos, qui sui sunt*. 2 Tim. II. 19. Et homo quidem intuetur faciem, Deus autem intuetur Cor. 1. Sam. XVI. 7. Neque adeò למראה עיניו *secundùm visionem oculorum* is judicat Esai. XI. 3. sed לאמת *secundùm veritatem* judicium profert, ib. Cap. XLII. 3. De personis igitur Babylonis vel Bestiæ asseclis, &

ad finem uſque in earundem communione perdurantibus, atque ea ratione rigidum Dei judicium promerentibus, judicium nobis arrogamus nulli, ſed Deo ſoli, quid in homine ſit, pernoſcenti (Joh. 11. 25.) relinquimus; & de pluribus, iis imprimis, qui Satanæ profunditates non nôrunt, bene ſperamus. Non noverat Elias ſeptem in carnali Iſraële myriadas hominum, qui Baali genua non flexerunt: at noverat Deus. Neque etiam Abrahamus noverat Sodomæ exiguum adeò juſtorum numerum hærere, alioquin tam anxiè pro ſalute urbis illius non interceſſurus: at noverat id Deus. Quos igitur ab æterno præcognovit, eos in medio etiam Babylonis & Beſtiæ cœtu à peccatis & plagis earundem immunes præſtitit: οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν *reliqui verò occalluerunt*.

Cœtus tamen externus, cui characteres Babylonis & Beſtiæ competunt, Babylon, & Beſtia haud dubiè eſt.

VII. Tametſi verò de perſonis in Babylonico & Beſtiali ſtatu poſitis, & ad finem uſque vitæ perdurantibus, atque poſt vitam etiam in ſtatu iſthoc peractam πυρὸς αἰωνίου δίκην *æterni ignis judicium* Babyloni & Beſtiæ decretum ſuſtinentibus, judicium nobis nulli arrogamus, adeóque Deo judici & Domino uni ſolíque ſervos ſuos relinquimus; cœtum tamen illum populúmque Babylonem & Beſtiam eſſe, in quo reperiuntur & dominantur ii, qui characteribus iis, quos Babyloni & Beſtiæ Spiritus S. inuſſit, inſigniti compunctíque ſunt, pronuntiare oraculis ipſius Spiritûs S. & rerum geſtarum conformitate freti, neutiquam veremur. Atque cœtum talem in Romana Eccleſia Christiana λεγομένῃ, ejúſque populo ſubdito jam diu extitiſſe, & hodiéque proh dolor! exiſtere; atque fata ſua alacriter in dies provocare, intrepidè aſſerimus.

Eccleſia Romanæ Chriſtianæ ab ejuſdem initio, ad noſtra uſque

VIII. Septem porro in univerſum ſunt Eccleſiæ Romanæ Chriſtianæ periodi, quas in hiſtoria Papatûs fuſè deductas, ὡς συλλήβδην heic repetimus, arbitraturi inde, qua tempeſtate in Babylonem meretriciam degeneraverit, quibúſque

búsque gradibus ad summam impietatem processerit. *Prima* Periodus est Ecclesiæ ejus in doctrina & regimine purioris, ab ejus initio ad Constantini M. tempora usque: *Secunda* doctrinam puriorem retinentis, & in regimine dominationem affectantis, à Constantino M. ad Phocam & Bonifacium III. usque: *Tertia* dominationem in spiritualibus indultu Phocæ adipiscentis, & in doctrina ritibúsque degenerantis, à Bonifacio III. ad Gregorium VII. usque: *Quarta* dominationem etiam in temporalibus affectantis, & in doctrina ritibúsque in pejus indies vergentis à Gregorio VII. ad Bonifacium VIII. usque: *Quinta* dominationem etiam in temporalibus, adeóque Cæsareo-Papatum adipiscentis, & eundem profligata doctrina puriori omni, flagitiosè exercentis, à Bonifacio VIII. ad Leonem X. usque: *Sexta* per Reformationem & separationem fidelium potestatis utriúsque cladem gravissimam patientis, à Leone X. ad Concilii Tridentini finem usque: *Septima* denique per novella fidei & anathematismos diros in errore obfirmatæ, & cum vera Christi Ecclesia fraude & vi continuò decertantis, à Concilii Tridentini fine ad nostra usque tempora. *tempora septem periodi distinguuntur.*

IX. *Primam* periodum à Babylonis labe & communione immunem penitus fuisse, vel eo argumento liquet, quod ejus tempore necdum Babylon extitit. Primum ejus seculum verè aureum fuit, quo Ecclesia Calicibus contenta ligneis, uti scitè olim Bonifacius Episcopus Moguntinus pronuntiavit, Sacerdotibus aureis fruebatur. Plerique ferè omnes ad Silvestrum usque Episcopi Romani Pastores fuerunt simplices absque mitris, in messe Euangelii ad martyrium usque laborantes, qui stellæ in dextra Christi permanentes meritò dici potuerunt. *Romæ Christianæ primæ*, ita in confutatione primatûs Papæ Gregorius Heymburgensis loquitur, *gloria fuit non purpura, non divitiæ,* *Prima ejusdem periodo, ab ejus initio ad Constantinum M. Ecclesia Christi, non Babylon fuit.*

divitiæ, non equus albus, non fastus, non dominatus: Sed, Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te, Domine. Pontifices ipsi Martyrii laureâ contenti, nihil humilitate, modestia, paupertate, rerum terrestrium contemptu prius & antiquius habuêre. Invalescentibus quin etiam post Apostolorum & Apostolicorum virorum ἀφιξιν decessum, hæresibus, agrum Domini hinc inde impia licentia vastantibus, Ecclesiam Romanam earundémque contagione diu satis liberam, non tam eas in sinum suum recepisse, quàm casdem verbi Divini gladio fortissimè oppugnasse, *Histor. Pap. ss. vij. viij.* abundè demonstravimus. Tametsi verò Episcopi nonnulli Romani in prima hac periodo vergente, Victor inprimis & Stephanus, supra alios, Orientales maximè, cristas erigere visi, uti ibid. *ss. xj. xij.* &c. narravimus, humanitus nonnihil passi sunt, à Babylonico tamen in spiritualibus & temporalibus dominandi pruritu, & meretricia impuritate animos alienissimos gesserunt, & quam Deo soli fidem debuerunt, intemeratam illibatámque servarunt. Homines fuerunt, à quibus humani nihil alienum erat. Quamvis nonnullis eorum nævis Sathanas, nequissimus talium observator exactorque, procedente tempore in perniciem Ecclesiæ abusus est, prout magnorum virorum in utramque partem exempla validissima esse solent.

Secunda quoque periodus à Constantino M. ad Phocam, & Bonifacium III. à Babylonica impietate eximitur.

X. Neque etiam *Secundam* Ecclesiæ Romanæ periodum Babylonica impietas fœdavit. Verissimè equidem Hieronymus *in vita Malchi* dixit, *Christi Ecclesiam, postquam ad Christianos Principes venit, potentia quidem & divitiis majorem, sed virtutibus minorem factam esse.* Et postquam Constantini M. aliorúmque profusa liberalitate Ecclesia nimium quantum dotata, & longæ insuper usura pacis potita est, non desunt sanè, qui *de longæ pacis malis* apertè quiritentur. Isidorus Pelusiota *Lib.* III. *ep.* 408. sic Ecclesiæ sui temporis statum deplorat: *Pacis quidem no-*

dem nomen ubique est, res autem ipsa nusquam. Verùm Ecclesia fœminæ cuidam, quæ ex antiqua felicitate excidit, ac signa tantùm habet, similis est. Ornamentorum enim suorum thecas & arculas habet, opibus autem spoliata est. Ita etiam Romani Pontifices degenerarunt, ut Socrate *Histor. Eccl. vij.* 11. teste πέρα τῆς ἱερωσύνης ἐπὶ δυναστείαν *ultra sacerdotii limites* & potentiam processerint, & Basilio etiam ἡ ὀφρὺς δυτικὴ *occidentale* illud *supercilium* non parùm displicuerit. Forte etiam Episcopi nonnulli Romani Monarchiam saltem in spiritualibus meditantes, machinantésque, jam tum Babylonico spiritu turgescere cœperunt, quod non paucorum meditamenta *Hist. Pap. ss. xvij.* &c. narrata astruere videntur. In universum tamen Ecclesiæ Romanæ Hierarchia nondum in propudiosam Meretricem Babylonicam, qualem Apocalypsis describit, degeneravit, tum quia religio & fides, nævis licèt & πλημμελήμασι laborans, in præcipuis tamen integra & salva constitit, neque qui obrepserunt errores leviores, & successu temporis in alienum & periculosiorem etiam sensum detorti, vel universales, vel Ecclesiæ lege sanciti, vel invito cuiquam obtrusi fuerunt: tum quia ipsi, qui altiorem in Ecclesia dignitatis gradum, insito hominibus cunctis dominandi affectu, quem novissimum exui scitè ὁ θεῖος dixit, affectârunt, plerique saltem, cætera non mali fuerunt, neque vel sibi, vel aliis etiam Divinos honores arrogârunt, nedum enormia illa Babylonicæ Archimeretricis peccata in se admiserunt.

XI. Est hcc sanè inter Sathanæ stratagemata haud postremum, quòd homines cætera pios ad multa peccata, quæ nil minùs quàm peccata esse videntur, impellit. Cùm enim actiones factáque multa ideo solùm tum laudem, tum reprehensionem mercantur, quod vel bonum vel malum in finem instituta videantur, multis nefarii illius μυριοτέχνου astu

Satanæ stratagema in seducendis piis, ut sæpe alio consilio revera quid instituant, alio instituere sibi videantur.

aſtu uſu venit, quod meritò mirari omnes poſſint, ut ſuáſmet cogitationes ſenſúſque minimè intelligentes, alio conſilio revera quid inſtituant, alio id inſtituere ſibi videantur. Ne longè abeamus, Jacobus & Johannes, Domini diſcipuli, cum in quodam Samaritanorum vico una cum Chriſto admiſſi hoſpitio non fuiſſent, propterea quod Hieroſolymam iis per cauſam religionis inviſam contenderent, Dominum ſic interrogârunt: *Viſne jubeamus ignem de Cœlo deſcendere, qui eos conficiat, quemadmodum Elias fecit?* Quibus ſic Dominus reſpondit: οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς. *Neſcitis cujus ſpiritus ſitis vos*. Luc. IX. 52-55. Videbantur ſibi diſcipuli procul dubio Divinæ gloriæ ſtudio, eáque pietate & charitate, qua Dominum proſequebantur, id cogitaſſe; alioqui nunquam Dominum ſic interrogaturi. Cæterùm quod tulerunt reſponſum, palam oſtendit, impoſuiſſe iis Sathanam, & ab offenſione ex denegato hoſpitio accepta, inveteratóque, quod inter duos illos populos flagrabat, odio, nec non ab occulta quadam vindictæ cupiditate, non à ſolido gloriæ Divinæ, & religionis purioris ſtudio cogitationem illorum profectam fuiſſe.

Eodem ſeducti Epiſcopi nonnulli Romani in ſecunda imprimis periodo, opinionem, ſplendorem, authoritatem æquo majorem affectârunt.

XII. Planè ita Romanis Pontificibus illis prioribus ante & poſt Conſtantini M. tempora accidit. Quo tempore cœperunt opinionem, authoritatem ſplendorémque in Eccleſia ambire & adipiſci, equidem nunquam crediderim, eos pietatis expertes fuiſſe (præter fortè paucos quoſdam) cùm minimè vulgaris pietatis veſtigia in ſcriptis eorum reperire ſit. Igitur cùm illi non tantùm paterentur ſe honorificentiſſimè coli, evehi, liberaliſſiméque donari, ſed etiam in acquirenda indies majore authoritate, & in Eccleſias etiam exoticas poteſtate diligentem operam ponerent, veriſimile eſt, ita viſum illis eſſe, eum ſplendorem, & affectatam in alias etiam Eccleſias, quas aberrantes fortè conſilio & authoritate ſua dirigendas putârunt, poteſtatem Eccleſiæ Dei

ſiæ Dei fore vehementer utilem; ut cùm in majore eſſent apud Ordines omnes veneratione, eorum multò plus ponderis haberent & monitiones, & reprehenſiones, & Eccleſiaſticæ cenſuræ, quibus in officio populum continerent. Sed nihilominus ingenita in homine inſatiabilis quædam habendi cupido, ſummáque animi elatio, qua fit, ut quiſque ſublimi ſemper loco ſuam dignitatem authoritatemque, ſi fieri poſſit, eſſe velit, non ferè quicquam aliud, illas Eccleſiæ utilitates eis perſuadebat, etſi nil tale animadverterent, & æquè ac diſcipuli Chriſti, quo ea in re ſpiritu ducerentur, ignorarent.

Tertia periodus à Bonifacii III. temporibus ad Gregorium VII.

XIII. *Tertia* demum Eccleſiæ Romanæ periodus, quæ Phocæ tempore, & Bonifacio III. Papæ originem ſuam debet, Babylonicæ Meretrici initia planè inauſpicata dedit. De infauſtis iis temporibus ſic celebris ille Johannes de Molinis in Speculo Carmelitarum *cap.* 6. loquitur: *A tempore Heraclii Imperatoris* (Phocæ ſucceſſoris) *uſque ad noſtra tempora, die vergente ad veſperam Eclipſin paſſa Eccleſia ad occaſum cecidit, imò ferè ad defectionem pervenit.* Cujuſmodi fuerit infelix illa periodus unâ cum conſequentibus, non in melius utique, ſed in pejus indies vergentibus, Hiſtoria Papatus inde à *ſs. xxxviij.* περιϛαλκῶς exponit. Liceat heic uſurpare illa Horatii *Lib. iij. Od.* 6.

Auſque porrecta, Babyloni infelix initium dedit.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Hos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Neque tamen eo adhuc tempore in Meretricem illam, quam Apocalypſis depingit, planè degeneravit.

XIV. Tametſi verò ſub periodi hujus *Tertiæ* initia meretrix facta eſt urbs illa fidelis, adeóque ſe Babylon illa magna proſtituere cœpit, nondum tamen efficere potuit, ut veneficiis ſuis gentes omnes ſeducerentur, & vino Scortationis ejus incolæ terræ inebriarentur. Neque enim, quando nata eſt illa meretrix, in prima ætatula ſua ſtatim

 ita præ-

ita prævaluit, ut confestim illecebris suis ad se omnia pertraheret. Ne Roma quidem uno die ædificata est, *suáque*, uti in Catone Tullius loquitur, *cuique parti ætatis tempestivitas danda est*. Bestia scilicet illa, quæ meretricem portare debuit, etsi statim, & in ipsis, quod dicitur, incunabulis meretricis spiritu gravissimè tentaretur, eidem tamen non statim prorsus succubuit, ut in propudium, quale Apocalypsis describit, subitò degeneraret. Genius enim Imperatorius, sub cujus alis Meretricula delitescebat, ab initio prævalescens, viriliter adhuc prædominabatur, cum Imperatores utut ἱππομανοῦντας Episcopos Romanos plus æquo colerent, Imperii habenas sibi nondum extorqueri paterentur. Marcescente demum Imperii vigore illi עצומים *Robusti*, de quibus Daniel. VIII. 24. loquitur, succumbere cœperunt, & contra Pontificum ac Sacrificulorum per invalescentem superstitionem potestas vehementer amplificata fuit.

Quarta demum periodo, inde à Gregorio VII. ad Bonifacium VIII. usque, supremam etiam in temporalibus potestatem affectans, palam in propudium illud Apocalypticum converti cœpit. De Gregorio VII. testimonium Aventini,

XV. Quæ igitur in *Tertia* Periodo lascivæ juvenculæ instar, quam libidinis pruritus vehementer quidem exagitat, quæ tamen adhuc cum pudore ita colluctatur, ut nondum frontem planè perfricuerit, meretriciæ arti operam dare cœpit; *Quarta* demum periodo pudorem ita excussit, ut subacto subactori suo protervè inequitare, adeóque unà cum spirituali potestate temporalem etiam omnem, suppressa Imperatoria Regiáque quavis, acquirere vehementissimè laboraverit. Pulchre equidem tum Meretricula illa sibi cavit, ne arcana sua propalarentur, uti his ferè verbis Aventinus *Annal. Bojo.* Lib. v. ubi res Gregorii VII. furialis illius mundi incendiarii, ipsum Acharonta, ut Papatum ad ἀκμὴν suam perduceret, moventis; sub quo quarta Periodus initium sortita est, prosequitur: *Qualis felicitas ejus temporis fuerit, vel hinc æstimare licebit, quòd ejus temporis illustris & gravis imprimis author nomen*

suum

suum prodere non audet. (excommunicationis metu) *&* *admodum scitè acritérque ad factiones, ad fraudes, ad scelera perventum est. Vera scibere periculum, falsa, crimen.* Verissimè tamen idem eodem Libro Aventinus rem ita prodidit: *Is Hildebrandus, qui & Gregorius VII. primus Imperium Pontificium condidit, quod successores, per annos quadraginta quinque invito mundo, invitis Imperatoribus adeò duxere, ut Inferos, Superos in servitutem redegerint, subque jugum miserint, ut nunc cuncta fulmine perterritent,*

Quo bruta tellus, & vaga flumina
Quo stix & invisa horrida Tænari
sedes, Athlantæusque finis
Concutitur: mutant ima cum summis.

Et paulò post: *Jam Imperator Romanus nihil aliud est, quàm appellatio sine corpore, sine specie.*

XVI. Clariùs rem totam Onuphrius in *vita Gregorii VII.* sic explicat: *Huic uni cùm omnes Latinæ Ecclesiæ, tum præcipuè Romana acceptum referre debet, quòd libera sit, & ab Imperatorum manu eruta, quòd tot divitiis, opibus & prophana ditione locupletata, quòd Regibus, Imperatoribus, Christianis Principibus sit præfecta: à quo postremo, ut omnia verbo uno complectar, maximus iste eximiúsque status, in quo Ecclesia Romana est omnium Christianorum Domina, cùm antea tanquam vilis ancilla, non ab Imperatoribus modò, sed à quovis Principe Romani Imperatoris præsidio fulta, premeretur: ab hoc maximæ illius, & omni seculo tremendæ, venerandæque Romani Pontificis, & INFINITÆ pene potestatis jus manavit. Nam etsi ante Romani Pontifices, tanquam religionis Christianæ Capita, Christique vicarii & Petri successores colerentur, non tamen eorum authoritas ultra protendebatur, quàm in fidei dogmatis vel asserendis, vel tuendis.* ⁂ Onuphrii.

tuendis. Cæterùm Imperatoribus ſuberant; ad eorum nutum omnia fiebant; ab eis creabantur; de eis judicare, vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Nortmannorum fretus, opibus Comitiſſæ Mathildis mulieris per Italiam potentiſſimæ confiſus, diſcordiáque Germanornm Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum nomen, contempta Imperatoris authoritate & poteſtate, cùm ſummum Pontificatum obtinuiſſet, Cæſarem ipſum (à quo ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat) non dico excommunicare, ſe etiam Regno Imperióque privare auſus eſt. Res ante ea Secula inaudita. Nam fabulas, quæ de Anaſtaſia, Arcadio & Leone Jconomacho circumferuntur, nihil moror. Hactenus ille, paucis rem totam complexus, & prima illa Romanæ Eccleſiæ adverſus Principes hujuſmundi molimina ex vero adumbrans.

Rerum periodo V. à Bonifacii VIII. temporibus, ad Leonem X. uſque Eccleſia Romana Hierarchia dominans ad ſummæ impietatis Babylonicæ faſtigium ſurrexit.

XVII. Conatus ille Divina & humana ſubjugandi & Deo hominibúſque pro animi ferocientis libidine imperitandi, adeò feliciter proceſſit, ut jam Periodo *Quinta*, quam Bonifacius VIII. Mortalium nequiſſimus, auſpicatus eſt, Hierarchiæ Romanæ, Cæſareo-papatum ſuum adeptæ, omnia paruerint, quod Periodi ejus hiſtoria à nobis pertexta abundè comprobat. De ipſo Bonifacio illa ſic Platina: *Moritur hoc modo Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis terrorem potiùs, quàm religionem injicere conabatur: quique dare Regna, & auferre, pellere homines & reducere pro arbitrio animi conabatur, aurum undiquaque conquiſitum, plus quàm dici poteſt, ſitiens.* Tum igitur non amplius Meretrix iſthæc laſcivire, & cum pudere quodam colluctari viſa eſt; ſed potiùs attriti inſtar, profligatique pudoris ſcorti, quod per omnia artium Meretriciarum flagitia

gitia progressum, pudorem omnem excussit, subacto subactori suo inequitavit palam, & manu sua tenens aureum poculum, abominationibus & impuritate fornicationis scatens, Reges & incolas terræ potavit, & ad consuetudinem suam meretriciam, veluti fascino quodam, pellexit.

XVIII. Per quatuor & quod excurrit, seculorum fluxum, inde à Gregorio VII. ad Leonem X. usque, sub quarta illa & quinta periodo amplissimè, & paucis validè intercedentibus, Meretrix Babylonica regnavit. *Sexta* demum Periodus, qua Reformationis Ecclesiasticæ beneficio eam Reges, populique plures desertam, res suas fœdissimas sibi habere jusserunt, quáque etiam Saneti, qui in Babylonica illa captivitate, cum Babyloniis corpore, & qualicunque externi cultus communione permixti squalebant, ab eadem separari, & passim segreges cœtus instituere cœperunt; Divini adversus eandem judicii initia protulit. Adversus quæ tamen ita frontem animúmque obfirmavit, ut & per anathematismos Tridentinos universam impietatem suam Babylonicam roboraverit, & sub *Septima*, quam hucusque volvit agitátque periodo eluctari, & per continuas Ecclesiæ à se separatæ violentas fraudulentásque persecutiones ad pristinum potentiæ & libidinis suæ gradum eniti unicè contendat.

Sexta periodus à Leone X. ad finem usque Concilii Tridentini judicio Babylonis initium dedit, quæ septima periodo, à fine Concilii Tridentini ad nostra usque tempora ad pristinam potentiam eniti modis omnibus conatur.

XIX. Ex periodorum Ecclesiæ Romanæ distinctione isthac τὸ ζητούμενον, seu quæstionis status liquidò emergit. Quæritur enim: *An Hierarchia Romana, seu Papa Romanus per Clerum suum dominans, seu supremum in spiritualibus æquè ac temporalibus dominium sibi arrogans, inde à temporibus Gregorii VII. seu Anni Christi præter propter millesimi septuagesimi tertii, maximè, adeòque etiam hodierna, sit Babylon illa Magna, Meretrix illa Magna, Mater scortationum, cujus Sedem, habitum, subditos, peccata enormia, & judicium Angelus Apoc. xvij.*

Ex periodorum distinctione isthac status quæstionis figitur: Anne Hierarchia Ecclesia Romana dominans à temporibus Gregorii VII. maximè, sit Babylon il-

la, quam Apocalypsis describit? *xvij. xviij. & xix. describit?* Dico, inde à temporibus Gregorii VII. *maximè*. Quamvis enim negotium Antichristi, adeóque etiam Babylonis Magnæ, cujus Distincto emblemate Antichristi Regnum figuratur; in Mysterio, hoc est, clam & occultè peragi debuerit, ut conversionis illius dies & hora indicari non debeat; & ipse Spiritus S. Apoc. XVII. I. dicens. *Veni, ostendam tibi judicium Archimeretricis illius:* de qua tamen verbum antehac nullum fecerat, eo ipso tacitè indicaverit, Monstrum isthoc non nisi à posteriori, sive ab effectu cognitum iri, quando jam cum Juda proditore scelus suum peregit: quamvis etiam Romana Hierarchia sub tertia jam periodo in Babylonem & Meretricem degeneraverit, quæstionem tamen meritò adstrinxisse videor ad illud tempus, quo Romana Hierarchia dominatum non in spiritualibus duntaxat, sed temporalibus etiam validè appetiit obtinuítque, quo imprimis tempore ad virilem suam ætatem, & paulatim etiam ἀκμὴν ipsam progressa est.

Affirmarunt ante Reformationem plures, post eam, quotquot ab ea se separarunt, facto ipso, & plerique etiam professione affirmant.

XX. Quæstionem isthanc ante Reformationem ipsam affirmârunt non pauci gravésque authores, Honorius Augustodunensis, Clerus Leodiensis, Everhardus Salisburgensis, Theodoricus à Nyem, Fraticelli. Fr. Petracha, Nicolaus Clemangis, Wiclefus, Hussus, ipse Galliæ Rex Ludovicus XII. quorum singulorum testimonia Historia Papatus prodidit; aliique complures: post Reformationem sive facto, sive professione, quotquot ab Ecclesia Romana piam justámque secessionem fecerunt, adeóque Babylone illa exiverunt, & ἐπιμένοντες τῇ χρηστότητι *permanentes in benignitate* & gratia Dei, hodiéque in fidei Divinæ incorruptibilitate persistunt.

Ecclesiarum Gallicanarum eam in rem confessio & assertio.

XXI. Lubet Ecclesiarum nostrarum sententiam explicare verbis Confessionis Ecclesiarum Gallicanarum, quæ articulo de Romano Pontifice sic sonant: *Cùm verò Episcopus*

ſcopus Romanus erecta ſibi in Orbe Chriſtiano Monarchia, ſibi arroget principatum in omnes Eccleſias & paſtores, uſque adeò inflatus, ut Deum ſe appellet: velit adorari: ipſe ſibi tribuat poteſtatem in Cœlo & in terra: res eccleſiaſticas ad libitum componat: condat articulos fidei: authoritatem Scripturæ velit pendere à ſua: eámque ad libidinem interpretetur: animarum mercaturam exerceat: liberet aſtrictos votis & juramentis: novos Dei cultus inſtituat: &, quod ad civilia attinet, legitimam magiſtratuum authoritatem conculcet, dans, adimens, & transferens Regna; credimus, & aſſerimus, eum eſſe verum illum & germanum Antichriſtum, filium perditionis prædictum Verbo Dei; Meretricem purpuratam, inſidentem Septem montibus: in magna civitate obtinentem Regnum in Reges terræ; & exſpectamus donec Deus, prout promiſit, & jam cœpit, eum fractum & victum ſpiritu oris ſui, tandem deleat fulgore adventus ſui.

XXII. Non deſunt equidem viri doctiſſimi, qui Eccleſiarum Euangelicarum iſthanc de Hierarchia Eccleſiæ Romanæ dominante ſententiam, ſive in piis eruditiſque ſuis in Apocalypſin commentationibus, ſive dedita etiam opera comprobaverint, adeóque perfrictam illam frontem, quæ nullius criminis rea cenſeri vult, meretriciæ impietatis ſuæ palàm, tumorem uteri, lac in mammis, corruptos oculos, & alia hujus generis corruptæ pudicitiæ τεκμήρια toti mundo, ceu digitis, monſtrantes, convicerint. Neque tamen operam luſuri nos videmur, ſi demonſtrationem eandem, hoc inprimis tempore, quo nimiùm illa exultat, & fuco multiplici ſe abſcondere conatur, paulò accuratiùs pro gratiæ Divinæ modulo ſuſceperimus, boniſque adeò omnibus, æternæ ſalutis deſideria ardentibus, eadem opera perſuaſerimus, ne cum Meretricis illius Magnæ peccatis commercium communionémve ullam habeant, quò à plagis *Authoris inſtitutum ulterius.*

Q gis

gis eidem proximè imminentibus ſalvos ſe immunéſque præſtent. Quod felix & fauſtum τὸ τελεσιουργὸν Numen eſſe velit jubeátque!

DISSERTATIO QUINTA

QUA

Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem Magnam Babylonem eſſe argumento generali demonſtratur.

BREVIARIUM.

I. *Tranſitio ad ſententiæ affirmantis demonſtrationem.*

II. *Syllogiſmus generalis, ſeu complexio argumentorum, quibus Hierarchiam Eccleſiæ Romanæ dominantem eſſe Babylonem Magnam demonſtratur.*

III. *Propoſitionis majoris veritas definiti & definitionis nexu nititur.*

IV. *Probatio ſpecialis propoſitionis majoris ſecundùm lemmata ſingula,*

V. *quòd ſcilicet Babylon Magna ſit cœtus veteri Babyloni Chaldaicæ quadantenus conveniens,*

VI. *myſteriorum ſeu religionis Chriſtianæ falſò prætextu ludens.*

VII. VIII. IX. *Imperium in Civitate Magna, in populum animalem, ſeptem collibus, totidémque Provinciis*

vinciis distinctum, multorúmque Regum potentia suffultum, obtinens,

X. *immani fastu habitúque prætumido sese proferens,*

XI. *se ipsum ceu Numen Divinitatis particeps subjecti sibi populi venerationi exponens; populúmque eundem à vero Dei cultu, ad sui & creaturarum cultum, falsámque religionem modis omnibus seducens.*

XII. *Sanctos veri Dei cultores atrociter persequens,*

XIII. *blasphemiis, luxuria, veneficiis, avaritia, & nundinatione spirituali immaniter se polluens,*

XIV. *denique ob impietatem isthanc severissimum Dei judicium provocans.*

XV. *Assumptio posita, quòd Hierarchia Ecclesiæ Romanæ dominans ejusmodi cœtus sit.*

I. Cùm Babylon Magna Romæ quæri omnino debeat, eáque nec in veteri Roma Ethnica inveniri potuerit, & in novissima Roma Ethnico-Antichristiana, utpote quæ talis, qualem Ribera descripsit, nulla erit, frustra expectetur; in Roma Christiana, Christi nomen mentita indagandam eandem esse, ex prophetiæ ipsius characteribus Dissertatione III. definivimus. Romam porro Christianam, seu Hierarchiam Ecclesiæ Romanæ dominantem inde à Gregorii VII. tempore inprimis Babylonem Magnam in prophetia declarari censerique meritò, superiori diatriba affirmavimus. Restat ut rem magni momenti, cui ad insaniam usque, apertæ rei licet, reclamant, certis irrefragabilibúsque argumentis rationúmque ponderibus demonstremus, & apertæ veritati demus.

Transitio ad sententia affirmantis demonstrationem.

II. Ut verò in antecessum arctè universa compingamus, more eorum, qui in magna rerum messe ἀκροθινιάζειν solent,

Syllogismus generalis. seu comple-

xiò argumentorum, quibus Hierarchiam Ecclesiæ Romanæ dominantem esse Babylonem Magnam demonstratur.

solent, lubet ἀπόδειξιν nostram moliri Syllogismo generali, rerum, quos tractabimus, momenta brevi συναθροισμῷ omnium complexuro. Talis autem est:

Quicunque cœtus (1) Babyloni veteri Chaldææ quadantenus conveniens (2) sub mysteriorum seu religionis Christianæ prætextu (3) imperium in Civitate magna, in populum magnum Christi nomen professum licet, Clero dominanti parentem, septem collibus, totidémque provinciis distinctum, multorúmque Regum potentia suffultum, obtinet, séque (4) immani fastu, habitúque prætumido (5) ceu Numen Divinitatis particeps ab eo religiosè coli patitur (6) adeóque populum sibi obnoxium à vero Dei cultu, ad sui & creaturarum cultum falsámque religionem modis omnibus seducit, (7) sanctos veri Dei cultores atrociter persequitur, (8) blasphemiis, (9) luxuria, (10) veneficiis, (11) avaritia & nundinatione spirituali se se immaniter polluit; (12) severúmque iccirco Dei judicium provocans, illud aliquatenus jam subivit, & porro subiturus est; is Babylon Magna, Mater scortationum & abominationum terræ est.

Atqui Hierarchia seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans, inde à Gregorii VII. temporibus maximè, cœtus ejusmodi est.

Ergo Hierarchia seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans, inde à Gregorii VII. temporibus maximè, Babylon Magna, Mater scortationum & abominationum terræ est.

Propositionis majoris veritas definiti & definitionis nexu nititur.

III. Propositionis majoris veritas omni explicatione major est, utpote quæ Babylonis Magnæ definitionem explicatam continet. Inter definitionem autem & definitum nexus

nexus adeò necessarius est, ut posita illa hoc non possit non poni, cúm non re ipsa, sed sola ratione, terminisque differant. Accedit quòd omnia prædicata conjunctim posita definitionis ad instar aut nominis proprii subjecta nominum analogorum demonstrant. Cúm igitur propositio isthæc complexio quædam sit prædicatorum omnium, quæ Babyloni M. Apocalypsis attribuit, manifestum est, id, cui complexio illa competit, Babylonem Magnam esse.

Probatio specialis propositionis majoris, secundùm lemmata singula,

IV. Singula verò ut paucis, dissertatione tertia abundè jam demonstrata licet, repetamus Babylon Magna in propositione majori definitur *Cœtus*. Vocatur enim *πόλις μεγάλη Civitas magna* Apoc. XVII. 18. non utique locus mœnibus cinctus, sed multitudo quæpiam per caput aut capita sociata, seu communio quæpiam civium certis legibus convenientium, & religiosa quidem, uti *Differt. III.* 14. 15. 16. 18. comprobavimus.

quòd scilicet Babylon Magna sit cœtus veteri Babyloni Chaldaica quadantenus conveniens,

V. Cœtum definimus *Babyloni veteri Chaldææ quadantenus convenientem*. Neque enim *βαβυλὼν μεγάλη Babylon Magna* Apoc. XVII. 5. vocari potuisset, nisi similitudo quædam ei cum בבל רבה *Babylone Magna*, cujus Prophetia Dan. IV. 30. meminit, intercederet, quod ipsum quoque *Differt. III.* 2. ostendimus. Ita cùm eadem civitas Magna Apoc. XI. 8. vocatur *πνευματικῶς Σόδομα καὶ Αἴγυπτος spiritualiter Sodoma & Ægyptus*, similitudinem quampiam cum veteri Sodoma & Ægypto indigitari, palam est.

mysteriorum seu religionis Christianæ falso prætextu ludens.

VI. Addit definitio, Babylonem M. imperare sub *mysteriorum, seu religionis Christianæ prætextu*. Habet enim Babylon, Meretrix illa magna, titulum fronti suæ præfixum: *μυστήριον Mysterium* Apoc. XVII. 5. quo illam sub prætextu scilicet mysterii pietatis & religionis, non cujuslibet, sed Christianæ, utpote in scrinio pectoris sui latentis

tentis unicè, ad ſui amorem inceſtum ſcortatores allicere *Diſſert. III.* 5. 6. 18. &c. manifeſtiſſimum fecimus.

Imperium in Civitate Magna, in populum animalem, ſeptem collibus, totidémque Provinciis diſtinctum, multorúmque Regum potentia ſuffultum, obtinens,

VII. Cœtui eidem propoſitio tribuit *Imperium in Civitate Magna, in populum M. animalem, ſeptem collibus, totidémque provinciis diſtinctum, multorúmque Regum potentia ſuffultum.* Non enim qualiſcunque Cœtus Babylon eſt, ſed *dominans, imperitans.* Inducitur quippe ceu Mulier καθημένη ἐπὶ θηρίον *ſedens ſuper Beſtiam*, ſeu Rectrix Beſtiæ; Apoc. XVII. 3. & *Civitas M. habens Regnum ſuper Reges terræ* cap. XVIII. 18.

VIII. Nullúm porro Imperium niſi in loco geri poteſt. Hinc etiam Apocalypſis Babyloni M. Tribuit πόλιν μεγάλην *civitatem Magnam*, ibid. eámque ſedere *ſuper aquas multas*, ibid. v. 1. nec non *ſuper ſeptem montes*, totidémque *capita beſtiæ.* v. 7. 9. aſſerit, unde civitatis illius amplitudo æſtimari poteſt.

IX. Neque etiam Imperium ullum ſine ſubditis conſtat. Proin etiam Apocalypſis cœtui huic religionis Chriſtianæ prætextu dominanti ſubditos tribuit, puta *Beſtiam*, Babylonem Meretricem *portantem* v. 7. quæ v. 8. & ſeq. dicitur *fuiſſe, & non eſſe, & velle aſcendere ex abyſſo, & vadere in interitum, non ſine ſtupore incolarum terræ, habens ſeptem capita, ſeu totidem montes, in quibus Mulier ſedet; & decem cornua, ſeu totidem Reges poteſtatem unà cum beſtia accipientes una hora, poteſtatem ſuam tradentes beſtiæ, & cum Agno bellum gerentes, tandémque etiam Babyloni ipſi agnitæ demum bellum indicentes.* Qua periphraſi *Populum Magnum animalem, Chriſti nomen profeſſum licet, Hierarchiæ dominanti parentem, ſeptem collibus, totidemque provinciis diſtinctum, multorúmque Regum potentia ſuffultum*, circumſcribi *Diſſert. III.* 20. 21. *&c.* 32. 33. *&c.* argumentis clariſſimis demonſtravimus.

X. Jam

X. Jam & Babyloni M. ceu Mulieri, Meretrici superbissimæ omnium, habitum singularem, eúmque *immani fastu* turgentem Apocalypsis apertè tribuit. Dicitur enim cap. XVII. 3. 4. Mulier illa περιβεβλημένη πορφύρᾳ καὶ κοκκίνῳ, καὶ κεχρυσωμένη χρυσῷ, καὶ λίθῳ τιμίῳ. *Amicta purpura & coccino, & inaurata auro, ac lapide pretioso, & margaritis.* Quod singulari mysterio neutiquam carere *Differt. III.* 28. 29. adstruximus. Ad eundem habitum externum Mulieris refertur etiam ποτήριον χρυσοῦν *poculum aureum*, quod manu sua gestare dicitur, *plenum* interiùs *abominationibus & impuritate scortationis.*

Immani fastu habitúque praetumido sese proferens,

XI. Ad intimam porro Babylonis, Meretricis Magnæ, constitutionem pertinet illud inprimis, quod tum se, ceu *Numen Divinitatis particeps à subjecto sibi populo religiosè coli patitur: tum populum eundem à vero Dei cultu ad sui & creaturarum cultum, falsámque religionem modis omnibus seducit.* Utrumque illud in Prophetia designari eo, quòd Babylon vocatur πόρνη μεγάλη *Meretrix Magna*, ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν *Mater scortationum & abominationum terræ, cum qua scortati sint Reges terræ.* Apoc. XVII. 1. 2. 4. 5. &c. fusè admodum *Differt. III.* 8-13. comprobavimus.

se ipsum ceu Numen Divinitatis particeps subjecti sibi populi venerationi exponens; populúmque eundem à vero Dei cultu, ad sui & creaturarum cultum, falsámque religionem modis omnibus seducens.

XII. Crudelitatem Babylonis *in persequendis atrociter veri Dei cultoribus*, passim etiam Apocalypsis Babyloni tribuit. Nam & habitus ejus *coccinum & pupura* cap. XVII. 4. crudelitatis illius symbolum statuitur: & *ebria* Mulier illa dicitur *sanguine sanctorum, & sanguine testium Jesu.* v. 6. In ea *sanguis Prophetarum & Sanctorum, omniúmque in terra mactatorum inventus.* cap. XVIII. 24. dicitur.

Sanctos veri Dei cultores atrociter persequens,

XIII. Sed & *blasphemiarum* ream eandem quàm maximè facit. Inducit enim eam sedentem super bestia, *quæ plena est nominibus blasphemiæ* cap. XVII. 3. *Luxuriam* ipsa

blasphemiis, luxuria, veneficiis, avaritia, &

nundinatione spirituali immaniter se polluens,

ipsa scortationum & impuritatis omnis improperatio arguit, quódque ei cap. XVIII. 3. δύναμις τῦ ςρήνυς *potentia luxuriæ* tribuitur, qua scilicet, ἐςρηνίασε *luxuriavit*. v. 7. Pertinet eodem, quòd γόμ☉ *merces* Babylonicæ luxuriæ instrumenta ib. v. 11. commemorantur; & eidem *vox citharædorum, Musicorum, tubicinum* &c. cap. XIX. 22.23. exprobratur. Sed & φαρμακεία *veneficium* ei disertè cap. XVIII. 23. adscribitur, utpote quo seduxisse omnes gentes ibid. dicitur. Quò etiam Circæum illud abominationum poculum cap. XVII. 4. referre licet. Denique & ἐμπορία *nundinatio* quædam clarè admodum eidem tribuitur. *Mercatores* enim *terræ ex potentia luxuriæ ejus divites facti*; cap. XVIII. 3. nec non *flentes lugentésque, eò quod merces eorum*, puta *aurum, argentum, lapidem pretiosum* &c. *nemo amplius emat*. ib. v. 11. 12. &c. inducuntur.

denique ob impietatem isthanc severissimum Dei judicium provocans.

XIV. Denique ob fœditatem, scortationem, abominationes varias & horribilia peccata Babylonem *severissimum* judicium, atque illud per gradus certos procedens, donec penitus aboleatur, ut non ampliùs sit, *subituram*, filum Apocalypseos secuti *Differt. III.* 41. 42. &c. demonstravimus.

Assumptio posita, quod Hierarchia Ecclesiæ Romanæ dominans ejusmodi cœtus sit.

XV. Sic adamantino veluti nexu Propositionis veritas constat. Superest, ut Assumptionem, in qua cardo rei totius vertitur, pari demonstrationis robore confirmemus, adeóque ad liquidum perducamus. *Hierarchiam Ecclesiæ Romanæ dominantem inde à Gregorii VII. temporibus maximè*, esse *cœtum talem, qui* (1) *Babyloni Chaldææ quadantenus conveniens*, (2) *sub mysteriorum, seu religionis Christianæ prætextu*, (3) *imperium in civitate Magna in populum Magnum animalem, Christi nomen professum licet, septem collibus, totidémque provinciis distinctum, multorum Regum potentia suffultum, obtinet; séque* (4) *immani fastu, habitúque prætumido*, (5)

ceu

ceu Numen Divinitatis particeps ab eo religiosè coli patitur (6) *adeóque populum sibi obnoxium à vero Dei cultu ad sui & creaturarum cultum falsámque religionem modis omnibus seducit,* (7) *sanctos veri Dei cultores atrociter persequitur,* (8) *blasphemiis,* (9) *luxuria,* (10) *veneficiis,* (11) *avaritia & nundinatione spirituali sese immaniter polluit,* (12) *severúmque iccirco Dei judicium provocans, illud aliquatenus jam subivit, & porro subiturus est.* Quæ duodecim demonstrationis capita, ordine & sigillatim persecuturus, Deum veneror, ut consilium laborémque meum Ecclesiæ prosperet, & aperta rerum luce, prædictionum factorúmque harmonia perspecta, Babylonem agnoscant salutariter, properéque deserant, quotquot ejus amore præpostero ad perniciem suam hactenus arserunt.

DISSERTATIO
SEXTA
QUA

Hierarchiam seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem Babelem M. esse probatur. Primò, quia cum Babylone Chaldaica veteri quadantenus convenit.

BREVIARIUM.

I. *Babylonis M. character primus est, quòd ea cum Babylone Chaldaica veteri congruit.*

 II. Cum

II. *Cum eadem etiam Ecclesiæ Romanæ hierarchiam dominantem congruere, syllogismo argumentorum συναθροιστικῷ probatur.*

III. *Babylon vetus ita dicta est, à confusione labii. Hierarchiæ Papalis similis confusio & divisio in Schismatis ejus, & dissensionibus horribilibus, quibus structura turris ejusdem nunquam non impeditur; in asserendo primatu Papæ, aliisque dogmatis notatur.*

IV. *Papalis Regni divisio & confusio ex ipso Bellarmino prodita.*

V. *Babylon Chaldæa, & turris in eadem ædificari cœpit eo consilio, ut nepotes Noachi sibi constituerent nomen, & ut maneret populus unus, labium unum.*

VI. *Hierarchia Papalis apud se solam esse nomen, authoritatem, potestatem definiendi fidem, similiter profitetur, uti ex dictalibus Gregorii VII. Bulla Bonifacii VIII. Maximiniani Epistola suppostitia probatur.*

VII. *Quin & unitatem populi Ecclesiæ suæ notam constituit, & non nisi una lingua Latina, cultum publicum exercet.*

VIII. *Neque tamen magis quam Chaldæa vetus, confusionem & dispersionem sui evitare potuit, quod in Orientalium & Occidentalium Schismate inprimis apparuit.*

IX. *Babylonis Chaldææ conditor fuit Nimrod, rebellis adversus Deum, potens venator coram Deo, qui religionis prætextu homines, civitatésque sibi subjecit. Idem fuit cum Belo seu Baale.*

X. *Hierarchia Papalis suis Nimrodis, religionis prætextu imperia subjugantibus, & venatoribus coram Deo, & piscatoribus non destituitur.*

XI. *Babylon Chaldæa fuit ampla, potens, non tam urbs, quam gens.*

XII. *Hie-*

XII. *Hierarchia papalis similiter amplitudinem & felicitatem temporalem Ecclesiæ suæ notam jactat. Potestatem quinetiam omnem in Cœlo & in terra sibi arrogat.*

XIII. *Babylon vetus habuit Principes, consultores, sapientes, divinatores. Hierarchia papalis similibus abundat, quos inter Cardinales Regibus exæquati, Archiepiscopi, Episcopi, veri Divinatores eminent.*

XIV. *Babylon Chaldæa scortationi Spirituali, cultui imaginum inprimis dedita maximè fuit. Hierarchia Papalis cultu imaginum insanit.*

XV. *Babylon vetus fuit* πολύθεος, *ipsos Reges suos ceu Numina coluit: aliósque etiam ad idololatriam seduxit, etiam vi adhibita. Convenit planè Hierarchia Papalis.*

XVI. *Babylon Chaldæa scortationibus & luxuriæ nefandum in modum dedita fuit. Ejusdem ea in re æmulam se Hierarchia Papalis gerit.*

XVII. *Babylon Chaldæa diu populum Dei captivum attinuit, & diris modis divexavit. Hierarchia Papalis fideles, Agni sectatores, Christi testes secum commixtos diu captivos detinuit, & pessimè eosdem habuit.*

XVIII. *Babylon Chaldæa vel invita tandem populum Dei carceribus solutum libertati restituit. Hierarchia Papalis Ecclesiam diu captivam, Reformationis beneficio à se separatam, & libertate etiam pactis firmata, fruentem, dimittere coacta est.*

XIX. *Post exitum populi Dei ex Babylone veteri, eadem facta est habitatio immunddrum bestiarum. Simile quid etiam Hierarchiæ papali contigit.*

XX. *Blasphemiarum contra Deum, & incantationum rea æquè Babylon vetus & Hierarchia papalis est.*

XXI. *Babylon vetus mercatura & negotiationibus inclaruit, sæva & crudelis fuit, judicia Dei securè contempsit, malitiæ suæ confisa, de Deo cogitationem abjecit.*

XXII. *Similibus Characteribus Hierarchia Papalis infamis est.*

XXIII. *Sicut olim Babylonii Reges imperium adeuntes nomina mutârunt, ita Pontifices Romani ad Papatum evecti faciunt idem.*

XXIV. *Babylon Chaldaica propter impietatem gravissimum Dei judicium Divinitus annuntiatum, subiit.*

XXV. *Hierarchia Papalis ruere jam cœpit, at ad extremum penitus corruet.*

XXVI. *Objectio, quòd Theologia Symbolica non sit argumentativa, solvitur, & argumentum concluditur.*

Babylonis M. character primus est, quòd ea cum Babylone Chaldaica veteri congruit.

I. Primus Babylonis Magnæ Character est, quòd cum Babylone Chaldaica veteri ea quadantenus convenit. Si igitur Hierarchiam Ecclesiæ Romanæ dominantem cum Babylone Chaldaica veteri quadantenus convenire demonstraverimus, characterem isthunc Babylonis M. eidem Hierarchiæ competere, extra dubitationis aleam positum fuerit. Fieri enim non potest, quin Babylon Apocalyptica & Romanæ Ecclesiæ Hierarchia, cum veteri illa Chaldæa analogia quadam congruentes, ipsæ quoque inter se conveniant, cùm quæ in uno tertio conveniunt, ea inter se convenire sana ratio dictitet.

Cum eadem etiam Ecclesiæ Romanæ Hierarchiam dominantem congruere, Syllogismo argumentorum συναθροισμῷ probatur.

II. Analogiam inter Babylonem veterem Chaldaicam & novam mysticam, quoad utriúsque initia, potentiam, scelera, & judicium *Differt. I.* 26-32. exposuimus. Analogiam inter Babylonem Chaldaicam veterem, & Ecclesiæ Romanæ Hierarchiam dominantem, quoad Characteres communes eosdem, aliósque paucis constringere nunc etiam juvabit, εἰς συλλήβδην rem totam sequenti Syllogismo complectimur.

Quic-

Quicquid cum Babylone Chaldaica veteri convenit quoad ejus nomen, seu significatum nominis; quoad consilium, quo urbem, & in ea turrim exstruere moliti sunt; quoad confusionem labii, & dispersionem populorum; rebellionem Nimrodicam adversus Deum; amplitudinem, potentiam, Principes, consultores, Sapientes, Divinatores; cultum imaginum; πολυθεότητα; *scortationem, luxuriam, crudelitatem in populum Dei captivum, à Deo denique liberatum; corruptionem postea majorem; blasphemandi Deum, incantandi nefas; mercaturam; fiduciam in se; mutationem nominis Regii; judicium Divinum ob peccata illa, interitúmque: illud cum Babylone Chaldaica veteri analogiam habet, adeòque cæteris paribus, Babylon magna est.*

Atqui Hierarchia Ecclesiæ Romanæ dominans cum Babylone Chaldaica veteri convenit quoad nomen &c.

Ergo Hierarchia Ecclesiæ Romanæ dominans cum Babylone Chaldaica veteri analogiam habet, adeoque, cæteris paribus, Babylon Magna est.

Propositio Major extra dubitationis aleam posita est, cùm fieri non possit, ut in plerisque omnibus similia analogiam habeant nullam; æquè ut fieri nequit, ut ovum cum ovo, lac cum lacte, fur cum fure, lupus cum lupo analogicè non conveniant. Insuper Logicorum axioma, quòd quæ in tertio uno, nedum in pluribus conveniunt, inter se conveniant, æternæ veritatis est. Minorem deinceps per singulas partes stabilitum imus.

III. Babyloni Chaldaicæ veteri nomen inditum est à confusione. *Propterea* enim *Deus vocavit nomen ejus* בבל *Babel* כי שם בלל יהוה שפת כל הארץ *quia ibi Deus confudit labium totius terræ*. Gen. XI. 9. Quod qua ratione successerit, ibidem exponitur. Ædificaturi enim insano stolidóque molimine turrim οὐρανομήκη, Divino judicio

Babylon vetus ita dicta est, à confusione labii. Hierarchia Papalis similis confusio & divisio in Schis.

matis ejus, & dissensionibus horribilibus, quibus structura turris ejusdem nunquam non impeditur; in asserendo primatu Papæ, aliisque dogmatis notatur.

dicio ita labiis discordarunt, ut conatus omnis irritus ceciderit. Sicut igitur vetustæ Babylonis ædificatio per *confusionem* linguarum interrupta est: ita Hierarchiæ Romanæ dominationem suam exstruentis exercentisque, linguæ non semel gravitérque *confusæ* & divisæ sunt, exaudiente Deo preces Ecclesiæ Psalm. LV. 10. בלע ארני פלג לשונם *Perde, Domine, divide linguam eorum, quoniam vidi violentiam & contentionem in civitate.* Liquet id in horrendis Ecclesiæ Romanæ, Pontificum inprimis, Schismatibus, quorum nonnulla, illud maximè, quod ab Urbani VI. Papatu ad Constantiense Concilium usque protractum, Historia Papatus *§.* CXXXVIII. *&c.* prosequitur, pertinacissimè agitata sunt; nec non in gravissimis dissensionibus circa religionis capita complura, palmarium maximè illud de primatu Papæ: quibus dissensionibus qualibet ætate atque nostra etiam, in Gallia cumprimis crebrescentibus, impeditum est, ne turris illa attentata ædificari, & Hierarchia illa utcunque in sublime jam producta, toti Christiano orbi unquam imperare potuerit. Urgétque confusio illa hodiéque ita Regnum Pontificium, ut nunquam ferè concordes esse possint, & in mutua etiam sævissimáque bella non raró prorumpant, quibus efficitur, ut suapte Marte Babylonis hujus architecti intercidant. Taceo confusionem linguarum in asserendo Pontificis primatu, quem alii à Scripturæ solius, alii traditionis insuper authoritate arcessunt, alii cum ejusdem infallibilitate omni modo consociant, alii ab eodem divellunt, alii Ecclesiæ seu Concilio subjiciunt, eidem præferunt alii: in fidei cum Protestantibus controversæ articulis, circa quos ante Tridentini Concilii definitiones dissensum liberrimè est; & qui in ipso Concilio Tridentino ita definiti sunt, ut intercedentibus variis cothurnis & oráculis flexiloquis, labia non unita sint, sed confusa & divisa maneant: in quæstionibus gravissimis de Deo

de Deo & rebus Divinis, circa quas Doctores Scholastici, Thomistæ, Scotistæ, Prædicatores, Franciscani, Jesuitæ adeò pertinaciter dissident, ut si uspiam, in Scholastica certè architectorum Babylonis Theologia, Babylonica confusio clarissimè conspiciatur.

IV. Quid quòd in Papatu Regnum ipsum divisum & confusum cernitur, juxta prædictionem Dan. II. 41: *Quòd autem vidisti pedes & digitos partim fictiles figuli, & partim ferreos* מלכו פליגה *Regnum divisum est, & de plantario ferri erit in eo.* Quod optimè explicat, & vel imprudens applicat Bellarminus *de Clericis cap.* 30. ubi sic ille: *Civitas est una* (in Papatu) *materialiter, & duæ formaliter; quia cœtus Laicorum & cœtus Clericorum formaliter duæ civitates dici possunt, quoniam in ipsis etiam temporalibus rebus diversas leges habent, diversa tribunalia.* Omnino in uno Regno divisum Regnum est. Clerici enim secundùm omnia subsunt Papæ. Laici subsunt Regibus, & unâ cum Regibus suis Papæ, etiam quoad temporalia, saltem indirectè.

Papalis Regni divisio & confusio ex ipso Bellarmino prodita.

V. Babylonis Chaldaicæ veteris initia narrantur Gen. XI. 1-4. Nepotes scilicet Noachi consilium iniverunt constituendi השם *nominis*, ne multiplicato genere humano *dispergerentur*, & non manerent עם אחד *populus unus.* v. 6. sed ut haberent שפה אחד *labium unum*, loquentes דברים אחדים *sermones eosdem.* v. 1. Qualecunque illorum consilium fuit, sive ædificandi magnam urbem, comparandæ apud posteros famæ celebris, & unâ habitandi, dispersionemque vitandi gratia, quod Dei præcepto recens lato, prolificandi scilicet, & terram replendi. Gen. IX. 2. adversari, ignorare certè non potuerunt: sive, quod probabilius est, condendi civitatem unam, quæ foret metropolis, in qua summi *nominis* sedes esset, per quod nomen una religio & traditio πατροπαράδοτος in orbe toto conservaretur,

Babylon Chaldaa, & turris in eadem ædificari cœpit eo consilio, ut nepotes Noachi sibi constituerent nomen, & ut manerent populus unus, labium unum.

varetur, ut gens hominum *unus* maneret *populus, unúmque labium*, cum Hierarchia Ecclesiæ Romanæ dominantis similitudinem quandam obtinent.

Hierarchia Papalis apud se solam esse nomen, authoritatem, potestatem definiendi fidem, similiter profitetur, uti ex dictatibus Gregorii VII. Bulla Bonifacii VIII. Maximiniani Epistola supposititia probatur.

VI. Ecclesia Romana utique simile in conscientias imperium exercens profitetnr, apud se esse השם *nomen*, authoritatem, potestatem Divinam jubendi, dictandi quod velit; nomen quod nominandum est omni homini ad salutem, caput & metropolim, cum qua communicare, à qua jus & fas omne repetere, cui subesse & subjacere in solidum, sit de necessitate salutis, quáque etiam fideles omnes quaquaversum dispersos efficiat עם אחד *populum unum*, & שפה אחד *labium unum*. Repetat, cui lubet, animo famosos illos Gregorii VII. dictatus, quibus inter alia comprehensum est, *quòd unicum sit nomen in mundo: quòd solius Papæ nomen in Ecclesiis recitetur: quòd nullus audeat condemnare Episcopos Romam, metropolim scilicet illam, appellantes: quòd Catholicus non habeatur, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat*, &c. Repetat bullam Extravagantem Bonifacii VIII. *Unam sanctam Ecclesiam* &c. quæ his verbis clauditur: *Porro subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, definimus & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.* Repetat denique sive Maximiniano, Episcopo Constantinopolitano, sive Maximo cuipiam suppositam mera fraude Epistolam, tantopere Baronio, aliisque laudatam, in qua sic inter alia Ecclesiæ Romanæ caput demulcetur: *Omnes fines terræ, qui Dominum sincerè receperunt, & ubique terrarum veram fidem confitentes in potestatem Romanorum Pontificum, tanquam in solem respiciunt, & ex ipso lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt.* Et paulò post: *Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto terrarum orbe, conditor orbis elegit, cui Cathedram magisterii principaliter possidendam tenere perpetuo privilegii jure concessit, ut*

sit, ut

ſit, ut quiſquis Divinum aliquod aut profundum nôſſe deſiderat, ad hujus præceptoris oraculum doctrinámque recurrat.

VII. Adeò verò Civitatis ſeu Metropoleos ſuæ beneficio *unitatem* illam tum *populi*, tum *labii* conſervare Romanenſes ſtudent, ut *unitatem* ejuſmodi, ſeu *unionem membrorum inter ſe & cum capite Romano Pontifice in Metropoli illa reſidente*, Eccleſiæ ſuæ notam propriam & genuinam, jam pridem fecerint. Bellarminus *de Eccleſia* Libr. IV. 10. ita rem definit: *Septima nota eſt unio membrorum inter ſe & cum capite.* Paulò poſt: *Nunc omnes Catholici (*Pontificii*) tota orbe diſperſi de omnibus dogmatibus fidei ſentiunt idem: nec poſſunt aliter ſentire, cùm omnes ſubjiciant ſenſum ſuum ſenſui unius & ejuſdem Summi Paſtoris ex Cathedra Petri, cum conſilio aliorum Paſtorum Eccleſiam dirigentis.* Iiſdem penè verbis de Eccleſia Romana Franciſcus Coſterus *Enchirid. Controv. cap. de Eccleſia*, gloriatur. *Catholici omnes*, inquit, *ubivis terrarum ſub uno capite Romano Pontifice, cui omnes parent & Principes & Reges, ut Chriſti Vicario, eandem fidem conſtanter retinent, idem dicunt, idem ſentiunt, idem credunt per omnia, & ne in minimo quidem religionis articulo diſcrepant.* Quid quòd unitatem labii in eo etiam Eccleſia Romana affectat, quòd ſacra officia nonniſi una lingua, Latina ſcilicet, quam *regnantem* & *dominantem* appellare ſuevit, peragi poſſe pertendit?

Quin & unitatem populi Eccleſia ſua notam conſtituit, & non niſi una lingua Latina, cultum publicum exercet.

VIII. Tametſi verò ita unitatem populi & labii Romanenſes crepant, efficere tamen, quò minùs diſpergerentur, & confunderetur labium eorum multis modis, neutiquam potuerunt, ut ſupra jam *ſ. ÿ. iÿ.* dicere occupavimus. Qui eoſdem cum vulpibus Samſonis caudis tenus ad nocendum vaſtandúmque colligatis, at quoad capita ſolutis diſſipatiſque comparaverit, næ is, quod res eſt, dixerit.

Neque tamen magis quam Chaldæa vetus, confuſionem & diſperſionem ſui evitare potuit, quod in Orienta-

S Quot

lium & Occidentalium Schismate inprimis apparuit.

Quot formas quæso ipsa Theologia Pontificia diversissimas suscepit? Cogitet, qui velit, Theologiæ Lombardicæ, Scotisticæ, Thomisticæ, Ockamisticæ, Monasticæ, Interimisticæ, Tridentinæ, Jesuiticæ, Methodisticæ, aliorum variantes, totóque cœlo dissidentes formas. Expendat confusi labii, linguarum, quibus Scholastici utuntur, cyclopiam barbariem, sectarum discrepantes idiotismos. Solus Paræus, Theologus gravissimus, bellum Papisticum secundùm præcipua fidei capita ex Bellarmino aliisque Synagogæ Romanæ Scriptoribus in Irenici sui *cap. xxv.* fusè pertexens, in articulis magni momenti ducentas triginta novem ἀντιφάσεις ob oculos statuit. Et qualis quæso quantáque fuit dispersio illa Orientalium & Occidentalium Ecclesiarum, gravissimo Schismate ita divulsarum, ut aqua citiùs cum igne, quàm Roma cum Orientalibus in fidam gratiam pacémque solidam redituræ sint. Ne de Ecclesiarum Occidentalium dispersione & separatione ab Ecclesia Romana justa multiplicique dicam.

Babylonis Chaldææ conditor fuit Nimrod, rebellis adversus Deum, potens venator coram Deo, qui religionis prætextu homines, civitatésque sibi subjecit. Idem fuit cum Belo seu Baale.

IX. Qui Babylonem Chaldaicam veterem in terra Sinear condidit נמרוד *Nimrodus* á מרד *rebellando*, ita dictus, quòd in superiores æquè ac in pares omnes surrexisset; נבור ציד לפני יהוה *potens venator*, seu *potens venatione coram Jehova* fuisse, Gen. x. 9. dicitur. Ille scilicet à vero Deo ejusque cultu deficiens, ad falsum, impiúmque cultum deflexit, hominésque multos in suam potestatem redegit, sub nomine יהוה *Jehovæ*, hoc est, prætextu religionis veræ conservandæ nequiter usus. Sed revera *contra Dominum*, uti illud לפני Jarchius, aliique interpretantur. *Non voluit*, ita Munsterus, *tantùm venator esse in terra, sed etiam coram Domino. Voluit quoque regnare in religione, erexit novos cultus coram Domino, usurpavit Sacerdotium vi & ferro, persecutor Prophetarum, Sanctorum, populi Dei, lineæque ex qua Christus oriturus erat.*

Sanè

Sanè Nimrodum hunc, eundem esse cum Belo, Nini patre, falsi Numinis cultore, vel inde colligitur, quòd sicut Nimrodum Babylonem condidisse, Moses testis est: ita ejusdem Babylonis conditorem Belum Berosus, Sacerdos Babylonius, & Abydenus, quem utrumque historiam suam ex vetustissimis Chaldæorum monumentis & archivis hausisse constat, nec non Eupolemon in historia Judaica, Alexandro Polyhistore referente, aliique faciunt. Atque eundem esse Nimrodum & Belum, etiam ratio temporum palàm arguit. Et qui Babyloniis erat בל *Bel*, idem Phœnicibus & adjacentibus erat בעל *Baal*, utróque nomine derivato à בעל *Dominus*, à quo excidente litera ע juxta morem Chaldaicum fit בל *Bel*, cujus mentio est Esaj. XLVI. 1. Jerem. L. 2. LI. 44. Phœniciis autem Hebraicè locutis *Baal* cum ע retinebatur.

Hierarchia Papalis suis Nimrodis, religionis prætextu imperia subjugantibus, & venatoribus coram Deo, & piscatoribus non destituitur.

X. Neque verò etiam Romanæ Babyloni desunt Nimrodi, Beli, & Baales potentes venatores, non ferarum, sed hominum *coram Domino*, qui prætextu, seu potiùs calumnia, religionis & verborum Domini: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam: Tibi dabo claves Regni Cælorum: Pasce oves meas &c.* nec non S. Petri: *Ecce duo gladii;* Babylonem suam extruxerunt, & sub ejusdem potestatem magnam multitudinem hominum, acri thyrso percussam, & decreto eo, *quòd de necessitate salutis sit, ut humana Creatura omnis Romano Pontifici subsit;* dementatam redegerunt. Qui nomen isthoc *potentis venatoris coram Domino* non carens invidia, in suavius illud *Piscatoris hominum* commutârunt, atque ejusmodi seu venatione, seu piscatione hominum id tandem effecerunt, ut in Cœlo & terra, Spiritualibus & temporalibus Dominarentur, quod qua ratione successerit, Historia Papatûs *periodo III. IV. & V.* prosequitur. Meritóque adeo Lutherus *Lib. de Captivitate Babylonica* Papatum defini-

definivit, *quòd sit robusta venatio Nimrodi.* Est enim Monarchia seu tyrannis temporalis, specie religionis, tituloque Ecclesiæ producta ac promota, juxta illud Poëtæ:

—— Quicquid non possidet armis,
Relligione tenet. ——

Babylon Chaldæa fuit ampla, potens, non tam urbs, quam gens.

XI. Fuit Babylon, gloriante ita Nebucadnezare, urbs רבתא *magna.* Dan. IV. 27. *mater Chaldæorum.* Jerem. V. 12. *laus universæ terræ.* cap. LI. 41. *gloria Regnorum, decus superbiæ Chaldæorum.* Esaj. XIII. 19. מדהבה *aurea.* Esaj. XIV. 4. nec non רבת אוצרות *locuples thesaurorum* Jerem. LI. 13. & propter insignem potentiam *malleus universæ terræ* Jerem. L. 23. *flagellum & instrumentum bellicum ad dissipandas gentes, & perdenda regna.* Jerem. LI. 20. Aristoteles Polit. III. 3. eam ἔθνους μᾶλλον ἢ πόλεως περιγραφὴν ἔχειν *gentis potiùs, quàm urbis circumscriptionem habere,* scribit. Plura qui de ejus amplitudine, potentia, opulentia scire desiderat, Ctesium, Herodotum, Berosum Abydenum, Curtium, Philostratum, & è recentioribus, quibus ad ea describenda vix verba sufficiunt; Tzezem, consulat licet.

Hierarchia papalis similiter amplitudinem & felicitatem temporalem Ecclesiæ suæ notam jactat. Potestatem quinetiam omnem in Cælo & in terra sibi arrogat.

XII. Hierarchiæ Ecclesiæ Romanæ dominantis, ceu Civitatis cujuspiam magnæ, amplitudinem, potentiam, opulentiam quis calamo adæquare potis est? Juvabit intueri indicio suo se prodentem soricem Bellarminum. Is enim & amplitudinem, & felicitatem temporalem Ecclesiæ suæ notam palam jactare non erubescit. Et de amplitudine quidem Ecclesiæ Romanæ sic ille *de Ecclesia Lib. IV. 7.* inter alia ampullatur: *Nostram Ecclesiam maximam partem orbis occupâsse, & esse verè Catholicam, ita probamus. Nam tempore Apostolorum in toto mundo fructificare cæpit, ut Paulus dicit Coloss. 1. Item tempore Irenæi erat sparsa per totum orbem, id est, per omnes provincias tunc cogni-*

cognitas, id quod ipse refert lib. 1. cap. 3. &c. S. Prosper Libro de ingratis ita cecinit:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Relligione tenet.

Tempore Gregorii M. Ecclesiam nostram fuisse in toto orbe terrarum planum est ex Epistolis ipsius Gregorii ad Episcopos Orientis, Africæ &c. Bernhardus disputans coram Rege Siciliæ Rogerio asserebat, Romano Pontifici suo tempore paruisse Orientem & Occidentem totum, item Franciam, Germaniam, Angliam, Iberos, & plurimas barbaras nationes. vide vitam S. Bernhardi Lib. II. 7. Denique nostro tempore Ecclesia Romana præter Italiam & Hispaniam totam, præter Galliam ferè totam, præter Germaniam, Angliam, Poloniam, Bohemiam, Hungariam, Græciam, Syriam, Æthiopiam, Ægyptum, in quibus multi inveniuntur Catholici, in ipso novo Orbe habet Ecclesias sine admistione hæreticorum; ad Orientem in Indiis; ad Occidentem in America; ad Septentrionem, in Japonia; ad Meridiem, in Brasilia, & exteriore parte Africæ. En Civitatem Magnam, Matrem nationum, laudem universæ terræ, gloriam Regnorum, decus superbiæ Romanorum! In historia Papatûs *ſ.* CLI. vidimus in Lateranensi Concilio Antonium Puccium verba Psalmi LXXII. II. *Omnes Reges terræ adorabunt eum, & servient ei*, his verbis Leoni X. applicantem: *Omnes Reges terræ sciunt; quænam potestas tibi data sit in Cœlo & in terra.* Assa voce in eodem concilio *ſ. x.* Archiepiscopus Stephanus: *Tibi data est omnis potestas. Qui omne dicit, nihil excipit.* Quantam igitur potentiam, robur quantum existimabimus Civitatis illius, cujus Rex omnem in Cœlo & terra potestatem habet, & in terra tot Reges Principésque obnoxios habet, quíque adeò non corporibus duntaxat,

taxat, ſed animis inprimis & conſcientiis hominum dominatur, de quo plura inferius.

Babylon vetus habuit Principes, conſultores, ſapientes, divinatores. Hierarchia papalis ſimilibus abundat, quos inter Cardinales Regibus exaequati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, veri Divinatores eminent.

XIII. Babylon Chaldaica ſuos habuit שרים וחכמים *Principes & Sapientes* חברים *Divinatores* גברים *fortes, Heroës, currus, equos &c.* Jerem. L. 35. 36. 37. 38. Numquid non etiam Principibus, Sapientibus, Divinaculis, heroibus ſuis Roma Papalis abundat? In qua tot purpurati Patres præfulgent, Cardinales inprimis, in quibus ſi Romanæ ſedis aſſentatoribus, veluti Iſidoro Moſcon. *de Majeſtate milit. Eccl. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. credimus, *Majeſtas Reipublicæ Chriſtianæ reſidet, vicem gerentes Apoſtolorum; orbis cardines; Eccleſiæ capita, columnæ, lumina, lucernæ ardentes, candelabra lucis, decoris, præſtantiæ atque ſplendoris; ſtellæ fixæ in Cœlo; Patres Conſcripti in Diademate Principis, Divi, Venerabiles, Reverendiſſimi, Religioſiſſimi, Splendidiſſimi, Illuſtres, Superilluſtres, Illuſtriſſimi, item, Maximi, Potentiſſimi, Seniores populi, Senatores & Patritii Maximi, Principes, Reges denique,* quorum inſuper (ita Nicolaus Clemangis Archidiaconus Bajacenſis de corrupto Eccleſiæ ſtatu eoſdem depingit) *Papæ aſſidentium Spiritus, verba tumentia, geſtus tam inſolentes, ut ſi artifex quiſque vellet ſuperbiæ ſimulachrum fingere, nulla congruentiùs ratione id facere poſſet, quàm Cardinalis effigiem oculis intuentium objectando; qui ex ſortis infimæ clericatu in hanc elationem cum ſedis Apoſtolicæ pompatu pervenerunt: nunc verò phylacteria ſua in tantum dilataverunt, ut non modò Epiſcopos, ſed Patriarchas Primates, ſed Archi-Præſules velut infra ſe poſitos deſpiciant, imò ſe jam ab illis ſupplicibus propemodum adorari ſinant, quin & Reges æquiparare contendant.* Quos proin proximo gradu contingunt Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, *ſapientes* ſcilicet illi, & rerum Divinarum callidi, imò &

imò & הכרים μαντῆς *Divinaculi*, qui ab idolo suo, Pontifice, oracula repetunt, Monachi, Abbates, qui etiam S. R. Imperii Principes audiunt, denique Sacerdotes quilibet adeò potentes, pollentésque, ut vel minimus eorum *Creator Creatoris sui* haberi contendat. Qui equos, currus falcatos Romæ Papalis desiderat, cavalcadam, seu Equitatum quempiam Papæ solennem, ministeria Papæ equitanti vel ab ipsis Regibus præstanda, Prælatos ex Ministris, servis Domini, Equites, Chavalieros factos cogitet.

XIV. Babylon Chaldaica scortationi inprimìs Spirituali, cultui imaginum adeò quidem dedita fuit, ut propterea Jerem. L. 38. dicatur: ארץ פסלים *terra sculptilium*, cujus incolæ באימים יתהוללו *in simulachais insaniunt*. Quid Roma Papalis? An quidquam cultu imaginum in externo cultu suo prius & antiquius habet? Annon in simulachris apertè insanit, eorúmque in cultu proram puppímque religionis collocat? Et ne idololatria ejus multiplex innotescat omnibus, secundum Decalogi præceptum vel pravis interpretamentis interpolat, vel audacter etiam expungit? De quo plura etiam in loco. *Babylon Chaldaa scortationi Spirituali, cultui imaginum inprimis dedita maximè fuit. Hierarchia Papalis cultu imaginum insanit.*

XV. Fuit etiam Babylon vetus πολύθεος. Adoravit suum Belum, Merodachum, Nebonem, Sesach, alios, quin & Reges suos. Quomodo Regni Proceres unanimi decreto sanxisse leguntur, *ut quicunque intra triginta dies à quocunque Deo aut homine, nisi à Rege, quicquam petierint, in speluncam leonum projiciantur*. Quod Danieli non Regem Darium, sed Deum suum adoranti, accidit; Dan. VI. 7. 8. &c. Neque πολύθεος simpliciter Babylon fuit, sed ad similem idololatriam alios tum propinato aureo poculo eosdem inebrians Jerem. LI. 7. tum vi etiam adhibita inducere conata est, uti ejusdem Danielis & sociorum ejus, quibus falsi Numinis in aurea statua erecta impe- *Babylon vetus fuit πολύθεος, ipsos Reges suos ceu Numina coluit: alióśque etiam ad idololatriam seduxit, etiam vi adhibita. Convenit planè Hierarchia Papalis.*

imperatum cultum abnuentibus dirum ſupplicium Babylonii dictavere, exemplo liquet. Roma Papalis, ſi qua alia gens, verè πολύθεος eſt. Adorat enim Deum Panaceum, Divos, Diváſque, & eorundem etiam reliquias ſeu certas, ſeu incertas dubiáſque; & ſupra omnes ipſum Regem ſuum Pontificem, quem ſub Vice-Dei & Vice-Chriſti nomine veriſſimis honoribus Divinis proſequitur. Habet & aureum poculum ſuum, quo Reges populóſque terræ inebrians, ad idololatriam ſimilem ſeducit. In eos porro, qui unius ſoliúſque Dei timore, à Numinum talium religioſo cultu religioſè abſtinent, atque interea cum Daniele & ſociis ejus, uni ſolíque Deo Iſraëlis litant, ubi ei vires ſuæ ſatis placent, ferro flammáque modis diriſſimis ſævit.

Babylon Chaldæa ſcortationibus & luxuria nefandum in modum dedita fuit. Ejuſdem ea in re æmulam ſe Hierarchia Papalis gerit.

XVI. Babylon Chaldæa, ſi qua alia urbs, ſcortationibus, luxuriæque multiplici dedita fuit. Erat quippe רכה ועננה *tenera & voluptuaria* Eſaj. XLVII. 1. Adeò certè moribus corrupta erat, ut Cœlio Rhodigino *Antiq. Lect. lib. vij.* 11. ex pluribus authoribus referente, Babyloniæ mulieres cum hoſpitibus turpiter commiſceri, in conviviis amicula exuere, pudorémque profanare ſueverint. Ut mirum non fuerit Alexandri M. exercitum intra triginta & quatuor dies Babylonica luxuria abreptum, penitùs enervatum eſſe. Roma Papalis dum imperat cœlibatum, & in gremio ſuo fovet concubinarios, & concubinas, ſcortationis etiam corporalis author pridem facta eſt. Eadem approbans vota Monachatus, iiſdémque obſtringens incautos, etiamſi fortè quandoque ſcortationis compertos cenſuræ ſubjiciat, occaſionem tamen ſecretæ fornicationis præbet, & æſtum libidinis in animo legibus ſuis retinet. Doctrina inſuper de peccato veniali, & quòd concupiſcentia non ſit peccatum, impuritates apertè fovet.

XVII. Ba-

XVII. Babylon Chaldaica populum Dei, ejusdem justo judicio captivum diu attinuit, & in eundem captivum crudeliter satis consuluit. Devoravit me, ita Ecclesia captiva Jerem. LI. 34. quiritatur, *& contrivit me Nebucadnezar Rex Babel, destituit me vas vacuum, absorpsit me ut Draco, implevit ventrem suum deliciis meis; protrusit me.* Roma Papalis simili prorsus ratione Ecclesiam veram Dei, electos & fideles, Sanctos Agni sequaces, longa captivitate maceravit. Toto enim tempore quo dominationem suam Papalis Hierarchia impotenter affectavit, impudentérque exercuit, extitit in ipso Ecclesiæ Romanæ sinu, adeóque cum eo in externa communione permixta vera Dei Ecclesia, abominationibus invalescentibus sese opposuit, tyrannidémque in fortunas & conscientias suas immanem subiit. Idque inferiùs abundè etiam confirmabimus.

Babylon Chaldæa diu populum Dei captivum attinuit, & diris modis divexavit. Hierarchia Papalis fideles, Agni sectatores, Christi testes secum commixtos diu captivos detinuit, & pessimè eosdem habuit.

XVIII. Adeò pertinaciter populum Dei captivum vetus Babylon detinuit, ut eum dimittere prorsus renuerit. Sed Deus populi sui vindicem se gessit. *Sic dicit Jehova Deus exercituum: injustè vexati sunt filii Israël, & filii Juda unâ, & omnes, qui eos captivos duxerunt, apprehenderunt eos, recusant eos dimittere* גואלם חוק *vindex eorum fortis est, Jehova Deus exercituum nomen ejus est.* ריב יריב רינם *aget causam eorum ad tranquillandam terram & commovendum habitatores Babel* Jerem. L. 33. 34. Sic *subitò cecidit Babel. Curavimus Babylonem & non est sanata. Relinquite eam, & eamus quisque in terram suam.* Jerem. LI. 8. 9. Finita septuaginta annorum captivitate libertati suæ vindicata Ecclesia Babylone exivit, patriósque lares revisit. Pari ferè ratione Ecclesia Dei sub jugum dominantis Hierarchiæ Papalis missa, diúque pessimè habita, tandem, indulgente, imò & præcipiente & vincula relaxante Domino, claustra perfregit, Hierarchiæ

Babylon Chaldæa vel invita tandem populum Dei carceribus solutum libertati restituit. Hierarchia Papalis Ecclesiam diu captivam, Reformationis beneficio à se separatam, & libertate etiam pactis firmata, fruentem, dimittere coacta est.

T Papalis

Papalis communionem etiam externam deſeruit, & religionis conſcientiarúmque libertate, poſt exantlata infinita diſcrimina, pactis etiam adverſantium firmata, frui cœpit, atque adhuc dum Dei omnipotentis & miſericordis gratia, paſſim fruitur.

Poſt exitum populi Dei ex Babylone veteri, eadem facta eſt habitatio immundarum beſtiarum. Simile quid etiam Hierarchia papali contigit.

XIX. Babylon Chaldæa poſt ſeparationem Eccleſiæ facta dicitur habitatio immundarum beſtiarum, ululæ, filiarum ſtruthionis, Draconum, aliorúmque animalium ſilveſtrium Jerem. L. 39. LI. 37. Ferè idem Romæ Papali poſt ſeparationem ab ea fidelium & ſanctorum, accidit. Remanſerunt in ea, veluti in carcere & cuſtodia, homines ut plurimúm ψυχικοὶ *animales*, ob veræ fidei defectum, immundi, quos in carcere illo non Deus, ſed impuræ eorum cupiditates, ambitio, avaritia, hypocriſis, mollities adamata vitæ luxuries, ſplendor fortunæ, ſimiliáque detinent. Hæc certè, non aliud quidquam, eos propellunt, ut Regnum illud impietatis, tanquam portum negotiationis ſuæ, tanto conatu, & contra conſcientiam ſuam, defendant.

Blaſphemiarum contra Deum, & incantationum rea æquè Babylon vetus & Hierarchia papalis eſt.

XX. Adeò adverſum Deum ipſum Babylon Chaldæa inſoleſcebat, ut blaſphemè ita ſe jactaverit אני ואפסי עוד לא *Ego, & non eſt præter me ultra*. Eſaj. XLVII. 8. 10. unde καὶ ἐξοχὴν זדון *ſuperbia*, imò אל יהוה זדה *adverſus Deum ipſum ſe ſuperbiſſimè efferens*. Jerem. L. 29. 31. dicitur. Incantationibus inſuper, ac veneficiis ita dedita fuit, ut ei עצמת חברים *fortitudo incantatorum* Eſaj. XLVII. 9. tribuatur. Blaſphemandi & ferociendi ſimile cacoethes, incantationúmque impietatem ſimilem Eccleſiæ Romanæ dominantem Hierarchiam tranſverſam abripuiſſe, affirmamus, atque infra etiam liquidò comprobabimus.

Babylon vetus mercatura & negotiationibus

XXI. Taceo plures alios Babylonis Chaldaicæ veteris Characteres in S. hiſtoria proditos, veluti quòd ea fuit mercatura & emporiis adeò inſignis, ut עיר רכלים *Civitas nego-*

negotiatorum Ezech. XVII. 4. Eſaj. XLVII. 15. dici meruerit: quòd fuit αἰσχροκερδὴς quæſtui turpi dedita, & propterea רבת אוצרות *locuples theſauris* Jerem. LI. 13. quòd fuit ſæva & crudelis הר המשחית *mons perdens*, qui perdit totam terram. ibid. v. 25. פטיש כל הארץ *malleus univerſæ terræ*. Jer. L. 23. quòd ſumma ſecuritate judicia Dei imminentia contempſit; imperium ſibi perenne, & duraturam, atque nunquam interrumpendam felicitatem ſibi promiſit, identidem ſecum ita reputans: *In æternùm ero Domina: Ego ſum, & non eſt præter me ultra: non ſedebo vidua, nec cognoſcam orbitatem* Eſaj. XLVII. 7. 8. &c. quòd malitiæ aſtutiæque fiſa, præſentis Numinis cogitationem habuit nullam, palàm & jactans אין ראני *non eſt, qui me videat*. ibid. v. 10.

inclaruit; ſæva & crudelis fuit, judicia Dei ſecurè contempſit, malitia ſua confiſa, de Deo cogitationem abjecit.

XXII. Similes Characteres qui in Roma Papali inveſtigare ſtuduerit, nullo ferè negotio eos inveniet. Ibi enim plena omnia ſunt mercatoribus & negotiatoribus, qui pietatem quæſtui habentes, per avaritiam, fictis ſermonibus fidelium animas ἐμπορεύονται) in commercio habent, néque mercaturam ſuam circa res nauci exercent, ſed Ducatus, Regna, Satrapias, Cœlum ipſum, & Cœleſtia venum exponunt. Et quis plus quàm Regales Romæ ejuſdem Papalis opes, malis artibus, & religionis prætextu quæſitas, ſub cenſum revocare poteſt? Adeò quidem inſatiabilis ejus avaritia eſt, ut ſitim illam opum & theſaurorum nec Tagus, nec Hermus, nec Pactolus, nec poſtremò, ſi ſit aureus, totus Oceanus explere poſſit; útque, quod Alphonſum Arragonum Regem pronuntiâſſe Panormitanus *Lib. j. de dictis & factis Alph. apophț.* 8. refert, *Harpyiæ non jam amplius inſulas, ut Poëtæ exiſtimârunt, incolere, ſed ex inſulis migrâſſe in Curiam Romanam, ibique ſedem fixiſſe videantur.* Jam & tyrannidem crudelitatémque Romæ Papalis non tam veſte, quàm cruore innocentum purpu-

Similibus Characteribus Hierarchia Papalis infamis eſt.

purpuratæ, qui cognoscere avet, in rem præsentem eat, & ad animum sibi revocet iliada horrendæ innumerabilium hominum stragis per Europam ob Missam intermissam editæ, tanta sævitia, & suppliciorum deterrimorum varietate, quanta priscis tyrannis incognita, & inaudita fuit, ut quemadmodum, Polybio *lib. j. hist.* judice ἀνθρώπου μηδὲν ὠμότερον ἀποτελεῖται τῶν ζώων *nullum inveniri animal potest, quod crudelitate homo non superet*, sic inter ipsos homines Zelota Pontificius Romanus cunctos alios immani truculentia superet. Sed & supinum judiciorum Divinorum adversus Ecclesiam suam contemtum validissimè arguunt προκρίματα de perpetua Ecclesiæ Romanæ, particularis licèt, constantia, qua futurum sit, ut nunquam vel in fide, vel quoad externum etiam fulgorem, splendorem, felicitatémque deficiat, vel etiam ab ea cathedra Petri separari, alióque sedes Apostolica transferri possit: uti Bellarm. *de Rom. Pont. lib. iv.* 4. innuit. Quò pertinent Alcasaris *ad Apoc. xvij. Disp. j.* verba: *Tantùm abest, ut Romana Ecclesia opprimenda iterum sit, ut Gregorius M. lib. ij. Dial. cap.* 15. *affirmet, S. Benedicto fuisse Divinitùs præsignificatum Romam nunquam amplius ab infidelibus eversum iri.* Denique tanta licentia factio Romana Papalis Deo hominibúsque illudere religionis prætextu non cessat, ut oculum Dei impietatis & improbitatis suæ multijugæ vindicem metuere nequicquam videatur.

Sicut olim Babylonii Reges imperium adeuntes nomina mutârunt, ita Pontifices Romani ad Papatum evecti faciunt idem.

XXIII. Haud fortè ἀπροσδιόνυσος Josephi Scaligeri de Emend. temp. *lib. vj. p.* 580. observatio fuerit; quòd antiqui Babyloniorum Reges, ad Imperium accedentes nomen mutare soliti fuerint. Ita Bel-adan privatum nomen erat ejus, qui, postquam ad Imperium accessit, Nabonassar vocatus est. Hoc ergo quia usitatum fuit veteribus Babylonis Regibus, imitandum sibi duxerunt Babylonis novæ Reges, Romani Pontifices, ut ita mutatio illa nominis Paparum

parum non ad putidum illud os porci, uti quidam putârunt, ſed aliud multò ſublimius, Regium ſcilicet initium referendum ſit. Nam

Magnos magna decent: Papas ſic nomina Regum.

XXIV. Denique propter impietatem extremam, idololatriam, ſuperbiam, tyrannidem, aliáque peccata Babylon Chaldæa judicium Dei graviſſimum meruit, ſuſtinuitque, cujus obnuntiationem duobus poſtremis Jeremiæ Capitibus, quibus Babylonis πανωλεθρία graphicè deſcribitur, legere eſt. Non obſtitit urbis celebritas, non ingens capacitas, non mœnium firmitas, non Principum & inhabitatorum multitudo, non Sapientum, Conſiliariorum calliditas: non Regis potentia: non ſimulata pietas, & Divorum, Divarúmque veneratio: non equorum & curruum copia, non ſexcenta alia, quò minùs impleta impietatis menſura juſtam commeritamque denique pœnam lueret, quam exactè juxta Divina oracula, fuſéque S. Hieronymus *ad Eſaj. cap. xiij.* narrat.

Babylon Chaldaica propter impietatem graviſſimum Dei judicium Divinitus annuntiatum, ſubiit.

XXV. Etiam Roma Papalis judiciorum Dei adverſus ſe primordia, deficientibus ob compertam hypocriſin, idololatriam, tyrannidem, ab ejus Imperio tot Regibus, populiſque, odio ejus ſancto flagrantibus, jam deguſtare cœpit. Invenient etiam deinceps fata viam, neque quidquam, cùm definitum tempus aderit, Romam liberabit, & Regnum Pontificium à definito Propheticis oraculis interitu vindicabit; non Majeſtas Papalis, non theſauri, non aſſeclarum potentia & numerus, non ſanctitas ſimulata, non Litaniæ ad Sanctulos directæ, non Divi, Divæque, quibus hactènus cultum ſuum impenderunt omnes, non jejunia ſpontè ſuſcepta, non peregrinationes ad ſtatuas, non idola, flagellationes, Miſſæ, ſuffragia, de congruo & condigno merita, & hujus furfuris nugamenta papalia & ζιζίναι θρησκεῖαι. *Una hora venient plagæ ejus, mors, & luctus*

Hierarchia Papalis ruere jam cœpit, at ad extremum penitus corruet.

luctus & fames, & igni comburetur, quia fortis est Dominus ille Deus, qui eam judicabit. Apoc. XVIII. 9.

Objectio; quòd Theologia Symbolica non sit argumentativa, solvitur, & argumentum concluditur.

XXVI. Intueatur se nunc Roma Papalis, Hierarchia dominans, si ita libet, in lucidissimo illo Babylonis Chaldaicæ speculo. Vix abs se impetrabit, quin exactissimam sui in ea effigiem oculis videat, manibúsque palpet. Quamvis enim similia per se nihil probent, & quod vulgò dici solet, Theologia Symbolica per se vim argumentandi nullam habeat; Similitudo tamen ab ipso Spiritu S. proposita, ut attendatur & ζωντῶς comparetur, momentum haud dubiè eximium habet. Neque enim Cœtum illum, seu Civitatem, habentem potestatem in Reges mundi, & iisdem aureum poculum suum propinantem, Spiritus S. *Babylonis* nomine insignivisset, nisi cum Babylone Chaldaica veteri conspicua analogia conveniret. Unde ipsi etiam Apocalypseos Interpretes Pontificii, Alcasar, à Lapide, Ribera, alii, Romæ suæ Veteris seu futuræ novissimæ Antichristianæ veterem Chaldaicam Babylonem, typum fecerunt; atque eo argumento, quòd utramque inter illam similitudo intercedat, Romam alterutram Babylonis mysticæ in Apocalypsi nomine venire arguerunt. Veriori potiorique ratione nos Ecclesiæ Romanæ Hierarchiam dominantem, quæ cœteris omnibus paribus, cum Babylone Chaldaica Veteri παναρμόνως congruit, Babylonem Magnam in Apocalypsi adumbratam esse, concludimus.

DIS-

DISSERTATIO SEPTIMA

QUA

Hierarchiam seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem Babylonem Magnam esse probatur secundò, quia mysterii prætextu dominatur.

BREVIARIUM.

I. *Babylonis M. Character secundus est, quòd in fronte sua scriptum habet nomen μυστήριον, Mysterium.*

II. *Duplex Mysterium S. literæ tradunt, unum pietatis, impietatis alterum.*

III. *Pietatis mysterium est, quicquid à Spiritu S. in verbo scripto revelatum ad doctrinam Evangelii de Christo aurigatur.*

IV. *Impietatis contra est ficta voluntas Dei, ex cerebro humano, sine demonstratione ex indubitabili verbo prolato, quæ ad alia omnia, quàm ad doctrinam Evangelii de Christo dirigitur.*

V. *Mysterium pietatis est Deus in carne revelatus: Impietatis caro personata, Spiritum Dei mentiens.*

VI. *Mysterium Babyloni tributum est impietatis. Hierarchiæ Papali illud competere Syllogismo* συναθροιστικῷ *probatur.*

VII. *Coronæ Pontificis R. olim inscriptum fuit* μυστήριον.

VIII. *Rem*

VIII. *Rem titulo eo significatam Hierarchiæ Papali competere, documentis asseritur.*

IX. 1. *Quia se unam solámque omnis mysterii promam condam facit; & fidem ultimò in dictum Papæ resolvit.*

X. *De analysi fidei sententia Pontificiorum ex Gregorio de Valentia proponitur.*

XI. *Ex eadem discussa demonstratur, dictum Papæ ad nullam regulam examinatum Pontificiæ fidei principium esse.*

XII. *Idem ex Methodistarum novorum de analysi fidei placitis probatur.*

XIII. XIV. *Mysterium illud impietatis amplificatur inde, quòd & fidem Divinitatis Scripturæ, librorum canonicorum, & sensus genuini à dicto Papæ suspendunt.*

XV. *Adeóque privato Spiritui Papæ inædificant.*

XVI. *Veterum & novorum Doctorum P. testimonia, quibus dictum Papæ fidei principium statuitur, producuntur.*

XVII. *Ex convitiis quibus S. Scripturam Doctores P. impetunt, id ipsum asseritur,*

XVIII. *& documentum illud primum præcipuúmque concluditur.*

XIX. 11. *Quia præter illa, quæ scripta sunt, alia mysteria, seu secreta non scripta & silenda obtrudit, & in iis mysteriorum, & Ecclesiæ dignitatem collocat.*

XX. *Absurditas & ἀχρεία dogmatis.*

XXI. *Mysteria religionis Christianæ nulla sileri, omnia publicari debent.*

XXII. *Sapientia mysterii, quam inter perfectos S. Paulus locutus est, non fuit secreta sapientia, paucis communicata.*

XXIII. *Aliud est doctrina mysteriorum, aliud eorum cele-*

celebratio. Illa publicanda semper est, ad hanc ἀμύητοι non sunt admittendi, licèt spectatores esse possint.

XXIV. *Sanctum non propterea canibus datum est, si Apostoli quælibet religionis secreta scripserunt.*

XXV. *Ambigua eam in rem veterum nonnullorum dicta explicantur, veluti Dionysii Areopagitæ.*

XXVI. *Basilii.*

XXVII. *Hilarii.*

XXVIII. *Clementis Alexandrini.*

XXIX. *Crypsis dogmatis totius, & mysterium impietatis panditur.*

XXX. *Consensum in eo cum Judæis & Gentilibus, Peresius & Bellarminus non dissimulant.*

XXXI. III. *Quia septem Sacramenta, totidem mysteria, ceu summam religionis, & causam salutis, ac justificationis commendat. Sacramenta procedente tempore mysteria dici cœpta.*

XXXII. *Mysteria symbolica seu Sacramenta duo S. literæ & pia antiquitas agnoscunt.*

XXXIII. *Iis plura superstitio diversis occasionibus addidit.*

XXXIV. *Iisdem, ut & veris Sacramentis falsa doctrina incrustatis, vim miram præter Dei verbum tribuit.*

XXXV. *De efficacia Sacramentorum variantes sententiæ Scholasticorum.*

XXXVI. *De eadem decretum Tridentinæ Synodi, ab operatione Sacramenti fidem & devotionem ejus, qui suscipit, excludentis, & efficaciam ex opere operato stabilientis.*

XXXVII. XXXVIII. *Mysterium iniquitatis, quod in ea doctrina continetur, ostensum.*

XXXIX. IV. *Quia Christum in Missa, ceu præcipuo Mysterio,*

sterio, corporaliter simul & secretè ac invisibiliter adesse & sacrificari pertendit.

XL. XLI. *Quæ doctrina mysterium iniquitatis summam comprehendit.*

XLII. *Accedit Canon Missæ, inter summa mysteria numeratus, & secreti nomine, ob secretam pronuntiationem, insignitus.*

XLIII. *Præsentia Corporis Christi secreta & invisibilis mysterium impietatis est, quia Sacramentum prorsus evertit,*

XLIV. *quod ex Bellarmini & Concilii Tridentini de modo, quo Corpus in Eucharistia sit, explicatione ulterius liquet.*

XLV. *Thomas Aquinas verum Christi Corpus ex Eucharistia tollit.*

XLVI. *A fide mysterii præsentiæ corporalis Christus ipse graviter dehortatur.*

XLVII. v. *Quia dogmata sua occultat, & sacra sua lingua peregrina, etiam clam demurmurando, paragit.*

XLVIII. *Theologi gentiles diviniora, quæ rebantur, dogmata celabant.*

XLIX. *Iidem Sacra & Divini cultus Ceremonias plerasque in occulto tenuere.*

L. *Imitatione gentilium Pontificii dogmata fidei occultant, dum quædam silenda sciscunt, & à lectione Scripturæ plebem arcent,*

LI. *& desiderium omne sciendi qua metu, qua ratione callida in populo extinguunt.*

LII. *Quò inprimis implicitæ fidei, seu voluntariæ deditionis in obsequium Papæ, commentum pertinet,*

LIII. *nec non tyrannis ea, qua plebem, ceu merè animalem, à rerum Sacrarum cognitione & discretione depellunt.*

LIV. *Ab*

LIV. *Ab externi cultus intelligentia populum iidem arcent.*

LV. *Quod linguæ inprimis peregrinæ in Sacris usus demonstrat.*

LVI. *Mysterium impietatis in occultatione ea dogmatum & ceremoniarum detegitur.*

LVII. VI. *Quia profunditates Sathanæ fovet,*

LVIII. *dum & notitiam profunditatum Sathanæ sibi solam arrogat,*

LIX. *& profunditates quasdam Sathanæ pro Dei profunditatibus venditat, quòd Theologia eorum scholastica inprimis comprobat.*

LX. VII. *Quia ope mysterii, & titulis spiritualis Ecclesiæ Catholicæ &c. fucatis, terrenum sibi Imperium acquisivit, retinetque. Olim primatus Ecclesiæ Romanæ à solius loci prærogativa & dignitate pendebat.*

LXI. *Ea paulatim expirante, & nova Roma, Constantinopoli ejusdem æmula, ad mysteria Romani confugerunt, & eorum fuco sibi vindicarunt potestatem supremam tum in spiritualibus,*

LXII. *tum in temporalibus.*

LXIII. *Papæ Imperium, quod erga principes seculares exercet, merè terrenum est, titulis spiritualis Ecclesiæ catholicæ &c. velatum.*

LXIV. VIII. *Quia in Hierarchia papali est mysterium illud iniquitatis, quod Homini peccati S. Paulus tribuit, quódque occultè & latenter jam Apostolorum tempore operari cœpit, usque ad revelationem ejus.*

LXV. *Modus, quo mysterium illud Apostolorum tempore operari cœpit, & deinceps operari perrexit, ex serie historiæ narratus.*

LXVI. *Argumenti* II. *Coclusio.*

Babylonis M. Character secundus est, quòd in fronte sua scriptum habet nomen μυστήριον, Mysterium.

I. Babylonis Magnæ characterem Secundum ejusdem, ceu Meretricis Magnæ, titulus, seu nomen, quod in fronte scriptum habet, suppeditat. *Habet* autem *in fronte sua scriptum nomen* Μυστήριον *Mysterium*. Apoc. XVII. 5. Quo sensu ei titulus hic tribuatur, *Differt. iij.* 4. 5. 6. investigavimus. Paucis ut dicta & probata repetam, Babylon Magna, Thais illa famosissima non alia re magis, quàm *mysterio* se ostentare, *mysteria* religionis sacratissima jactare, prætextu mysterii pietatis oculos plurimorum fascinare, intimam & arcanissimam voluntatem Dei in scrinio pectoris sui absconditam crepare, omne jus & fas à pectorali suo, perinde atque ab ipso Deo & Spiritu ejus promittere, atque ita *mysterii* & religionis propriæ prætextu dominium in omnes affectare debuit.

Duplex Mysterium S. litera tradunt, unum pietatis, impietatis alterum.

II. Mysterium arcanum quodvis, ad sacra pertinens, quod inter μύσταις & μεμυημένοις cognitum, apud alios siletur, notare, superiùs *Differt. iij.* 6. dicere occupavimus. Atque illud in universum duplex S. literæ memorant, unum εὐσεβείας *pietatis* 1 Tim. III. 16. alterum ἀνομίας *improbitatis* 2 Thess. II. 7. Illud Ecclesiæ, hoc Homini peccati, filio perditionis, ἀντικειμένῳ *adversario* Christi, & ἀνόμῳ *exlegi* tribuitur. Vera proin Ecclesia sine mysterio nulla est: neque etiam mysterio Ecclesia falsa Adversarii Christi, adeóque Antichristi destituitur. Differentiam utriusque nôsse, hoc verò opus, hic labor est.

Pietatis mysterium est, quicquid à Spiritu S. in verbo scripto revelatum ad doctrinam

III. Ecclesia vera loquitur σοφίαν ἐν μυστηρίῳ *sapientiam in mysterio, absconditam illam, quam prædefinivit Deus ab æterno ad gloriam nostram; quam nemo Principum hujus seculi novit, quámque nobis revelavit Deus per Spiritum suum.* 1 Cor. II. 7-10. Præco igitur est Ecclesia Sapientiæ in mysterio, adeóque mysterii, non cujuslibet,

bet, non latentis adhuc & abſconditi, ſed revelati, non à quovis utique, certè non ab homine, & naturali ejuſdem ratione, ſed à Spiritu S. Cúmque omnis Spiritûs S. revelatio in verbo ſcripto extet, neque προφητεία γραφῆς ſeu revelatio Divinæ voluntatis per Scripturam ſit ἰδίας ἐπιλύσεως *propriæ interpretationis*, adeóque à libitu, proprióque motu & ſapientia hominis cujuſvis interpretationem ex ſuo ingenio cudentis, non ex penetralibus Scripturæ demonſtratis, neutiquam pendeat; manifeſtum eſt, Eccleſiam Dei non alia myſteria cuſtodire & prædicare, quàm ea quæ in verbo ſcripto Prophetarum & Apoſtolorum revelata reperiuntur, quarúmque genuinus ſenſus ex eodem verbo ad omnem conſcientiam demonſtratur. Proin etiam סוד יהוה *arcanum*, myſterium *Domini* non cuilibet, ſed ליראיו *timentibus ipſum* (Pſalm. xxv. 14.) non ulli hominum placito, ſed ſoli Deo addictis, revelatur. Et quale ſit *myſterium pietatis* illud ὁμολογουμένως μέγα *confeſſione omnium magnum*, idem S. Paulus 1 Tim. III. 16. his verbis definit: *Deus manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus in Spiritu, viſus Angelis, prædicatus gentibus, creditus in mundo, aſſumtus in gloriam.* Quicquid igitur à Spiritu S. in Verbo ſcripto revelatum, ad doctrinam Euangelii de Chriſto incarnato, mortuo pro electis, reſuſcitato ex morte, prædicato per Apoſtolos, exaltato ad dextram Dei, aurigatur, myſterium pietatis eſt, Eccleſiæ Dei eximium.

Euangelii de Chriſto aurigatur.

IV. Myſterium contra impietatis & improbitatis, Antichriſto & Babyloni proprium eſt ficta voluntas Dei, non in verbo ſcripto revelata, ſed ex ſcrinio pectoris, cerebróque proprio, ſine demonſtratione ex indubitabili quadam revelatione Dei prolata, & pro voluntate Dei ac Spiritûs S. non ſine inhabitantis & aſſiſtentis ejuſdem jactantia, venditata, quæque ad alia omnia, quàm ad Euangelium de

Impietatis contra eſt ficta voluntas Dei, ex cerebro humano, ſine demonſtratione ex indubitabili verbo prolato,

 Chriſto

quæ ad alia omnia, quàm ad doctrinam Evangelii de Christo dirigitur.

Christo incarnato, mortuo pro electis, suscitato, per Apostolos prædicato, ad dexteram Dei exaltato, aurigatur. Quomodo etiam apud Gentiles μυστήριον notabat arcanos ipsorum cultus idololatricos, πλάναις ϗ ἐπιθείας, qui utplurimum impuri & abominandi licet, Deo tamen revelanti accepti ab iisdem referebantur. Quin & ipsum *mysterium pietatis*, vel verbis duntaxat ostentatum, at re ipsa abnegatum, vel obtentui sumptum malo consilio, & carnali studio, *mysterium improbitatis* aliena vi evadere potest.

Mysterium pietatis est Deus in carne revelatus: Impietatis caro personata, Spiritum Dei mentiens.

V. Sicut mysterium pietatis est Deus in carne manifestatus, & author salutis credentibus in eum: ita mysterium impietatis est caro personata, Spiritum Dei mentita, & fuco mysteriorum σεσοφισμένων sibi parens & struens imperium terrenum in populos & terrarum Dominos. Utrobíque sunt βάθη *profunditates* & abstrusa quædam; ibi Dei, habitantis inaccessam lucem; hic Sathanæ, ex tenebrarum abysso hominibus Spiritu Dei vacuis ad eorundem perniciem miserè illudentis.

Mystertum Babyloni tributum est impietatis. Hierarchiæ Papali illud competere Syllogismo Συναθροιστικῷ probatur.

VI. Ac posterius quidem, impietatis scilicet, mysterium sicut Babyloni Magnæ ceu titulus & nomen in fronte scriptum, à Spiritu Dei tribuitur: ita Ecclesiæ Romanæ Hierarchiæ dominanti competere, sequenti Syllogismo Συναθροιστικῷ categoricè probamus.

Quicunque cœtus Religiosus in Principis sui corona inscriptum quondam gestavit titulum μυστήριον *Mysterium: atque insuper reapse mysterium, sed impietatis illud, prodit, dum se solum, unicum mysterii omnis promum condum facit, præter illa quæ scripta, soláque vera sunt, alia mysteria* ἄγραφα, *eáque indemonstrabilia jactat; septem Sacramenta, totidémque mysteria justificationis & salutis omnis causam commendat; Christum in*

in Missa, ceu peculiari mysterio, corporaliter simul atque secretò & invisibiliter præsentem facit; dogmata sua occultat, & cultum externum præcipuum secretè peragit; profunditates Sathanæ fovet, ope mysterii & titulis Spiritualis, Ecclesiæ Catholicæ fucatis terrenum imperium acquisivit, & exercet; denique mysterium iniquitatis latenter in Ecclesia operans consummatum suscepit; ei titulus Babylonis Magnæ μυστήριον Mysterium, jure competit, adeóque is, cæteris paribus, Babylon Magna est.

Atqui cœtus Religiosus Hierarchiæ Ecclesiæ Romanæ dominantis talis est.

Ergo cœtui Religiosò Hierarchiæ Ecclesiæ Romanæ dominantis titulus Babylonis Magnæ, μυστήριον Mysterium, competit, adeóque is, cæteris paribus, Babylon Magna est.

Propositionis Majoris ἀπόδειξις certa & necessaria est, tum quia non sine Numine & omine titulus μυστήριον Mysterium in coronam Papæ irrepsit: tum quia nullus cœtus indubitabilibus documentis probare potuit, poterítque, ad mysterium pietatis pertinere, si humanus cœtus, vel homo ullus se solum unicúmque mysterii omnis promum condum faciat, atque cætera illa, quæ propositio expressit, designet: tum quia ea, quæ afferimus, mysterii documenta, approbata licèt ab adversariis, at probata nunquam, vel ob solum Babylonis titulum illum suspicione maxima laborant: tum quia mysterium Babylonis alibi ostendi nequit: tum denique, quia illa ipsa ad mysterium impietatis pertinere, clarissimè constat. Solus enim Deus veri mysterii promus condus ita est, ut fides hominum in solo ejus dicto terminetur & acquiescat: mysteria non scripta, indemonstrabilia nulla sunt, quia Scriptura sola hominem perfectum reddit, & non scripta planè ἄδηλα sunt, nullíque con-

conſcientiæ ſe manifeſtant: Sacramenta, ſeu myſteria ſymbolica ſeptem non ſunt, quia duo duntaxat Chriſtus inſtituit, nedum cauſa juſtificationis ſunt, quia Dei gratia nec in iis continetur, nec ab iis efficitur, cùm gratiæ præſentis ſigna atque ſigilla, adeóque ea poſteriora ſint: Chriſtus in Miſſa, quæ ſacrificii ejus unici clades eſt, ſimul corporaliter, & ſecretò ac inviſibiliter ſub ſpeciebus hoſtiæ præſens eſſe non poteſt, cùm ejus verum corpus organicum in Cœlo ad dextram Dei ſedens, ſimul ſub ſpeciebus panis ſine organis ſecretò exiſtere non poſſit, atque à fide talis præſentiæ Chriſtus Matth. XXIV. 26. dehortetur: Profunditates Sathanæ, Dei profunditates non ſunt: Regnum Eccleſiæ merè ſpirituale eſt, & Deus fucum omnem abominatur. Denique Myſterium *ἀνομίας* pietatis myſterium eſſe nequit. Supereſt igitur, ut Minorem *ἀναμίρ*ῳ demonſtremus.

Corona Pontificis R. olim inſcriptum fuit μυστήριον.

VII. Non de nihilo quidem eſt, quod de corona triplici Pontificis R. quæ *Regni* nomine venit, quámque ſimplicem adhuc, uti nonnulli referunt, olim Anaſtaſius Dicoros Imperator Orientis Clodovæo Regi Franciæ, hic verò, Sigeberto Semblacenſi teſte, Romam S. Petro, non capiti Pontificis imponendam, ſed in ſacrario ejuſdem reponendam, miſit, authores idonei referunt; inſcriptum ei fuiſſe nomen Μυστήριον *Myſterium*. Ita Brocardus Pontificius ipſe in Apoc. XVII. 5. teſtatur. Addit Joſephus Scaliger *in Notis ad Nov. Teſt.* Memorantium Romæ agentem ab authore fide digno accepiſſe, verè id vocabuli tiaræ Pontificis inſculptum fuiſſe; ſed Julium eam reconcinnari curâſſe, ſuúmque nomen ſubſtituiſſe hoc pacto: *Julius Pontifex Maximus*, quod de Julio III. intelligendum, cujus tempore Brocardus vixit, & Tridenti etiam ſub initium Concilii commoratus eſt. Cúmque id ipſum etiam Jacobus Magnæ Britanniæ Rex Pontificiis in Expoſitione Apocalypſeos objeciſſet, Leſſius negare non potuit, ſed imbelli

imbelli defenſione defunctus, regeſſit, *fruſtra in myſterio myſterium requiri.* Non fruſtra certè, cùm ea in re conſpicuum μνημόσυνον *memoriale* Babylonis Magnæ appareat.

VIII. Res verò ipſa memoriali hoc repræſentata non minùs certè evidens eſt. Etenim Eccleſiæ Romanæ Hierarchia dominans *Primò* ſe ſolam veri myſterii promam condam facit, dum fidem ſaltem acceptatam, in ſuam teſtificationem ultimò reſolvi, & Euangelium à ſe ſola authenticè proponi, & non alitèr, quàm per propoſitionem ejuſmodi verum, Divinum, ſalutare cognoſci poſſe, ejuſdemque ſenſum à ſua definitione etiam non demonſtrata pendere, pertendit. *Secundò*, præter illa, quæ ſcripta ſunt alia myſteria ſeu ſecreta ἄγραφα, quæ Apoſtoli Epiſcopis in aurem dixerint, at nec prædicaverint vulgò, nec ſcripſerint, obtrudit. *Tertiò* ſeptem Sacramenta, totidemque myſteria tanquam ſummam religionis, & cauſam juſtificationis, commendat. *Quartò* Chriſtum in Miſſa, ceu peculiari myſterio, corporaliter ſimul atque ſecretò & inviſibiliter adeſſe & ſacrificari Deo aſſerit. *Quintò* dogmata ſua ſacrorum myſteriorum inſtar, occultat, & ſacra ſua lingua peregrina etiam clam demurmurando peragit. *Sextò* βάθη τοῦ Σατανᾶ *profunditates Satanæ* fovet. *Septimò* ope myſterii, & titulis *Spiritualis, Eccleſiæ Catholicæ* &c. fucatis, terrenum Imperium & potentiam acquiſivit, retinétque. *Octavò* denique in ea eſt myſterium iniquitatis illud, quod Homini peccati S. Paulus 2 Theſſ. 11. tribuit, quòd occultè & latenter Apoſtolorum tempore operabatur, uſque ad revelationem ejuſdem.

Rem titulo eo ſignificatam Hierarchia Papali competere, documentis aſſeritur.

IX. Et *primò* quidem Hierarchiam Papalem ſe unam ſolamque *myſterii omnis promam condam facere* ἀνεξαγώνιον eſt. In cordis enim Papæ ſcrinio omne jus Divinum conditum clauſúmque eſſe, neque aliunde id depromi poſſe,

1. Quia ſe unam ſolámque omnis myſterii promam condam fa-

cit; & fidem ultimò in dictum Papa resolvit.

posse, non gnathonum duntaxat, & parasitorum Papæ assentatione jactatur, sed communi Pontificiorum veri nominis sententia recipitur. Eò enim planè spectat, assertio eorum de regula & analysi fidei, quam omnem, acceptatam saltem, ἐσχάτως *ultimò* in testificationem authenticam Ecclesiæ (non utique collectivæ, sed repræsentativæ, quæ denique in solo Pontifice, ceu Numine quodam terminatur) resolvi pertendunt. Quo utique pacto Hierarchia Papalis; seu veriùs, solus Papa cordis sui scrinium, mysteriis aliunde non acceptis, non demonstratis (nulla enim extra Scripturam alia revelatio, ex qua mysterium demonstrari possit, occurrit) sed à solo Spiritu suo proprio, eóque ἀδήλῳ & obscuro scaturientibus, refertum est.

De analysi fidei sententia Pontificiorum ex Gregorio de Valentia proponitur.

X. Lubet receptam Hierarchiæ Papalis *de analysi fidei* sententiam Gregorii de Valentia, qui, edito prolixo de analysi fidei tractatu, plurimùm hac in re desudavit, verbis rei totius summam complexis, quæ in *Commentariorum Thomæ Tomo iij. Disp. j. quæst. j. punct. j.* extant, exponere. *Si quis*, inquit, *rogetur, verbi gratia, quare credat, Deum esse unum & trinum? distinguat utrum sermo sit de causa ipsius fidei secundùm se, cur videlicet firmiter & infallibiliter id credat, vel de causa, ob quam acceptaverit eam fidem. Si primum, respondeat, quia Deus revelavit. Si rursum interrogetur, unde cognoscat Deum revelâsse? Respondeat, se quidem non nôsse id clarè, credere tamen eadem fide infallibiliter, & id quidem non ob aliam revelationem, benè tamen ob infallibilem propositionem Ecclesiæ, tanquam ob conditionem ad id credendum requisitam. Si rursus, unde cognoscat propositionem Ecclesiæ esse infallibilem, similiter dicet, se clarè non nôsse, credere tamen fide infallibili ob revelationem Scripturæ testimonium perhibentis Ecclesiæ, cui revelationi credit non ob aliam revelationem, sed ob se ipsam; quamvis ad hoc ipsum*

ipſum opus ſit Eccleſiæ propoſitione, ut conditione requiſita. Si autem quis rogetur, cùm & revelatio Scripturæ, & propoſitio infallibilis Eccleſiæ ſint obſcuræ & inevidentes, quid ipſum impulerit, ut hunc quaſi Labyrinthum rerum obſcuriſſimarum ingreſſus, ad fidem modo dicto acceptandam, hoc eſt, credendam revelationem, propter Eccleſiæ propoſitionem, & hanc propter revelationem: ſeu, cur animum induxerit, velle credere, cùm alioquin ipſa ratione, ſeu fundamento habitus fidei ſecundùm ſe non impelleretur, tum reſpondeat afferendo rationes atque motiva clariora, quibus & ipſe inductus fuit, & quibus prudens induci poſſit ad acceptandam ejuſmodi fidem, cujuſmodi ſunt, antiquitas, perennitas, efficacia & harmonia doctrinæ, conſenſus inſignium virorum & populorum, & cætera argumenta, quæ ſupra recenſuimus.

XI. Cautè admodum licet hic proceſſerit Valentia, ex ejus tamen verbis liquet, ultimò fidem in Papatu in arbitrium & dictum Eccleſiæ, ſeu Papæ reſolvi. Etenim *primò* cauſa *cur aliquis credat*, & cur *fidem acceptet* eodem recidit. Nemo enim credere poteſt, niſi fidem, ſeu id quod credendum eſt acceptet, quomodo Joh. 1. 12. λαμβάνειν τὸν λόγον, *accipere*, acceptare *ſermonem* Chriſtum, idem eſt quod credere. Quicquid enim creditur, cognitum aſſentiendo & fidendo recipitur. Et eadem utriuſque ratio eſt, Divina ſcilicet revelatio, propter quam & credimus, & verbum propoſitum acceptamus. Si igitur acceptatæ fidei, ſeu verbi credendi cauſa eſt propoſitio Eccleſiæ, propoſitio igitur Eccleſiæ, ſeu potiùs Papæ, & revelatio erit, & principium ſeu cauſa credendi, adeóque in eam fidem ultimò, ceu ſuum principium reſolvetur. *Secundò*, qui Deum credit eſſe triunum, ob Eccleſiæ proponentis authoritatem, is utique id credit ob aliam revelationem, & quidem ultimam, ſcilicet Papæ. Annon enim eſt multiplicata reve-

Ex eadem diſcuſſa demonſtratur, dictum Papæ ad nullam regulam examinatum Pontificiæ fidei principium eſſe.

revelatio ejusdem verbi seu veritatis, nimirum revelatio ad Prophetas & Apostolos (non ad nos, nam si ad nos, quid ultra opus est?) & revelatio ad Ecclesiam seu Papam præsentem, & propositio Ecclesiæ ejusdem, dicentis, hanc esse revelationem? *Tertiò*, si revelatio quælibet Dei αὐτόπιστος non est, sed propositionem infallibilem & authenticam Papæ requirit, propositio igitur illa revelatione Divina prior notiórque, adeóque principium fidei erit. Illud enim principium cognoscendi est, ex quo immediatè & primò res cognoscitur. *Quartò* vel revelatio quælibet Dei, vel propositio Ecclesiæ authentica αὐτόπιστος digna quæ per se ipsam cognoscatur, & πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος *digna qualibet receptione*. Si prius, authentica Ecclesiæ propositio supervacanea est. Nam quod αὐτόπιστον, per se fide dignum est, non est fide dignum propter aliud, nec ad fidem aliud, quàm cognitionem seu apprehensionem sui, requirit. Si posterius, Ecclesiæ propositio, ceu Divina quædam revelatio principium fidei erit, atque in eandem fides resolvetur. *Quintò* Ecclesia proponit revelationem vel simpliciter eam asserendo, vel certis notis & argumentis demonstrando. Si posterius, Ecclesiæ propositio per se non est authentica & infallibilis, sed duntaxat, quatenus revelationem argumentis & necessariis & insitis demonstrando eidem ministrat, quod adversarii pertinaciter abnuunt. Si prius in Ecclesiæ assertionem & dictum simplex ἀδοκίμαστον καὶ ἀβασάνιστον universam fidem ultimò resolvi necessum est.

Idem ex Methodistarum novorum de analysi fidei placitis probatur.

XII. Atque idem etiam Methodistarum novissimorum, Walenburgiorum inprimis, de Analysi, placita comprobant. In hanc enim ferè sententiam conspirant, *quod Ecclesia dicit, id esse verbum Dei; proin credentem Ecclesiæ, credere Dei verbum, atque adeò credere ipsi Deo, quia Deus nihil revelet, nisi per os Ecclesiæ, hoc est Papæ,*

Papæ, & quicquid per illum proponitur, Divinam revelationem esse. Hoc autem, Papam esse ultimum, & necessarium, Dei voluntate, medium notificationis, & unicè sufficiens ad fundandam fidem, colligi ex notis Ecclesiæ, quas inter professioni Scripturæ ut regulæ, & observationi eorum, quæ in illa traduntur, partes nullas relinquunt. Quis proin non videt, in his nullam relinqui authoritatem Scripturæ, ut statim & sine alia authoritate ipsi, tanquam verbo Dei credere teneamur vel possimus; adeóque omnia resolvi in dictum Papæ, & assensum eorum, qui Papam sequuntur, iisque infallibilitatem in omnibus attribui? Et ad fucum tegendum, proponi ex ingenio humano, quasi silente Scriptura aut seposita, nota Ecclesiæ; quæ eadem opera accipiantur, ut notæ, imò certissima argumenta infallibilitatis Papæ? Denique Papam planè jam exui illo obtentu ac larva, quasi scilicet, uti etiam Valentia prætexuerat, propter Scripturam ipsi credendum esset, & supra verbum Dei ita collocari, ut mysteria universa ex ipsius sinu, non aliunde, certè non à Deo, utpote à quo dictum & sententiam suam pendere nec demonstrat, neque demonstrare suarum partium putat; arcessi debeant?

Mysterium illud impietatis amplificatur inde, quòd & fidem Divinitatis Scripturæ, librorum canonicorum, & sensus genuini à dicto Papa suspendunt.

XIII. Amplius etiam illud impietatis *mysterium* inde liquet, quòd etiam fidem Divinitatis Scripturæ, & librorum Scripturæ Canonicorum, & sensus genuini eorundem à propositione infallibili & authentica, sententiáque definitiva Ecclesiæ seu Papæ non demonstrantis, adeóque Divinitati cognoscendæ ministrantis, sed nudè, & velut ex plenitudine quadam potestatis pronuntiantis, definientis, & ad credendum obligantis, & quidem non cujuslibet Ecclesiæ seu Papæ, sed præsentis duntaxat, nulla habita ratione Ecclesiæ præcedentis, adeóque etiam Apostolicæ (uti Bellarminus *de sacr. libr. ÿ.* 25. definit) suspendunt,

adeóque eminentissimam authoritatem Scripturæ, suo θελήματι & arbitrio nefariè subjiciunt, atque sic Scripturam in sceptrum dominationis Papæ impiè convertunt.

XIV. Tametsi verò ad tegendam impietatem identidem illi clamant, non negare se authoritatem Scripturæ *in se*, sed tantùm quærere, quomodo authoritatem obtineat *quoad nos*, apud nos, hoc est, πῶς πεπείσμεθα περὶ αὐτῆς, *quomodo fides nobis fiat*, quòd sit divinitùs inspirata (2 Tim. III. 14. 15.) non amoliuntur tamen à se isthoc nefas. Cùm enim de authoritate Scripturæ quæritur, non tam quæritur an à Deo sit, quàm unde nobis constet, à Deo esse? Qui non aliunde nobis ita constare, quàm quia Papa ita dicit, & ad credendum sine ulteriori demonstratione obligat, pertendunt, ii S. Scripturam redigunt in ordinem eorum, quæ loquuntur homines, de quibus meritò dubitari potest, utrum Deus iis locutus sit, nec ne? Quo in censu sunt verba illorum Prophetarum, de quibus Deus dicit, exspectandum esse, dum eveniant illorum verba Deut. XVIII. 22. Quæ gravis injuria est Scripturæ illata, quasi nulla in iis Divinitas radiaret, & conscientiæ hominum, sine Papæ testimonio, insinuaret. Unde non verentur Scripturam à Pontifice non propositam cum Livio, Alcorano, fabulis Æsopi contendere quam blasphemiam apud Bellarminum de *Verbo Dei Lib. IV.* 4. nec non Bailium *in Catech.* aliósque reperire est.

Adeóque privato Spiritui Papæ inædificant.

XV. Accedit, quòd nobis jactatum infallibile illud testimonium Papæ pensi non habentibus, *Spiritum privatum*, quo scilicet duce Scripturæ Divinitas, libri Canonici, & sensus Scripturæ à nobis citra Papæ propositionem & determinationem ullam recipiantur, objectare non verentur illi, qui tamen in *privatum Spiritum* Papæ, ceu ultimum principium, universam fidem, ipsámque adeò de Scri-

Scripturæ Divinitate, libris Canonicis, sensu germano Scripturæ fidem resolvunt. Sicut enim Spiritus hominis, qui Scripturæ Divinitatem credit; ob lucem in ea radiantem, & conscientiæ suæ irradiantem, adeóque etiam notas ac proprietates ejusdem Deum authorem propalantes, Spiritu Dei, qui unus idémque omnibus fidelibus datur, sibi attestante; & animo suo eundem comprobante, non errat; nec privato Spiritu, sed eo, qui unam eandémque legem fidei cordibus omnium credentium inscribit, adeóque Spiritu Patris, Filii, & eorundem donatione fidelium omnium, qui θεὸς καὶ πνεῦμα ἕν *Deus & Spiritus unus est* (Gal. III. 20. 28. 1 Joh. II. 27.) ducitur: Ita Spiritus Papæ, sive in cathedra, sive extra eam loquentis, qui juxta certam regulam fidei, quæ omnibus tradita est, se Spiritum lucis omni conscientiæ probare non potest, & sibi soli credi ob solum dictum, sine tabulis & ratione ac demonstratione ulla verbi, quod proponit, postulat, haud dubiè Spiritus nec Sanctus, nec communis omnium fidelium, sed proprius, privatus, enthusiasticus est, & non aliis quàm impietatis Babylonicæ mysteriis turget.

XVI. Hinc adeò est, quod Doctores Pontificii fidei suæ principium non aliud quàm Ecclesiæ seu Papæ, mysteriorum unici promi condi, oraculum, & αὐτὸς ἔφα palàm, & assa, quod ajunt, voce profitentur. Veterum & recentiorum κυρίας δόξας nonnullas ut proferamus, jam olim Andradius *lib. j. defens. Trid.* dixit: *Fidè Papæ nostra continetur, & ex ejus authoritate salus omnium pendet.* Costerus *Enchir. cap. j.* audacter: *Christus Ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit, sed usus est sublimiori charactere, scribens digito in corde Ecclesiæ.* Gretserus *Defens. j. cap. j. De verbo Dei: Non recipimus pro verbo Dei, nisi quod definivit Papa in Cathedra Petri.*

Veterum & novorum Doctorum P. testimonia, quibus dictum Papæ fidei principium statuitur, producuntur.

Tur-

Turrecremata *de Eccleſ. lib. ij.* 203. ſic ſatis crudè: *Papa eſt membrum ſcientiæ, & regula credendorum.* Auguſtinus de Ancona *quæſt.* 59. *art. j. Novum Symbolum condere ad ſolum Papam ſpectat, quia eſt caput fidei Chriſtianæ, cujus authoritate omnia, quæ ad fidem ſpectant, firmantur, & roborantur. Sicut poteſt novum Symbolum condere, ita poteſt novos articulos ſupra alios multiplicare.* Hoſtienſis *ſuper* 2. *decret. de Jure-jur. Jus Canonicum eſt jus Divinum, & quicquid juris promulgat Papa, Deus, cujus Vicarius eſt, promulgare intelligitur.* Ferdinandus de Inciſis, apud Petrum Ciezam *Tom. ij. Inſtit. Parv. In manu Papæ ſunt animæ hominum, & in ejus arbitrio religio conſiſtit.* Eóque impudentiæ Bellarminus *de Pontif. Libr. iv.* 5. delabitur, ut dicat: *Si Papa errare poſſet præcipiendo vitia, & prohibendo errores, teneretur Eccleſia credere, vitia eſſe bona, & virtutes eſſe malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare.* Ejuſdem πονηρῦ κόμματος Gloſſa Decretalium *Greg. X. tit.* 7. eſt: *Papam de nullo poſſe aliquid facere, & ſententiam, quæ nulla eſt, facere aliquam. Hæc quippe quia in his, quæ vult, eſt pro ratione voluntas; nec eſt, quod ei dicatur, cur ita facis? Ipſe enim poteſt ſupra jus diſpenſare, item de juſtitia poteſt facere injuſtitiam.* Omitto Bozium, Baronium, Becanum, Valerianum M. Walenburgios, alios, omni virium contentione adnitentes, ut Eccleſiam, ſeu Papam, ceu unicum unicè ſufficiens ad fidem principium (ita diſertè Walenburgii loquuntur) credulitati ſimplicium obtrudant.

Ex conviciis quibus S. Scripturam Doctores P. impetunt, id ipſum aſſeritur.

XVII. Et quænam alia ratio Pontificios ad tot convitia Scripturæ facienda, ad tot enormes blaſphemias tranſverſos abripuit? Veluti cùm γυμνῇ κεφαλῇ & conſignatis verbis eam blaſphemant, ceu *imperfectam, obſcuram, non neceſſariam, plebi lectu periculoſam, hæreſium matrem & ſe-*

& ſemen, literam mortuam, voce Pontificis animandam & vivificandam, indigam ſupplementi Oralium traditionum, quarum nulla tamen certitudo eſt, naſum cereum, ædificationis Lesbiæ regulam plumbeam, ad cauſarum auditionem ſurdam, ad examen ſtupidam, ad propriè dictam ſententiæ dictionem mutam, vicariam Dei judicis perineptam (ita diſertè Serarius Proleg. 10. quæſt. 2.) *per ſe, ſine voce Papæ, fide nulla dignam; commonitorium veriùs quàm regulam, corruptam, plebi, ne ſeducatur interdicendam, imò cremandam potiùs, quàm eidem committendam*, & ſi quæ ſimilia hinc inde apud Scriptores illorum occurrunt, à quibus meritò piæ & caſtæ aures abhorrent. Ex quibus liquidò cognoſci poteſt impia & horrenda æmulatio Papæ, qua ille adverſus Scripturam pridem nefariè exarſit, non aliam certè ob cauſam, quàm ut ea de ponte præcipitata ipſe ſolus ceu alter Apollo Pythius, vel Jupiter ſive Dodonæus, ſive Hammonius (quid enim hos inter & illum diſcriminis ſit, cùm utrique ex cerebro ſuo, & fictæ Divinitatis penetrali quopiam myſteria proferant, parum conſtat) pro libitu, ſine convictione ulla conſcientiæ ex Scriptura, oracula fundere, & myſteria ex divite penu ſcrinii ſui, Deo ſcilicet pleni, promere, denique ceu ſuperbus Dictator, fidei dominari, & omnes Pythagorico dicto ſuo inaudientes, ad orcum relegare poſſit.

XVIII. Atque hanc præcipuam ob rationem ſicut Babylonis Magnæ, ita Hierarchiæ Papalis fronti infamem illum titulum *Myſterii* impietatis ſcilicet, Spiritus S. inuſſit, ut à prudente & circumſpecto quovis, nullo negotio, cujuſmodi illa ſit, dijudicari poſſit. Sunt & aliæ rationes, ob quas titulum huncce Babylonis Hierarchiæ eidem competere aſſerimus.

& documentum illud primum præcipuumque concluditur.

 XIX. *Se-*

11. Quia præter illa, quæ scripta sunt, alia mysteria, seu secreta non scripta & silenda obtrudit, & in iis mysteriorum, & Ecclesiæ dignitatem collocat.

XIX. *Secundò* igitur ea quoque in re Hierarchia Papalis mysterium iniquitatis prodit, *quòd præter illa, quæ scripta sunt, alia mysteria seu secreta ἄγραφα, quæ Apostoli Episcopis in aurem dixerint, at nec prædicaverint vulgò, nec scripserint, obtrudit.* Atque ea in re tum Ecclesiæ Catholicæ, tum mysteriorum multorum, quæ silentium requirant, dignitatem consistere, sic Bellarminus *de verbo Dei non scripto Lib. iv.* 8. probat: *Accedat Ecclesiæ Catholicæ dignitas. Nam ut olim Judæi excellebant omnibus rationibus, quia credita illis eloquia Dei erant, ita præstat Ecclesia Christi omnibus sectis, quod ipsa sola, quippe quæ sponsa Christi est, noverit omnia mysteria, veræ religionis, & conscia sit secretorum sponsi, & propterea vocatur columna & firmamentum veritatis. At si omnia essent scripta & apertissimè, ut hæretici docent, nullum esset privilegium Ecclesiæ. Nam nihil minus scirent hæretici, & pagani & Judæi de mysteriis fidei nostræ, quàm nos ipsi & antistites nostri sciunt: neque esset verum, quod ait Irenæus Lib. iv. 3. In solam Ecclesiam, tanquam in depositorium dives, repositam ab Apostolis scientiam rerum Divinarum. Accedat postremò dignitas mysteriorum multorum, quæ silentium requirunt; nec decet ut in Scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur. Si enim ad videnda tremenda Missæ mysteria non licet admittere ullos non baptizatos, quomodo licebit eisdem scripta tradere? Hinc Dominus seorsim Discipulis interpretabatur parabolas, quas populo locutus erat Luc. 8. Et Apostolus ait 1 Cor. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Et passim veteres, cùm de Sacramento Eucharistiæ loquuntur, dicere solent: Nôrunt fideles, nôrunt initiati.* Ante Bellarminum id ipsum Martinus Peresius Ayala *de Trad. par. ij. assert.* 2. *p.* 15. testimoniis Dionysii Areopagitæ, & Basilii fretus asserere conatus est.

XX. Quàm

XX. Quàm verò inepta, absurda, & malè cohærentia hæc effata sunt? Etenim si mysteria quædam ob dignitatem sive suam, sive Ecclesiæ non scribi, sed sileri debuerunt, etiam viva voce prædicari non possunt. Silentium enim non magis vivæ voci, quàm scripto, imo magis illi, quàm huic repugnat; cùm propriè & per se vivæ voci, scripto autem per accidens, quatenus vivæ vocis signum est, opponatur. Cur igitur traditiones suas mysticas viva voce prædicant? Imò verò cur traditiones suas etiam libris, cujusmodi sunt, Ordo Romanus, Missalia, Breviaria, Rationalia, & infinita hujusmodi, commendant? An in iis minùs, vel magis authenticè, quàm in Scriptura S. legi possunt? Ubi vide immanem & stupendam hominum *ἀκυρσίαν*. Nolunt enim mysteria omnia commendari libris sacris: & eadem tamen patiuntur commendata libris non sacris. Tum autem à Librorum sacrorum lectione plebem severissimè arcent: non sacros autem suos liberalissimè permittunt. Neque enim in Regulis Indicis librorum prohibitorum cavetur de Missalibus, aut Breviariis, aut Ritualibus, ut de Bibliis. Imò si sibi Traditionarii constarent, prohibendum iis potiùs fuerat, ne usquam mysteria hæc sua, nisi in libris sacris scriberentur, utpote quos à plebe legi ob interdictum pridem desitum est. Et cur tandem Christus, quæ in aurem discipulis dixit, eosdem *ἐπὶ τῶν δωμάτων in ipsis ædium tectis*, adeóque publicè prædicare jussit? Matth. x. 27. Si quædam silenda, & paucis selectis revelanda iisdem injunxit?

Absurdita & ἀκυρσία dogmatis.

XXI. Imò nullum omnino in religione Christiana mysterium pietatis est, quod silentium requirat, & non sit publicè potiùs prædicandum tum Christianis, tum gentilibus, ut Christiani fiant: Propterea enim Christus jussit doceri omnes gentes, & proponi publicè, etiam in tectis ædium ea, quæ in aurem dixerat. Matth. x. 27. XXVIII. 19.

Mysteria religionis Christianæ nulla sileri; omnia publicari debent.

 Pro-

Propterea S. Paulus Rom. 1. 14. 15. se ὀφειλέτην *debitorem* profitetur Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus, additque, promtum se iccirco etiam esse Euangelium prædicare iis, qui Romæ sunt. Propterea etiam non tantùm Parabolæ, sed etiam earundem interpretationes seorsim discipulis factæ, scripto consignatæ sunt. Adeò mysteria Spiritus S. publicari voluit.

Sapientia mysterii, quam inter perfectos S. Paulus locutus est, non fuit secreta sapientia, paucis communicata.

XXII. Neque certè S. Paulus 1 Cor. 11. 6. 7. ubi sapientiam in mysterio se loqui inter perfectos scribit, vel per σοφίαν ἐν μυστηρίῳ *sapientiam in mysterio*, secretam sapientiam quampiam, omnibus non communicandam, aut certè nunquam scribendam; vel per τελείους *perfectos*, Episcopos duntaxat, Euangelistas, aut ejusmodi ordinem ullum in Ecclesia, intellexit; vel suum illud λαλεῖν *loqui*, scriptioni opposuit. Fœda hæc verborum Spiritûs S. στρέβλωσις est. Σοφίαν quippe, seu *Sapientiam* appellavit totam Euangelii doctrinam, quantacúnque illa est, oppositam Sapientiæ mundi, quam scilicet Deus ab æterno præfinivit in gloriam nostram, nemo principum sæculi hujus cognovit, & solus Spiritus S. revelavit. v. 6. 7. 8. 10. &c. quæ notæ generales sunt non cujusdam duntaxat, sed totius sapientiæ cœlestis. Τελείους quoque seu perfectos, non peculiariter hierophantas quosdam, sed fideles quosvis, infidelibus & sapientibus hujus mundi oppositos, provectiores & firmiores inprimis insignivit; τελείους (ita S. Chrysostomus in h. l.) τοὺς πεπιστευκότας· Καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τέλειοι οἱ τὰ ἀνθρώπινα εἰδότες, ὅτι σφόδρα ἀσθενῆ, καὶ ὑπερορῶντες αὐτῶν, ὅτι μηδὲν αὐτοῖς συμβάλλεται πεπεισμένοι· *perfectos vocavit eos, qui crediderunt. Illi enim perfecti sunt, qui videntes humana valde esse infirma, contemnentésque ea persuaserunt sibi, nihil inde ad se utilitatis redire, cujusmodi sunt fideles.* Atque inde etiam nullo negotio conficitur, non rectè opponi *loqui* & *scribere*; quia eandem

dem doctrinam cùm alii, tum Paulus non tantum prædicavit, sed etiam scripsit, nec eam locutus est in angulis, inter paucos, sed publicè & apud quosvis.

XXIII. Quod verò de Mysteriis Missæ, ad quæ spectanda non liceat admittere non baptizatos, Bellarminus tricatur, nil Mystagogos juvat. Præstaret certè ad ea, ceu vera impietatis mysteria, admitti omninò neminem. Præterea aliud sunt mysteria, seu Mysteriorum doctrina, aliud eorundem celebratio. Mysterium Eucharistiæ verum, seu Mysterii Eucharistici doctrina (nam Missaticum missum facimus) essentialis adeò certè tacenda, premenda non est, ut publicè potius prædicari & scribi debuerit, quomodo sine piaculo utique Euangelistæ & Apostoli publicè prædicârunt, scripserúntque. Quòd si essentialia mysterii Eucharistiæ publicari possunt, cur accidentalia, adeóque minutiuscula abscondenda putabimus? Perinde enim id foret, ac si quis hominem quidem nudum ostentari posse, at vestitum à spectantium oculis subduci debere, pertenderet. Quòd verò mysterii ejusdem celebrationem attinet, à communione quidem omnino arcendi sunt ἀμύητοι, sive gentiles sive catechumeni. Cæterùm aspectus ejus corporeus indifferens est, neque in alterutram partem de eo morosè contendendum statuimus; licet aliter olim quibusdam visum esse, quo jure, quave injuria, nihil hic dicere attinet, satis constet.

Aliud est doctrina mysteriorum, aliud eorum celebratio. Illa publicanda semper est, ad hanc ἀμύητοι non sunt admittendi, licèt spectatores esse possint.

XXIV. Sed verò, ita Melchior Canus, aliique argutantur, si Apostoli quælibet religionis secreta tradidissent, contra legem Christi sanctum canibus dedissent, & inter porcos margaritas sparsissent. Quid ergo, inquam ego, fecerunt iidem, cùm præcipua religionis Christianæ mysteria, & inprimis sublimia & tremenda, veluti capita illa de Trinitate, incarnatione, passione Christi vicaria; denique illa ὁμολογουμένως μεγάλα μυστήρια *confessione* omnium *magna*

Sanctum non propterea canibus datum est, si Apostoli quælibet religionis secreta scripserunt.

magna mysteria, quæ S. Paulus 1 Tim. III. 16. paucis complexus est, scripto publicarunt? An sic legis Christi prævaricatores sanctum canibus, porcis margaritas objecerunt? An maxima & sublimissima omnium mysteria sine piaculo publicare; at ea, quæ Papistæ in deliciis unicè habent, quadragesimam dico, purgatorium, imagines, aquam lustralem, quæque ipsi tamen scripto tradere, & præ cæteris commendare, prædicare nulli dubitant, sine piaculo publicare non potuerunt? Quod verum certè nos agnoscimus, quia mysteria pietatis vulgare fas piúmque, at mysteria impietatis tradere nefas iidem duxerunt meritò.

Ambigua eam in rem veterum nonnullorum dicta explicantur, veluti Dionysii Areopagitæ.

XXV. Frustra hic Babylonii Mystæ ambiguis quibusdam veterum dictis innituntur, sive detorquentes ea in alienum sensum, sive muscarum in morem ulceribus aliorum se se oblectantes. Dionysium Pseudo-Areopagitam, & Basilium, duo scilicet Ecclesiæ Orientalis lumina, ceu consentientes sibi Peresius Ayala, aliique laudant. Dionysii κυρίας δόξας, quas ille *Hier. Eccles. cap. j.* habet, præstare non tenemur, quia non Areopagita ille verus fuit, sed hujus larva indutus, serò admodum Ecclesiæ imposuit. Prædicat ille quædam γραφῆς ἐκτὸς μυηθέντα, quædam *quæ sine scripto discuntur*. Nam, exponente Maximo Scholiaste, idem ei est μύησις, quod μάθησις, κατήχησις, ἐπιστήμη. Ubi neutiquam ille dogmata scripta cum non scriptis, sed traditionem, quæ fit viva voce, cum ea quæ fit scripto, adeóque μύησιν cum μυήσει comparat, subtiliùs certè quàm veriùs. Nam illam, quæ fit viva voce, quámque propalari, nisi inter sanctos, vetat, αὐλωτέραν, *magis à materia abstractam*, quàm quæ scripto fit, vocat; ineptissimè sanè, & si dogmata cum dogmatis comparavit, falsissimè. An enim Trinitatis dogma minùs αὐλώτερον *à materia abstractum* est, quia non viva duntaxat voce, sed scripto etiam,

etiam, codicum ſcilicet *materiæ* (propter quam ὑλικὰ *materiæ concreta ea*, quæ ſcripta ſunt ineptè ineptus ille inſignit) puta membranæ, papyro, chartæ traditum eſt? Faceſſat longè inſana ratiocinatio!

XXVI. Majori ſpecie illa Baſilii *de Spiritu S. cap.* 27. Myſtagogi crepant. Sic autem ille. Οἱ περὶ τῆς ἐκκλησίας ἐξαρχῆς διαθεσμοθετήσαντες ἀπόστολοι καὶ πατέρες, ἐν τῷ κεκρυμμένῳ καὶ ἀφθέγκτῳ τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλαττον· οὐδὲ γὰρ ὅλως μυστήριον, τὸ εἰς τὴν δημώδη καὶ εἰκαίαν ἀκοὴν ἔκφορον· οὗτος ὁ λόγος τῆς τῶν ἀγράφων παραδόσεως, ὡς μὴ καταμελετηθεῖσαν τῶν δογμάτων τὴν γνῶσιν, εὐκαταφρόνητον τοῖς πολλοῖς γενέσθαι διὰ συνήθειαν· ἄλλο γὰρ δόγμα, καὶ ἄλλο κήρυγμα· τὰ μὲν γὰρ δόγματα σιωπᾶται, τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται. *Qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt Apoſtoli & Patres, in occulto ſilentióque myſteriis ſuam ſervârunt dignitatem. Neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares & vulgares aures effertur. Hæc eſt ratio, cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio, propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemtum. Aliud eſt autem dogma, aliud prædicatio. Nam dogmata ſilentur, prædicationes verò publicantur.* Nihil equidem hic dicam de γνησιότητι libri, quam jam olim Eraſmus ob ſtyli diverſitatem & ineptias, graviſſimo illo Patre indignas, atque nuper etiam Robertus Cocus prægnantes ob rationes in dubium vocarunt. Hoc verò dicere ſatis erit, S. Baſilium *dogmata*, quæ ſilenda, hoc eſt, non promiſcuè apud infideles quoſvis prædicanda, vel ſcripto etiam divulganda cenſet, non myſteria, dogmata, ſeu articulos Chriſtianæ religionis Catholicos appellaſſe. Loquitur enim de dogmatibus indefinitè omnibus, qualia quoad doctrinam fidei qui ſcripto tradenda negaverit, & ſilenda pertenderit, næ is S. Scripturam univerſam, una cum myſteriis fidei in ea comprehenſis obelo configet. Quid ergo? Baſilii.

Dogma-

Dogmata illi sunt ritus seu Ceremoniæ Ecclesiasticæ, cujusmodi ipsemet enumerat signum crucis, conversionem ad orientem, invocationis formulam in Eucharistia, benedictionem aquæ baptismatis & olei, trinam immersionem, genuflexionem, stationem, confessionis formulam. Unde statim τὰ δόγματα *dogmata* appellat τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν *consuetudines non scriptas*, easdémque τῷ Εὐαγγελίῳ, καὶ τῷ κηρύγματι *Evangelio* & *prædicationi* opponit. Eandem inter δόγματα & κηρύγματα distinctionem eodem sensu Eulogius, Archiepiscopus Alexandrinus in Bibliotheca Photii *Cod.* CCXXX. *pag.* 833. explicat. Mutuatus uterque vocis illius sensum ex Scriptoribus sacris est, quibus δόγμα *ritum, institutum* Luc. II. 1. Act. XVI. 4. XVII. 7. Ephes. II. 15. Colos. II. 14. & δογματίζεσθαι *ritibus onerari* Colos. II. 20. significat. Duriusculum verò est, quòd idem author τὰ δόγματα καὶ τὰ κηρύγματα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχειν πρὸς τὴν εὐσέβειαν *dogmata & prædicationes idem ad pietatem robur habere* asserit. quod ὑπερβολικῶς dictum ei condonamus, & disputationis fervori imputamus.

Hilarii. XXVII. Mosen Veteris Testamenti verba in literis condidisse, & separatim quædam ex occultis secretiora mysteria, septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimâsse, Hilarius ab adversariis idcirco laudatus *in Psalm.* 2. dixit. Ad quæ verba Erasmus annotavit: *Non credo.* Et sanè teste nullo de re adeò à seculo suo remota Hilarius locutus est: nisi fortè hoc sibi voluit, Mosen quosdam selectos viros familiariùs in legis ceremoniarúmque intelligentia instituisse. Sed quid hoc ad traditionum non scriptarum mysteria silentio tegenda? Nam qui in cognitionem Scripturarum altiùs penetrant, ii non propterea nova mysteria non scripta, eáque silentio involvenda invehunt, sed ex ipsis Scripturis sensum veritatis hauriunt.

XXVIII.

XXVIII. Par ratio eſt Clementis Alexandrini, quæ ex ſeptimo ejus Inſtitutionum libro Euſebius *Hiſt. Eccl.* ϐ. 1. citat ſequentia: Ἰακώβῳ τῷ δικαίῳ, καὶ Ἰωάννῃ καὶ Πέτρῳ μετὰ τὴν ἀνάστασιν παρέδωκε τὴν γνῶσιν ὁ κύριος· Οὗτοι τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις παρέδωκαν· Οἱ δὲ λοιποὶ Ἀπόστολοι τοῖς ἑβδομήκοντα, ὧν εἷς ἦν καὶ Βαρνάβας. *Jacobo juſto, & Johanni & Petro Dominus poſt reſurrectionem cognitionem impertiit. Quod illi cæteris Apoſtolis, hi verò ſeptuaginta diſcipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt.* Quod enim ſolis his tribus γνῶσιν *cognitionem* immediatè à Chriſto indultam ille aſſerit, parùm conſtat, nec idoneo teſte probatur. Saltem S. Paulus ex revelatione Chriſti immediata Euangelium etiam recepit, nec cum carne & ſanguine contulit. Eſto tamen, his ſolis ἀρίστοις impartitus fuerit γνῶσιν *cognitionem*, non tamen vel quædam duntaxat myſteria, vel tacenda illa, non ſcribenda, impartitus eſt, cùm γνῶσιν indefinitè nominans, omnem haud dubiè intelligat. Quòd ſi, uti nuper Valeſius expoſuit, γνῶσις Clementi fuit *donum ſcientiæ*, ſeu ſingulare Chariſma illud, quod S. Paulus 1 Cor. XII. 8. λόγον γνώσεως *ſermonem cognitionis* vocat, quámque idem Clemens *Strom. libr. vj.* ἐπιστήμην καὶ κατάληψιν τῶν ὄντων τε καὶ ἐσομένων, καὶ παρῳχηκότων *ſcientiam & comprehenſionem præſentium, præteritorum, & futurorum* definit, nihil hoc ad myſteria quædam duntaxat celanda, non ſcribenda, attinet. Etſi enim ejuſmodi γνῶσις *cognitio*, ſeu φρόνησις *prudentia* & eruditio ſingularis non omnibus fidelibus competit, ratione tamen doctrinæ fidei extra ſcripturam, utpote quæ σοφίσαι πρὸς σωτηρίαν *Sapientem ad ſalutem*, imò & *perfectum ad omne opus bonum reddere* ſola poteſt 2 Tim. III. 15. 16. non vagatur, neque myſteria quædam ἄδηλα ſilentii religioſi Supparo involvenda promit.

Clementis Alexandrini.

Crypsis dogmatis sotius, & mysterium impietatis panditur.

XXIX. Vin ergo crypsin dogmatis de mysteriis quibusdam non scriptis, silendísque explicemus strictim? Merum in eo est *mysterium* impietatis, Babylonica fronte dignissimum, quod jam olim etiam Irenæus *lib. iij.* 15. his verbis detexit: *Doctrina Apostolorum est firma & manifesta, & nihil subtrahens, néque alia quidem in abscondito, alia verò in manifesto docentium: Hoc enim fictorum, & pravè seducentium, & hypocritarum est molimen.* Hoc scilicet, non aliud quicquam illi satagunt, ut prætensa traditione, seu mysteriis non scriptis, quicquid scriptum non est, & præter, imò contra scripturas, Diaboli & Antichristi fraude, successu temporis in Ecclesiam invectum est; adversus eos, à quibus falsa & impia doctrina ex verbo Dei scripto redarguit, defendere possint, útque tum oracula omnia Papæ, tum mysteria ipsa scripturæ, sensu Ecclesiæ Romanæ, seu Romani Apollinis, explicata, sine ulla veri sensus demonstratione, fide implicita recipiantur superstitione cœca, absque intelligentiæ luce; ita ut veræ interpretationis traditio ad omnes penetrare non possit, sed inter paucos mystas detineri in silentio debeat, ipsiúsque adeò scripturæ lucerna ex hypothesi eorum obscurior, sub illo silentii mysteriorum non scriptorum modio occultetur, & porro extinguatur penitus.

Consensum in eo cum Iudæis & Gentilibus, Peresius & Bellarminus non dissimulant.

XXX. Commune isthoc impietatis mysterium Papalis Hierarchia cum Judæis veteribus recentioribúsque nec non Gentilibus infidelibus habent. Jam olim certè Judæis etiam Sathanas persuasit, præter legem scriptam etiam orali, sive ad supplendum illius defectum, sive ad interpretationem ejusdem, opus esse. Unde Christus sic Pharisæos Matth. v. 21. alloquitur: Ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς Ἀρχαίοις *Audivistis, quòd dictum sit veteribus.* Ubi ἀκοὴ *auditus* traditionum receptam, & ῥῆσις seu ῥῆμα *dictio* traditio-

ditionem ipsam notat. Ita enim in Sanhedrim *cap. ÿ. Halac. ÿ.* אם שמעו אמרי להם *si audiverunt*, id est, traditione acceperunt, *dicunt iis*. Et apud Maimonidem sæpius מפי השמועה למדו *auditione*, id est, traditione *didicerunt*. Sed & Judæi Christo exprobrare ausi sunt, quòd discipuli ejus παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων *traditiones seniorum* transgrediantur. Matth. xv. 2. quibus Christus v. 3. καὶ παράδοσιν τοῦ λόγου objicit, quòd propter traditionem suam mandatum Dei transgrediantur ipsi, & plura etiam ejusmodi Marc. vii. 2. 5. 8. exprobrat. Recentiores similiter Judæi veterum Sapientum suorum traditiones nomine תורה שבעל פה *legis oralis*, quam תורה שנכתב *legi scriptæ* opponunt: nec non קבלה *Kabbalæ*, seu legis per traditionem Mosis acceptæ, & משנה δευτερώσεως legis *repetitæ* venditant. Hanc à Deo in monte Mosi; ab hoc Josua; à Josua senioribus aliis datatim, & remotis arbitris datam sciscunt. De Philosophis veteribus similia Peresius Ayala *de Tradit. Eccles. par. ÿ. p.* 15. laudat his verbis: *Nec hoc solùm Patres primos, sed antiquissimos Philosophos, ut Mercurium Trismegistum, Pythagoram, & plures alios sapientes factitâsse legimus, qui parùm vel nihil scripserunt, sed orentenus auditores suos instruebant, ne Philosophia vilesceret, & contemptibilis apud vulgus hominum fieret.* Poterat idem Aristotelis disciplinas ἀκροαματικὰς ab ἐξωτερικαῖς distinctas, & illas selectis duntaxat in aurem insusurratas, has publicatas in desperatæ causæ subsidium advocare. Sanè etiam tam Judæorum quàm Gentilium ea in re consensum Bellarminus laudare non erubuit, egregium inde συμπέρασμα conflans, *naturam ipsam quodammodo clamare videri traditiones non scriptas, vel necessarias, vel certè utilissimas esse.* Quos fœdi adeò consensus non puduit, eos non magis forte, quàm Vespasianum olim, ex urina vectigal accipere puderet.

III. Quia septem Sacramenta, totidem mysteria, seu summam religionis, & causam salutis, ac justificationis commendat. Sacramenta procedente tempore mysteria dici cœpta.

XXXI. *Tertiò* titulus Mysterii Babylonicæ Hierarchiæ Papali quadrat, quia septem Sacramenta, totidémque mysteria, ceu summam religionis, & *causam Justificationis unicè commendat.* Constat equidem quæ sacra divinæ gratiæ Symbola in S. literis nominibus אות σημεῖον, σφραγῖδος *signi* & *sigilli* veniunt, ea procedente tempore nominibus μυστηρίου *mysterii* & *Sacramenti* Ecclesiam insignivisse. Nam vocem μυστηρίου *mysterii* Vulgatus interpres ferè *Sacramentum* transtulit. Ita sacra signa Damascenus *Orthod. fid. lib. iv.* 14. ἅγια καὶ ἄχραντα μυστήρια *sacra & impolluta mysteria;* Chrysostomus *Homil. xj. ad populum Antioch.* θαυμαστὰ *admirabilia.* & *Homil. x. tom. v.* alibique frequenter φρικτὰ μυστήρια *tremenda mysteria.* Dionysius Areopagita de Hierarch. *Eccles. cap. iij. §.* 8. τελεστικὰ μυστήρια *mysteria vim perficiendi habentia*, nuncupant. Visum nonnullis est, ad Græcanica sacra, quæ ferè multiplicibus ritibus nescia quid significantibus constabant, S. Patres ita loquentes respexisse. Probabilius tamen & sanctius etiam est, eos signa sacra, ut partem mysteriorum, sive rerum Divinitus traditarum communi vocabulo denotâsse, aut nomen res spirituales, miniméque sensibus subjectas, fideíque propositas potissimùm designans accommodasse symbolis eas significantibus, & earum loco Ecclesiæ traditis. Quæ enim à sensibus nostris remota in verbo docemur, & fide amplectimur, ea in symbolis suo modo tenemus & cernimus. Quomodo etiam Apoc. I. 20. μυστήριον *mysterium septem stellarum*, & Apoc. XVII. 7. μυστήριον γυναικὸς καὶ θηρίου mysterium arcanum per signa adumbratum, signo nomen rei significatæ induente, denotat.

Mysteria symbolica seu Sacramenta duo

XXXII. Sacra Symbola seu Sacramenta N. T. κατ' ἐξοχὴν sic dicta duo Baptismum & S. Cœnam, non plura, Christus instituit. Duo etiam *mysteria*, seu symbola mystica,

ſtica, eadem ſcilicet κατ' ἐξοχὴν dicta pia antiquitas agnovit. Suffecerit eam in rem unum, idque clariſſimum S. Chryſoſtomi teſtimonium, quod *ad Joh. xix.* 34. ſeu *Hom.* LXXXV. *in Joh.* hæc in verba legere eſt: ἐξῆλθεν ὕδωρ καὶ αἷμα· οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ ὡς ἔτυχεν, ἐξῆλθον αἱ πηγαί· ἀλλ' ἐπειδὴ ἐξ ἀμφοτέρων ἡ ἐκκλησία συνέστηκε, καὶ ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι δι' ὕδατος μὲν ἀναγεννώμενοι, δι' αἵματος δὲ καὶ σαρκὸς τρεφόμενοι. *Exivit aqua & ſanguis. Non caſu & ſimpliciter hi fontes ſcaturierunt, ſed quoniam ex ambobus Eccleſia conſtituta eſt. Sciunt hoc initiati per aquam quidem regenerati, ſanguine verò & carne nutriti.* Proin etiam duo illa apud Eccleſiam conſtanter permanſerunt.

S. literæ & pia antiquitas agnoſcunt.

XXXIII. Duobus hiſce myſteriis ſymbolicis, ſolis genuinis juſtitiæ fidei ſigillis, plura ſuperſtitio, diverſis occaſionibus, ſine Divinæ inſtitutionis tabulis addidit. Et primò quidem quæ per metaphoram aliquam ſingularem in ſcripturis dicta ſunt, in ceremonias traduci placuit. Hinc *Chriſmatio* ſeu *Confirmatio* ortum habuit. Secundò ſigna adhibita ad patrationem miraculi, ceſſante inſtinctu Spiritus ad miraculum, ad ſpiritualem gratiam ſignificandam retenta ſunt. Hinc *extrema unctio*. Tertiò quæ in præſentatione perſonæ coram Eccleſia facta, ea ad exaggerandam exiſtimationem & poteſtatem Miniſtrorum, in myſterium & Sacramentum convertere libuit. Hinc Sacramenta, quæ χειροθεσίᾳ, ſeu impoſitione manuum peraguntur. Ipſa quoque vox Sacramenti alicubi uſurpata, & utilitas non exigua inde in Eccleſiæ Myſtas redundans, numerum locupletavit. Hinc *matrimonium*. Atque ita Diaboli aſtus multorum mentes corrupit à ſimplicitate in Chriſtum (2 Cor. XI. 3.) ut tandem etiam Sacramenta numero certo, ſeptenario ſcilicet definirentur: quod primùm ab Hugone de S. Victore, qui ſeculo XII. floruit, in ſuo de *Ceremoniis, Sacramentis, Officiis* &c. opere *lib. j. cap.* 12. mox

Iis plura ſuperſtitio diverſis occaſionibus addidit.

mox etiam Lombardo *lib. iv. sent. dist.* 2. factum. Quem numerum Synodali authoritate in decreto super unione Armeniorum, A. M. C. D. XXXIX. confirmavit. Neque dum tamen declaratum erat omnia hæc Sacramenta esse verè & propriè dicta Sacramenta novæ legis, neque esse plura vel pauciora. Hoc enim demum in Concilio Tridentino *Sess. vij. can.* 1. sub anathemate definitum est his verbis: ***Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora, quàm septem, aut aliquod horum septem non esse verè & propriè dictum Sacramentum; anathema sit.***

Iisdem, ut & veris Sacramentis falsa doctrina incrustatis, vim miram præter Dei verbum tribuit.

XXXIV. Neque satis erat, veris & propriè dictis Sacramentis, seu mysteriis symbolicis, Baptismo & S. Domini Cœna falsa doctrina incrustatis, & hoc in theatralem & histrionicam pompam, & salutis per abnegationem unici sacrificii Jesu Christi venenum præsentissimum conversa, mysteria salutis sine documentis certis & idoneis Divinæ institutionis (frustra enim Bellarminum *de effectu & numero Sacram. cap.* 24. aliósque ea promere conatos esse, abundè milliésque à nostris ostensum est) non aliam ob rationem, quàm quia ita dignitati & potestati Hierarchiæ amplificandæ conducere visum est, multiplicâsse. In iis enim etiam summam totius religionis Christianæ ponere, & causam Justificationis, & Sanctificationis etiam ex *opere operato*, uti barbara doctrina verbis barbaris exponitur, producendæ, ea constituere, perinde atque si efficaciam talem à gratia Dei & merito Christi sibi impressam continerent, non dubitarunt.

De efficacia Sacramentorum variantes sententia Scholasticorum.

XXXV. De efficacia & virtute Sacramentorum magnis equidem, & dissentientibus studiis olim Scholasticos inter disceptatum est. Continere illa gratiam, non significare duntaxat, omnes ferè consentiunt. De modo, quo eam conti-

continéant, dissentiunt; an videlicet eam contineant, sicut vas aquam, & pyxis medicinam? an, quia gratiam significant, &, nisi sit defectus ex parte suscipientis, eam semper conferunt? Prius Hugo de S. Victore *de Sacram. parte* 9. *cap.* 4. posterius Bonaventura *in* 4. *sent. dist.* 1. *art.* 1. *q.* 3. sustinet. Sed & de virtute instrumentali in Sacramentis causativa gratiæ disputatum jam olim, an per aliquam virtutem creatam *insistentem*, sive sacramento inhærentem, ut per causam instrumentalem dispositivam suscipienti gratia conferatur? an verò per solam increatam Dei virtutem ordinationi suæ ex pacto *assistentem* animo suscipientis Sacramentum immediatè ex ipso gratiæ æterno fonte Deo in recto Sacramenti usu gratiam hauriat? Prius Thomæ Aquinati, ejúsque scholæ; posterius Bonaventuræ, Durando, Scoto, Bieli, aliis olim placuit.

De eadem decretum Tridentinæ Synodi, ab operatione Sacramenti fidem & devotionem ejus, qui suscipit, excludentis, & efficaciam ex opere operato stabilientis.

XXXVI. De modo eo continendi & efficiendi gratiam in Tridentino etiam Concilio Dominicanos inter, Thomæ, & Franciscanos, Scoti asseclas acribus contendentium studiis disceptatum est. Et Patrum quidem Concilii illius erat ambigua isthæc litium fata dirimere. Sed prævalidarum partium metu, ad solitos cothurnos conversi *Sess. vij. Can.* 6. sub *anathemate* id solum definiverunt, *Sacramenta continere gratiam, quam sacrificant, & gratiam non ponentibus obicem conferre.* Et Canone octavo anathema intonuere iis, *qui per novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere statuunt.* Ita Concilium ab operatione Sacramenti etiam accipientis fidem & devotionem exclusit. Ita enim verba illa ex *opere operato gratiam conferre*, ante Concilium Scholastici intellexerunt, nominatim Albertus *in cap.* 6. *Joh.* Petrus de Palude *in* 4. *sent. dist.* 1. *q.* 1. aliique. Ita ipsum Concilium intellexisse, historia ejus dubitare non finit:

finit: Patres enim in eo præfentes inter eas actiones, quibus pietas excitatur, quáfque gratiam parere *ex opere operantis*, hoc eft, non ex ipfius operis, fed operantis viribus & devotione docebant, & eas, quæ gratiam *ex opere operato*, hoc eft, ut ipfi, tefte Suavi, nec contradicente Pallavicino, explicârunt, non ex operantis, vel opus recipientis devotione, fed operis ipfius virtute, diftinxerunt, & pofterioris generis effe Sacramenta Chriftiana, declarârunt. Atque eodem Jefuitarum modernorum de efficacia attritionis, fine ullo amore Dei, folius abfolutionis in Sacramento pœnitentiæ vi, juftificationis gratiam operantis, doctrina pertinet.

Myfterium iniquitatis, quod in ea doctrina continetur, oftenfum.

XXXVII. Atque fic illa Pontificiorum myfteria fymbolica, præterquam quòd fine ulla authoritate verbi Divini (fi baptifmalem ritum, quatenus is ex verbo Dei retinetur, exceperis) introducta funt, infuper etiam in hodierna inprimis vitæ & morum profanitate, nihil aliud funt, & habentur, quàm carnalis fiduciæ ὀχύρωμα, impia hominum in peccatis fibi blandientium κρησφύγετα, fpeluncæ veluti latronum, denique, verbo dicam. *Myfteria* iniquitatis, quibus Babylonis Magnæ frons, ceu ftigmate quopiam, inufta eft. Vera enim myfteria fymbolica, feu Sacramenta (ne de falfis & fpuriis dicam) revera non funt caufæ falutis, juftificationis, vel fanctificationis; neque etiam conditiones ejus, fed figna fœderis per gratiam Spiritus S. partim invitantia ad fidem, qua ad Chriftum confugimus, & eam moraliter operantia ad communionem cum ipfo, quatenus una cum verbo funt apud Ecclefiam & docent, in quo nomine nos falvari oporteat: partim in fide poft explorationem fui utentibus, cum verba confolationis ad fingulos fideles, quòd in fcripturis extat, fiant efficax adminiculum fpei, coronam vitæ in Chrifto expectantis. Quo fenfu dicuntur 1 Petr. III. 21. *σώζειν falvare*,

vare, quia sunt ἐπερωτήματα *interrogationes bonæ conscientiæ ad Deum*, adeóque stipulationem de salute præbent. Revera igitur ceu σφραγῖδες *sigilla justitiæ fidei* (Rom. IV. 11.) non aliam efficaciam habent, quàm objectivam & moralem, puta vim spiritualia bona promissa significandi, commemorandi, certiorandi, & propter veritatem Dei, sistendi.

XXXVIII. Qui igitur illa Dei dona in opus operatum convertunt, & falsa insuper mysteria symbolica fingunt, adeóque etiam Sacramentis qualibuscunque tribuunt virtutem Physicam operandi gratiam (ita enim hodie Romani loqui amant) seu ex opere operato justificationis gratiam producendi; sive putent virtutem creatam iis indi, per quam ceu causam instrumentalem dispositivam gratia conferatur; sive motum imprimi, sive virtutem Divinam assistere, quæ ad prolationem verborum super materia debita effectum operetur; sive etiam ex pacto tanquam conditiones requisitas, aut causas morales (uti Becanus pertendit) gratiæ effectum adducere: ii Testamentum Divinum mutant, eíque ἐπιδιατάσσονται, propria dispositione aliquid adjiciunt, & in Scriptura φαρμακοὶ *incantatores*, tribuentes signis efficaciam, quam nec à natura, nec à Divina ordinatione habent, audiunt; denique verissima iniquitatis *mysteria*, quibus Babylon Magna insignita est, venditant. Illud cùm faciat profiteaturque Hierarchia Papalis, Babylonis M. *mysterium* in fronte ejus *pellucere*, quis bonus negare ausit?

XXXIX. *Quartò* Babylonis Magnæ titulus frontalis μυστήριον *Mysterium*, eatenus quoque Hierarchiæ Papali congruit, quòd *Christum in Missa*, ceu peculiari *mysterio corporaliter simul atque secretè & invisibiliter adesse & Deo sacrificari* asserit. Et Missam quidem, quatenus in *ea substantia* panis & vini in corporis & sanguinis Christi sub-

IV. Quia Christum in Missa, ceu præcipuo Mysterio, corporaliter simul & secretè ac invisibiliter

adesse & sacrificari pertendit.

substantiam invisibilem, ope sacrificuli, concepta & murmurata verba proferentis, conversa, Christus in hostia incruentè sacrificari realiter pro peccatis vivorum & mortuorum, statuitur, mysteriorum omnium apicem, proram & puppim religionis suæ illi faciunt. In Concilio Lateranensi A. 1215. sub Innocentio III. habito, in quo sensus verborum Christi Pontificius, ambiguis licèt verbis, primùm definitus est. Scoto ipso 4. *dist.* ÿ. *q.* 3. *n.* 15. non diffitente; Missa *perfectio Mysterii unitatis*, Christi scilicet & Ecclesiæ, appellatur. Verba sic habent: *Ipse Sacerdos & Sacrificium Jesus Christus, cujus Corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiato pane in corpus, & vini in sanguinem, potestate Divina, ut ad perficiendum Mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.*

Quæ doctrina mysterium iniquitatis summam comprehendit.

XL. Si quod aliud dogma, isthoc certè *mysteriis impietatis* refertum maximè est. In eo enim mysterii singularis prætextu & verus Christus in falsum mutatur (quomodo enim verus Christus θεάνθρωπος est, qui in tot hostiis quotidiè divisus, multiplicatus in unum ubique punctum seu substantiam ἄτομον redigitur, habens corpus à Spiritu non differens, toties, tot in locis ab hominibus, muribus &c. devoratus?) & verum sacrificium in cruce Deo Patri oblatum in falsum convertitur (an enim verum sacrificium reapse propitiatorium, atque illud ipsum numero, quod in cruce Deo Patri oblatum est, esse potest, quod incruentum est, in quo esse Christi naturale non destruitur, quod in terra peragitur, manente corpore Christi in Cœlo ad dextram Dei, eóque glorioso & ἀπαθητῷ; quod denique offertur demum postquam Christus ἅπαξ προσενεχθεὶς *semel* duntaxat *oblatus* Hebr. IX. 28. μίᾳ θυσίᾳ *unico sacrificio* pro peccatis oblato εἰς τὸ διηνεκὲς *in perpetuum* ad dex-

ad dextram Dei consedit. Hebr. x. 12. ut innumera taceam?) & remissio peccatorum per sanguinem unici sacrificii Christi parta, impuro sacerdoti nescio quo murmure Christi loco panaceum aliquod Numen repræsentanti, accepta refertur.

XLI. Tam impio scilicet mysterio tegendum erat arcanum seu mysterium non minùs impium, cujus gratia illud inducere placuit. Quod enim de Regibus Judæis posterioribus Tacitus *Hist. v.* 8. 6. pronuntiat, eos *honorem sacerdotii, firmamentum potentiæ assumpsisse*, id multò magis Pontifici, ejusque succenturiatis sacerdotibus convenit. Eodem certè tempore, quo Monarchiam absolutam in spiritualibus & temporalibus Romani Pontifices flagrantissimè appetierunt, instituto, & in Lateranensi Concilio definito Missæ sacrificio, sacerdotii honorem potentiæ, quam affectabant, summæ firmamentum assumpserunt, & sacerdotes, qui se Creatorem sui creare profitebantur, potestatis suæ peristromata dilatarunt. Quod Gabriel Biel *Lect.* 2. *in Can. Missæ* apertè testatur, asserens, *non voluisse Dominum aliquem habere potestatem solvendi & ligandi super corpus mysticum, seu Ecclesiam, nisi haberet potestatem super corpus Christi, & Sacerdotes digniores esse Regibus, Angelis, B. Virgine Maria, quia Christum creant*, &c. Et *Lect.* 4. ita exclamat: *Quis unquam vidit talia? Qui creavit me* (si fas est dicere) *dedit mihi creare se, & qui creavit me sine me, creatur mediante me.* Quidni creatores Christi ipsius Domini sui summam in terris minimùm potestatem promereantur? Tolle igitur Missam, ruent Sacerdotes, ruet Pontifex summus, ruet potestas in spiritualibus & temporalibus summa, Deique summi æmula. Tum etiam Missa talis in Ecclesiæ orchestram producenda fuit, ut plebi sacrificium pretiosissimum omnium obtruderetur, pretio

maximo pro expungendis peccatis licitandum. Pro quo proin dogmate, tanquam pro aris & focis, non frustra illi dimicant, exuturi illud novissimum, minimè ignari, si quæstuosum isthoc & juge sacrificium cessaret, fore ut exsiccetur confestim stagnum, in quo ranæ Apocalypticæ liberiùs adhuc natant, & coaxant clamosiùs.

Accedit Canon Missæ, inter summa mysteria numeratus, & secreti nomine, ob secretam pronuntiationem, insignitus.

XLII. Accedit quòd non tantùm Canonem Missæ, centonem humana industria malè consarcinatum, inter summa religionis humanæ mysteria deputant, adeò ut Innocentius III. *de Missæ mysteriis lib. v. 6.* jam olim exclamaverit, *tantæ profunditatis ejus verba esse, ut intellectus humanus vix ea penetrare valeat.* Et Circius Polonus, cum se ex objectis Canoni erroribus extricare non posset, omnésque ejus expositiones ineptas esse assereret, eò confugerit, ut diceret: *non esse quærendam interpretationem Canonis, sed quia sit mysterium à Christo & Apostolis traditum, ideo non intelligendum, sed adorandum esse;* sed etiam eundem nomine *Secretæ*, sive quòd hominibus ejus verba occulta sint, & mysterium tantum humanæ rationis acie prorsus sit impenetrabile, sive quòd cum silentio legi, adeóque mussari & halari potiùs, quàm enuntiari debeat. Unde Concilium Tridentinum *Sess. xxij. Can.* 9. eos, qui dixerint, *Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis & verba consecrationis offeruntur, damnandum esse,* anathemate percutit. Cujus secretæ pronuntiationis originem Johannes Beleth, Honorius Augustodunensis, aliique acceptam referunt fabulosæ narrationi de pastoribus, qui verba consecrationis, hactenus audita, in agro supra panem & vinum protulerunt, & ea repente, si credere fas est, in carnem & sanguinem mutârunt, ipsi verò ob facinus cœlesti igne consumpti sunt. Rudem fabellam & ab incude adhuc calentem, primus Pseudo-Alcuinus, seculo decimo recentior *de Divi-*

Divinit. Offic. tit. de celebr. Missæ retulit, addens, *consuetudinem inde venisse in Ecclesia, ut tacitè ista obsecratio atque consecratio à Sacerdote deinceps cantetur.* Nisi fortè id factum est imitatione sive Gentilium, apud quos sacra abstrudi & presso gutture mussari mos erat, sive Magorum etiam, quorum vetus isthoc axioma fuit: *Oportet Magiæ operatorem, si fructum inde consequi velit secretum esse.* Quam conjecturam Gabriel Biel *lect.* 4. in Can. Missæ confirmare videtur, ubi creationem Creatoris per Sacrificulum secretè verba consecrationis proferentem factam probat *non fieri naturali potestate, vel meritoria operatione, sed assistente virtute: Secundùm quem modum malefici & incantatrices quosdam effectus producere dicuntur, ut extrahere lac vaccarum de sedibus seu manubriis securium, quod fit non naturali virtute maleficorum, néque ex eorum merito sed virtute occulta, sive bona sive mala assistente.*

XLIII. Mysterii porro Missatici ἀκμὴ in eo consistit, quòd pertendunt Hierarchæ, Sacrificulum verba certa secretò demurmurantem corpus verum Christi, sed *invisibile* & *indivisibile*, adeóque spirituale sub hostiæ speciebus, mox per desitionem τῦ esse Sacramentalis immolandum, repræsentare. Annon enim corpus humanum, quod ἀναμφισβητήτως carne & sanguine constat, *invisibile, indivisibile, spirituale, arcanum*, & quidem victimæ pro peccatis vivorum & mortuorum destinatum, & *secretis* etiam cubilibus ac cibariis includendum, adorandúmque mysterium ingens est? Est sanè, sed *impietatis*, non pietatis. Ita enim panis & vinum non in corpus & sanguinem Christi, sed in spectra quædam Spirituum proprietates mentientia convertunt, & qui pro præsentia reali corporis & sanguinis Christi, tanquam pro aris & focis suis, tantopere dimicant, ii ipsi comica quadam licentia ex Eucharistia & signum & rem

Præsentia Corporis Christi secreta & invisibilis mysterium impietatis est, quia Sacramentum prorsus evertit.

rem ſignificatam exterminant, nuda pro pane accidentia ſupponunt, & ſub accidentium illorum larvis, non corpus Chriſti, ſed ſubſtantiam quandam indiviſibilem & maximè arcanam, Spiritum nempe, id eſt, Nihilum ſub Nihilo oſtentant, & adorandum publicè proponunt, denique ſpectatoribus & communicantibus ſuis ludicrum illud occinunt: λαβὲ μηδὲν, καὶ κράτει καλῶς. *Accipe nihil, & tene bene.*

quod ex Bellarmini & Concilii Tridentini de modo, quo Corpus in Eucharistia ſit, explicatione ulterius liquet.

XLIV. Sic Bellarminus ipſe Corpus Chriſti ex Cœna revera tollit. Ita enim *de Euchariſtia lib.* 1. *cap.* 2. loquitur: *Non habet Chriſtus in Euchariſtia modum exiſtendi Corporum, ſed potiùs Spirituum, cùm ſit totus in qualibet parte. At quod in qualibet parte eſt, id Spiritus eſt.* Pergit: *Itaque dicemus, Chriſtum in Euchariſtia adeſſe verè, realiter, ſubſtantialiter, ut Concilium Tridentinum loquitur; ſed non dicemus, corporaliter, id eſt, eo modo, quo ſuapte natura exiſtunt corpora, nec ſenſibiliter, mobiliter.* Quomodo ergo? *Spiritualiter*, dici poſſe agnoſcit, juxta illud Bernhardi, in hoc Sacramento exhiberi nobis veram corporis ſubſtantiam, ſed *ſpiritualiter*, non *carnaliter*. Mox tamen addit, non videri ſibi nimis frequentandum eſſe hoc nomen *ſpiritualiter*. Quid igitur faciendum? aut quomodo in Sacramento erit Chriſtus, ſi neque *corporaliter*, neque *ſpiritualiter* eum ibi eſſe, tutò dici poteſt? Concilium Tridentinum definit *verè quidem, realiter & ſubſtantialiter ſub ſpecie rerum ſenſibilium corpus Chriſti contineri, non tamen juxta modum exiſtendi naturaliter, ſed ſacramentaliter.* Quomodo verò intelligunt illud Sacramentaliter? An planè, ut eſt in hoc Sacramento? Hoc verò frivolum foret. Quærendum enim ſemper foret, quomodo ſit in hoc Sacramento, & quid illud ſignificet. Æterna ſic eſſet petitio τοῦ ἐν ἀρχῇ. Quod ſi id referendum in genere eſt ad naturam, formam, & mo-

& modum reliquorum Sacramentorum; eo modo erit corpus Christi in Cœna, quo fuit olim in Circumcisione, Paschate, hodie est in Baptismo. Hæc enim reliqua Sacramenta sunt. An verò in iis post consecrationem fit mutatio substantiæ? An in iis corpus Christi præsens est *Sacramentaliter*, hoc est, secundùm substantiam corporis sui, & per indistantiam loci? Atqui hoc ipsi pernegant. Vel igitur corpus Christi in Eucharistia præsens est per præsentiam Spiritus S. spiritualia bona in Sacramento significata, obsignata & repræsentata fidei vendicantis: vel nullo modo (nam corporaliter & propriè spiritualiter adesse negant) in Eucharistia præsens est. Prius cùm præfractè Adversarii, ne in castra veritatis transeant, negent, posterius illos asserere debere, adeóque, quod grande iniquitatis mysterium est, corpus Christi ex Eucharistia eliminare, nihilum sub nihilo adorare, & ceu victimam pro peccatis suis Deo Patri offerre, manifestè consequitur.

XLV. Accedit quod Thomas Aquinas *Sum. Theol. pag.* 3. *quæst.* 67. *art.* 3. manifestè corpus Christi *verum* ab Eucharistico, puta *arcano, invisibili & indivisibili* illo distinguit. Quærit nempe: *An totus Christus sub qualibet parte specierum, panis vel vini sit?* Respondet affirmando, ratione adducta; *quòd corpus Christi sit in hoc Sacramento eo modo, quo substantia est sub dimensionibus. Objicienti, quòd corpus Christi, cùm sit organicum, habeat partes determinatè distantes, cùm de ratione corporis organici sit determinata distantia singularum partium ab invicem; sicut oculi ab oculo, & auris ab aure, hoc autem esse non possit, si sub qualibet parte specierum esset totus Christus;* disertè respondet: *Talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero, sed non secundùm hanc distantiam comparatur ad hoc Sacramentum.*

Thomas Aquinas verum Christi Corpus ex Eucharistia tollit.

Habe-

Habemus hîc confitentem reum, quòd corpus illud Eucharisticum seu Missaticum, sub speciebus Hostiæ modo arcano, invisibili & indivisibili latens, & determinata distantia singularum partium ab invicem destitutum, non sit *verum* Christi corpus. Quid igitur est? Spectrum, nihil, verbo, Mysterium Babylonis fronte dignum.

A fide mysterii præsentiæ corporalis Christus ipse graviter dehortatur.

XLVI. Mysterium isthoc corporis Christi in Missa secreti, arcani, mystici, invisibilis, Christus ipse abhorruit, & ab ejus fide dehortatus omnes graviter est. Matth. XXIV. 26. 27. *Si dicant vobis, inquit, Ecce in penetralibus est, ne credatis. Nam ut fulgur exit ab oriente, & lucet usque ad occidentem, sic erit præsentia Filii hominis.* Non potuisset certè Christi mysterium impietatis pontificiæ, totiúsque Papalis Monarchiæ oculum impetere directiùs. Dicunt enim illi, ὧδε, Hic est. Ita Scotus 4. *dist.* ij. *q.* 3. scribit: *Verum est, quod HOC est corpus meum, & HIC est corpus meum.* Neque decantatius quidquam *præsentia reali, substantiali sub accidentibus Symbolorum,* nec non phrasibus illis, *esse, sub accidentibus contineri, poni in altari, asservari in ciborio.* Et qui hoc dicunt, se Vicarios Christi, omnem potestatem habentes, Sacerdotes peccata expiantes, Prophetas infallibiles jactant, adeóque hoc dicunt ut ψευδόχριστοι *falsi Christi*, & ψευδοπροφῆται *falsi Prophetæ*. Neque tantùm eos Christus perstringit, qui dicunt, *Hic est;* sed etiam eos, qui dicunt: ἐν ἐρήμῳ, ἐν ταμείοις *in Eremo, in Promptuariis, Ciboriis est.* In deserto sunt Monasteria Monachorum: in urbibus sunt ταμεῖα penetralia, promptuaria, Templa; utrobique sunt ciboria, loci cancellis septi, conclavia, in quibus hostia in quosvis usus reconditur, asservatur, & ex quibus promitur. Seductionem insuper Pseudo-prophetarum & Pseudo-christorum illorum ad credendam præsentiam Christi in hoc vel illo loco in eremo, promptuariis refutat Salva-

Salvator ab ἐπιφανείᾳ conſpicabilitate & claritate adventus ſui in carne cujuslibet deinceps exſpectandi. Comparat enim illum cùm fulgure, exeunte ab oriente, & lucente in occidentem. Quæ ratio directè oppoſita eſt doctrinæ de præſentia Corporis Chriſti arcana, ſecreta, inviſibili, Chriſti in carne. Adventus deinceps ἐπιφανὴς clarus, conſpicuus, nec alius erit. Ergo, ſic ipſe Salvator arguit, non eſt quærendus deinceps hic, illic, in deſerto, in penetrali, ante conſpicuum illum adventum, ultimum ſcilicet ad judicium. Quo igitur loco habendum ſit ingens illud Hierarchiæ papalis de corpore Chriſti in Miſſa arcano & inviſibili modo præſente & ſacrificando myſterium, abundè liquet.

v. Quia dogmata ſua occultat, & ſacra ſua lingua peregrina, etiam clam demurmurando, peragit.

XLVII. *Quintò* Babylonis Magnæ titulum Hierarchia Papalis meretur, *quia dogmata ſua, Sacrorum Eleuſiniorum inſtar, occultat, & ſacra ſua lingua peregrina, etiam clam demurmurando, peragit.*

Theologi gentiles diviniora, quæ rebantur, dogmata celabant.

XLVIII. Olim quidem Ethnicorum Theologi, diviniora, quæ ita rebantur, dogmata, ne in vulgus publicata vileſcerent, ſacro quodam ſilentio involuta tenuere. Orpheus, citante Juſtino *M. Orat. ad gentes*, & Clemente Alexandrino *Protrept. p.* 36. de Deo verba facturus, ita adhortatus eſt:

> φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι
> Πάντες ὁμῶς· Σὺ δ' ἄκουε φαεσφόρου ἔκγονε μήνης
> Μουσαῖ, ἐξερέω γὰρ ἀληθέα.
> *Effabor, queis fas eſt, aures claude prophane,*
> *Quiſquis es, illuſtri Muſæe, ſed edite Luna*
> *Audi, verba loquor.*

Ex quo illud, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι, Sacerdotes Ægyptii, quoties Deorum ſuorum fata recenſerent, Luciano *Hom.* 3. *de Sacrif.* teſte, præmittere ſoliti ſunt. Pythagoras veneranda doctrinarum myſteria ab exactiſſima mentis

expiatione exordiri solitus, sacrum, quem conscripsit sermonem sic exorsus est:

Ὦ νέοι, ἀλλὰ σέβεσθε μεθ' ἡσυχίας τάδε πάντα.

O Juvenes tacita colite hæc pia sacra quiete.

Pindari quoque illa citat Clemens Alexandrinus *Strom.* 1. μὴ πρὸς ἅπαντας ἀναῤῥῆξαι τὸν ἀρχαῖον λόγον, ἔσθ' ὅτι πιστοτάταις σιγῆς ὁδοῖς. *Non apud omnes licere veterem aperire orationem, præterquam fidelissimis silentii viis.* Plotinus, Platonicæ sectæ Philosophus *Ennead. vj.* 9. de visione & fruitione Dei loquens, τοῦτο inquit, δὴ ἐθέλον δηλοῦν τὸ τῶν μυστηρίων τῶνδε ἐπίταγμα, τὸ μὴ ἐκφέρειν εἰς μὴ μεμυημένους. *Hoc igitur mysteriorum talium institutio indicat, ubi vetat id hominibus nondum initiatis expiatisque patefacere.* Ita omnino de talibus in publicum silebant, aut si quæ proloquerentur, iis verborum involucris sensus suos tegebant, ut nisi iisdem dogmatibus jam imbuti, haud ita facilè eos intelligerent. Quomodo Pherecydes apud Laërtium scripta sua Thaleti mittens, Ὅσα δ' ἂν ἐπιλέγω θεολογίων, τὰ ἄλλα χρὴ νοεῖν. Ἅπαντα γὰρ αἰνίσσομαι. *Quæcunque ad Deos pertinentia allegoricè sunt intelligenda. Omnia enim scripta sunt ænigmaticè.* Pertinent huc Chaldæorum & Pythagoræ symbola, & præsertim Ægyptiorum hieroglyphica, quæ integro volumine Pierius Valerianus, & post eum in Oedipo Ægyptiaco Athanasius Kircherus collegit, explicavitque.

Iidem Sacra & Divini cultus ceremonias plerasque in occulto tenuere.

XLIX. Eodem instituto, & ratione instituti eadem receptum apud Gentiles olim fuit, ut ad ipsa etiam sacra & Divini cultus ceremonias non omnes auditores spectatoresve admitterent. Ita enim Diagoræ Atheniensi Atheismi crimen impactum esse, quòd non tantùm sacrorum Orphei morem & rationem in medium protulerit, sed etiam Eleusiniæ Cereris & Cabirorum mysteria vulgaverit, Athenagoras *Orat. pro Christ.* memorat. Sacra quoque Isiaca,

Bacchi

Bacchi orgia, Sacra Saboziorum, Cybeles Deûm matris, Bonæ Deæ, Corybantia, Veneris Cypriæ, mysteria Alimuntis, aliæque Ceremoniæ, fœditate sua tenebris, & quo curatiſſimè tegebantur, silentio digniſſimæ, ipsa tamen occultatione, silentio & sanctitatis qualibuscúnque irritamentis venerationem adeptæ sunt. Apud *Virg. Æneid. vij.*

——— ——— Procul, o procul este profani
Conclamat Vates.

Seneca enim teste, *sanctiora tantùm sacrorum initiati sciunt.* In sacrificiis inprimis jubebatur populus *favere linguis sacris pascere linguas;* quæ propriæ & usitatæ erant in sacris dicendi formulæ, quibus silentium imperabatur. Atque ad id significandum Harpocratem tanquam silentii Deum, quem Græci Σιγαλιῶνα vocarunt, sacris suis Ægyptii adhibuerunt. Quò referendæ silentii Deæ, *Angerona* silentii Dea, ore obligato atque signato in ara Volupiæ collocata: *Tacita,* à Numa Pompilio instituta, aliæ. Plura eam in rem viri doctiſſimi, Guilhelmus Stuckius *de Sacris & Sacrificiis Gentil. p.* 80. 81. nec non Tobias Pfannerus *Syst. Theol. Gentilis cap. j.* 6. 7. 8. 13. eruerunt.

L. Quid verò Papalis Hierarchia, unde etiam hic Babylonis titulo frontem ejus insignitam constet? Jam supra equidem occupavimus dicere, uti dogmata quædam, quæ ob mysterium scribi non potuerint, velut traditiones arcana ad se devoluta jactet: uti Missæ sacra occultis murmuribus perficiat occultétque. Quis insuper ignorat, quàm studiosè accuratéque populum suum, laicorum probroso nomine ad infima subsellia detrusum, mysteriorum ad se duntaxat pertinentium prætextu, à lectione Scripturæ, omníque rerum sacrarum distincta cognitione arceat, sibíque adeò mysteria, qualiacunque illa sunt, ut gryphes aurum, & canis Æsopicus fœnum, retineat? Nota in vulgus sunt emblemata Mystarum, veluti Hosii, qui *de Verbo Dei*

Imitatione gentilium Pontificii dogmata fidei occultant, dum quædam silenda sciscunt, & à lectione Scripturæ plebem arcent,

Dei t. j. p. 640. ſic ſcribit: *Laicis lectionem ſcripturæ permittere, eſt ſanctum dare canibus, & margaritas ante porcos projicere.* Hardingus quoque contra Juellum *art.* 15. *ſect.* 9. *Minimè*, inquit, *conſentaneum videtur, ut quiſque curioſus & putidus idiota Biblia ſuo ſermone perlegat.* Additque putidus ille Sycophanta, *certum eſſe, nonnulla capita & hiſtorias V. T. eam materiam continere, quæ malarum cogitationum occaſionem præbitura videatur, ſi mulieres, virgines, adoleſcentes, ea legere ſinantur.* Alphonſus Virveſius *Phil.* 2. *contra Auguſt. Confeſſ.* Lutherum accuſat graviter, *quòd liberum fecerit ſanctarum ſcripturarum myſteria evulgari, ſanctum canibus dari, & margaritas inter porcos ſpargi.* Antonius Legatus Pyranenſis ſuaſit, *ut hominibus lectione Epiſtolarum Pauli publicè interdiceretur, eò quòd nimis Lutheranis faverent.* Johannes quoque Montolanus Bononiæ ultricibus flammis conſumptus fuit, eò quòd S. Pauli ad Romanos Epiſtolam publicè prælegiſſet. Conſtátque hæreticæ pravitatis Inquiſitores inter cætera de hoc capite ſeverè quærere, *anne Biblia quis legiſſet?* Ea qui legerit, non impetrata ab Epiſcopo venia, capitalis ſceleris reus habetur. Ne igitur etiam legi poſſint facilè, verſionem eorundem in vernaculum idioma prohibere placuit. Taceo calumnias, quibus à lectione eorum miſeram plebem abſterrent, veluti quòd ſint liber obſcurus, idiotis periculoſiſſimus, vix doctoribus, qui in legendis iis omnem ætatem contriverunt, intelligibilis, ſenſuum varietate perplexus, quorum proin intelligentia ſit intricata & difficilis, à laicis abſcondita, ſoli Eccleſiæ ſeu Hierarchiæ, imò verò Pontifici ſoli unique obvia & expoſita, & ex unius Romani Apollinis penetralibus arceſſenda.

& deſiderium omne ſciendi qua

LI. Sic planè in Papatu vivitur, ſic ludificatur populus, his artibus omne ſciendi deſiderium in illo extinguitur,

tur,

tur, ſic Biblia teſtamentum Patris, populi, ceu myſteriorum ejus cognitione indigni, manibus excutiuntur, & à novis illis legis-peritis intraro Regnum Cælorum non aventibus, & ejuſdem aditum aliis præcludentibus κλεῖδες τῆς γνώσεως *Claves cognitionis* impiè abſconduntur. Cúmque ad ſciendi cupiditatem homo natus ſit, & à ſciéndi cupiditate proficiſcatur inquiſitio, unica ad veritatis cognitionem via, atque ea ſi intenſa ſit, quieſcere non poſſit; hanc duplici via, metu & ratione amoliri, & ex animis hominum tollere, conati ſunt. Et metu quidem, cùm ejuſmodi legem tulerunt, qua unica quæpiam, & maximè deteſtanda & idololatrica coli jubetur religio, atque adverſus eos, qui vel mutire contra auſi fuerint, atrociſſima quæque ſupplicia conſtituuntur. Cùm verò inſitum humano ingenio ſit, niti in vetitum, & negata cupere, atque ſuppliciis non multùm proficiatur apud eos, apud quos ὅσιον πολεμᾶν τὴν ἀλήθειαν; ulterius tentarunt, ut ratione etiam deſiderium iſthoc extingueretur, vel ſaltem ſufflaminaretur. Cùm enim omne deſiderium in cogitatione ſitum ſit, ne de veritate religionis cogitaret populus, operam dandam cenſuerunt. Atqui id aſſequi licuit ea ratione, quòd perſuaderi ei potuit, veritatis accuratam cognitionem vel nihil ad ſe pertinere, ſed ad certos duntaxat myſtas quoſpiam, vel impoſſibilem eſſe, vel non neceſſariam, cùm abundè religioni, & ſaluti ſuæ jam proviſum ſit. Qui ita à doctoribus ſuis inſtituti imbutique ſunt, facilè ab ſe impetrârunt, ut abjecta religionis cura omni fidem ſuam in Myſtarum, quos ſibi duces delegerunt, fide implicarent, contenti credere, quicquid illi credunt, ignari licet eorum, quæ credunt.

metu, qua ratione callida in populo extinguunt.

LII. Qua in re *implicitæ fidei*, hoc eſt, Labyrintho implicatæ, & εἰς ἄδηλον φερομένης *Carbonariæ*, & atro carbone notandæ, commentum mirè equidem ſimul infelicem creduli-

Quod inprimis implicita fidei, ſeu voluntariæ deditionis in

obsequium Papæ, commentum pertinet,

dulitatem populi, simul mysterium illud iniquitatis promovit. Carbonarii lepidam historiam lippis & tonsoribus notam Hosius *de authoritate Scripturæ fol.* 26. narrat. Est autem fides implicita, qua creduntur fidei mysteria non distinctè in semetipsis, sed in communi quodam principio, quod principium Romanenses, cùm non Scripturam, sed Ecclesiam, sive αὐτὸς ἔφα Pythagoricum Papæ faciant, planum est, illis fidem illam implicitam nihil aliud esse, quàm voluntariam deditionem in obsequium Papæ, sine ullo examine eorum, quæ is præcipit ad normam Scripturæ, seu, ut clariùs loquamur, firmum constánsque propositum loquendi faciendique, quod Papa cum devota sibi hominum multitudine loquitur, facitque. Ἀβασάνιστον τοῖς ἀναποδείκτοις καὶ ἀσύστοις συγκατάθεσιν *inexploratam rerum non demonstratarum, & non certarum assensionem* S. Theodoretus alicubi appellat. Proin etiam fidem vel cœcam faciunt, vel non nisi fumida & incerta face instruunt, utpote quam *per ignorantiam meliùs, quàm per notitiam describi*, Bellarm. *de Justif. lib. j. cap.* 7. diserte asserit. Hoc videlicet illi satagunt, ut populum ea ratione à veritatis studio avertant, animósque ejus humiles, & cœcæ obedientiæ habiles reddant, quo melius servire, ab ipsis solis pendere, neque ultra quicquam sapere assuescat. Atqui non fides *implicita* hæc *fides & ignorantia*, sed ἀποστασία *defectio* à vera fide est, secundùm testimonia Sacræ Scripturæ 1 Tim. IV. 1. 2. 3. 2 Thess. II. 10. 11. 12. 2 Tim. IV. 3. 4. Apoc. XIII. 16. Et qui suam fidem ea ratione hominibus substringunt ילדי זנונים *filii scortationum* insigniri solent.

nec non tyrannis ea, qua plebem, ceu merè animalem, à rerum Sa-

LIII. Quid porro dicam de vægrandi injuria, quam Mystæ illi sub mysteriorum sibi solis cognitorum prætextu faciunt plebi suæ, quam à rerum sacrarum cognitione, discretione & dijudicatione, ita arcent, ut sendentariam iis assen-

assentiendi in omnibus necessitatem solam, velut in subselliis plorantium, relinquant. Scilicet *homo spiritualis judicat omnia, ipse verò à nemine judicatur*. 1 Cor. 11, 15. *Spiritualis* autem ille homo, inquiunt, non laici, non Imperatores, Principes, nobiles, plebeji ulli, quantumvis pii & docti, sunt, sed Papa, & quos ille Spiritu suo dominante dignatur. Solus ille judicat omnia, & à nemine judicari potest. Ita Gratianus *dist.* 40. *Si Papa innumerabiles populos catervatim secum ducat primo mancipio gehennæ, ejus culpas redarguere præsumit Mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine judicandus*. Quin Bonifacius VIII. ipse *Extra. de major. & obed.* ita sibi lenocinatur: *Si deviat Spiritualis* (Papa) *à solo Deo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo: Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur*. Sic laici utpote Spiritu dominante, judicante omnia Papæ destituti, & servitutis Spiritu solo prædit, ψυχικοὶ, *animales* illi homines erunt. Atque id parùm, nisi etiam canes & porci, quibus secretum dare nefas est. Sanè jam Innocentius III. Papa *Epist. ad Metenses Decret. Lib. v. tit. 7.* plebem, ceu profanum vulgus, scripturarum sublimitate procul arcendum, & si quis *simplex vel indoctus*, hoc est, laicus præsumpserit aliquid, ex legis, bestiam, quæ montem tetigisset, lapidandam sciscentis præscripto (Exod. XIX. 13.) severè, imò planè λιθοτόμως vindicandum pronuntiavit. Hinc adeò judicium discretionis veri à falso eidem abjudicant, & in conciliis ad suffragandum vocari posse, quamvis pios & devotos, pernegant. Sic scilicet non aliter, per calcatam Dominicam familiam ad Divinos honores, Divinam potestatem grassandam fuerat.

trarum cognitione & discretione depellunt.

LIV. Jam & ipsa quoque sacra ceremoniásque ita Mystagogi Pontificii peragunt, ut Gentilibus neutiquam absimiles, non obscurè ab iis laicos ceu profanos arceant. Inde

Ab externi cultus intelligentia populum iidem arcent.

Inde murmura illa, & barbari populo susurri in consecratione Missæ, sacrúmque in scenica actione potissima silentium. Vix certè ovum ovo similius est, quàm exemplum supra ex Beleth aliísque narratum de Pastoribus, quòd verba consecrationis intellecta in agro repetiissent, cœlesti igne consumptis, & illud Tullii Hostilii Romani Regis, quem Plinius Lib. XXXVIII. 2. fulmine ictum narrat, eò quòd ex Numæ Pompilii libris eodem, quo ille, sacrificio Jovem Cœlo devocare conatus esset. Quomodo pari ratione Ludovicus Cœlius Rhodiginus *Antiq. Lect. lib. xvj.* 14. sic sacrificulum consecrantem cum eodem Tullio comparat. *Quæstio diu agitata veteribus est, insitne vis aliqua verbis, certa quadam enuntiantis formula? Equidem veritatis Christianæ cultor quis possit inficiari? Quando Princeps ille rerum ac summi Patris Filius, ex vero verus Deus, præfatione Sacerdotis brevissima sevocetur, eliciaturve à Cælesti sede. Cui simile quiddam & priscorum vana superstitio aut habuit aut credidit, quando & Tullium Hostilium Pisonis tradidere monumenta, ex Numæ libris eodem operatum sacro, Jovem elicere Cælo, quem & inde Elicium vocabant, quod in Fastis cecinit Poëta nobilis, conatum,* &c.

Quod lingua inprimis peregrina in Sacris usus demonstrat.

LV. Inde inprimis est, quòd sacris suis lingua peregrina populo incognita defungi solent. Salutationes scilicet, preces, hymnos, Canonem Missæ, alia, non vernacula, sed Latina duntaxat lingua exequi leges eorum moresque jubent. Ausique sunt Tridentini Mystæ *Sess. xxij. can. 9.* anathemati subjicere eos, qui vulgari duntaxat lingua Missam celebrari debere asserunt. Iidem *cap.* 8. Etsi, inquiunt, *Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur.* Mox tamen mandant Pastoribus, *ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per*

per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi sacrificii hujus mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis & festis, addita ratione, *ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat.* Attenti ad rem suam *aliquid exponi,* & sacrificii hujus *mysterium aliquod declarari* jubent. Sed væ illis, qui Canonem, consecrationem inprimis, vernaculo idiomate repræsentare sustinuerint. Mysteria scilicet ad Mystas, non ad *putidos idiotas,* uti supra Hardingus, pertinent. *Sacramenta* enim, ita Bellarminus *tom. 2. de effectu Sacram. lib. ij.* 31. scribit, *requirunt majestatem & reverentiam, ea autem melius conservatur, si utamur lingua non vulgari & communi.* Tametsi verò S. Paulus 1 Cor. XII. 2-23. pluribus prægnantibúsque argumentis peregrinæ in sacris linguæ usum oppugnat, idem tamen Bellarminus velut in os ei contradicens, repugnat: *Nulla,* inquiens, *est necessitas, quæ cogat vulgari lingua Sacramenta ministrari.* Quid ita verò, cùm Apostolo planè contra visum fuerit? *Sacrificii,* inquit, *oblatio magis in re, quàm in verbis consistit. Verba non diriguntur ad auditores instruendos, sed primò ad elementum consecrandum* &c. *Elementum autem nullam linguam intelligit; Secundò, ad Deum, qui omnes linguas intelligit.* Ut nihil de falsa sacrificii externi hypothesi, nec non de pugna effronti cum sancti Pauli effatis dicam, apertè etiam cum Tridentinis Mystagogis Cardinalis, Mystagogus & ipse, pugnat. Si enim, quod illi censuerunt, *Missa magnam populi fidelis eruditionem continet, atque iccirco frequenter aliquid, mysterium aliquod populo,* ne panem *petenti desit, qui frangat, declarandum est,* quomodo in Missa nihil est, quod ad auditores dirigatur, nulláque necessitas vernaculum idioma postulat? Quinimò cùm Missam multis verbis celebrari placuerit, & talibus

Cc quidem

quidem plerisque, quæ non tam ad Deum, quàm ad fideles communicantes diriguntur, quis furor agitavit sacrificulos, ut non ea saltem verba, preces hymnos &c. vernacula & intelligibili lingua pronuntiarent?

Mysterium impietatis in occultatione ea dogmatum & ceremoniarum detegitur.

LVI. Mysterium igitur impietatis manifestè subest; ut non immeritò jam olim quoque Salomon Prov. VI. 24. 26. אשת רע *mulieri malæ*, seu וזנה *meretriciæ* לשון נכרה *linguam peregrinam* tribuerit. Et Deus ipse Esaj. XXVIII. 11. 12. 1 Cor. XIV. 21. 22. ceu pœnam comminatus fuerit, quòd בלעגי שפה ובלשון אחרת *in sannis labii & lingua peregrina ad populum locuturus* Propheta sit. Mysterii prætextu Ecclesia Romana, Ecclesiarum omnium mater & Magistra (quo elogio ei Tridentini in hoc ipso argumento blandiuntur) abominationes Missæ tegit, ignorantiam populorum & Regum, Papæ vectigalem, ad conservandam, augendámque dominationem ejus apprimè utilem, alit, cœcam obedientiam fovet, denique hoc veluti charactere insignitos mystici Imperii sui subditos populos distinguit. Sicut nempe olim Romani subditis suis, Hispanis & Gallis Latinam; & Hispani Indis subactis Hispanicam linguam, ceu dominationis suæ insigne, & ut cum lingua in religionem & mores eorum transeant, imposuere: Ita simili inter alia consilio Latinus Jupiter populis sub jugum suum missis, Latinum in sacris minimùm (nam in cæteris id efficere non potuit) idioma frequentandum injunxit. Cujus rei argumentum non contemnendum est, quod una cum invalescente demum Romani Pontificis Seculo duodecimo παμβασιλεία mos universalis Latino, jam usurpari vulgò desito in sacris idiomate utendi invaluit. Primus enim Gregorius VII. Ulatislao Bohemiæ Principi vulgaris Sclavonicæ in sacris linguæ usu interdixit, non obesse dictitans, *quòd ante actis temporibus prohibitum id non fuerit, cùm Ecclesia multa dissimulaverit & tolerave-*

raverit, quæ post religionem Christianam stabilitam diligenti subtilique examine emendata fuerint.

LVII. Mysterii titulum Babylonicum in fronte Hie- VI. Quia
rarchia Papalis gerere comperitur *Sextò*, quia βάθη τῦ Σα- profundita-
τανᾶ *profunditates Sathanæ* fovet. Profunditates certè tes Sathanæ fovet.
Sathanæ Apoc. 11. 24. Jezabeli mulieri, Pseudoprophetissæ, fornicationum matri Spiritus S. his verbis tribuit: *Vobis autem dico, & reliquis, qui sunt Thyatiris, qui non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt profunditates Sathanæ, ut ajunt.* Quæ verba vel eum sensum habent, quòd Thyatirenses non nulli, Jezabelis asseclæ profunditatum Sathanæ notitiam jactaverint, juxta verba ὡς λέγυσι, *sicut dicunt*. vel, quòd profunditates, mysteria Dei præ se tulerint, quæ tamen reapse non βάθη Θεῦ *profunditates*, mysteria *Dei*, sed Sathanæ fuerint. Utróque sensu id Papali Hierarchiæ competit, & *Mysterii* titulum in fronte ejus conspicuum amplius reddit.

LVIII. Dixit de se S. Paulus 2 Cor. 11. ii. οὐ γὰρ αὐτοῦ dum & no-
τὰ νοήματα ἀγνοοῦμεν. *Non enim ejus*, Sathanæ, *cogitationes* titiam pro-
ignoramus, innuens, paucis, iisque in sacra adversus Sa- funditatum Sathanæ sibi
thanam militia veteranis datum esse omnes profunditates, solam arrogat.
abditos recessus & mysteria Sathanæ pernoscere. Hanc vero sublimem notitiam sibi Romani Mystæ præ cæteris arrogant. Illi enim non tantùm arcanos recessus Sathanæ penetrant, sed etiam rationem exorcismis suis invenerunt, quibus ille vinciri, ligari, expelli, & cum omnibus suis profunditatibus confundi valeat. Illi Sathanam subigunt, mysteria, profunditates suas ipsemet extricet; ad interrogata eorum, etiam malè curiosa, respondeat; uti Rituale Romanum, historiæ Exorcistarum, Cotoni inprimis ab Hadrianæ Fraxineæ Spiritu sciscitantis multa, quæ aliunde cognoscere spes non erat comprobant. Atque id agunt, ut orthodoxa religio apud circumstantes ludibrio expo-

 natur,

natur, Papisticæ contra superstitiones Sathanæ testimonio commendentur. Illi obtentu profunditatum & stratagematum Sathanæ, sibi solis exquisitius cognitorum, viam invenerunt, qua ejus machinationibus eatur obviam, veluti cùm promiscuam libidinem, vel saltem meretriciam, vitandi majoris mali gratia, permiserunt. Illi sapiunt soli, reliqui, veri inprimis Pastores Christi, ut umbra, simplices, imperiti, molitionum Sathanæ ignari, volant. Illi dicentes, se habere verbum, mysterium, quod non pervenerit ad omnes, quod à fidelibus judicari, probari non possit, tantùm non ore profitentur & jactant, se id non accepisse à Deo, cùm verbum Dei pervenerit ad omnes, explorari ab omnibus possit; adeóque non Dei illud, sed Sathanæ profunditates spirare.

Et profunditates quasdam Sathanæ pro Dei profunditatibus venditat, quod Theologia eorum scholastica inprimis comprobat.

LIX. Jam profunditates etiam quasdam, pro Dei profunditatibus venditant, quas non Dei, sed Sathanæ profunditates esse, liquidò constat. Pertinent eò Theologiæ Scholasticæ, verbo Dei è diametro ferè oppositæ, & ex humanis ut plurimùm testimoniis & philosophicis argutiis conflatæ subtilitates, quibus veritas non tam illustratur, quàm quæsitissimis tricis, strophis, & terminorum abditissimorum prodigiis involvitur, obscuratur, & denique evertitur. Etenim quæ difficilia sunt, contortis spinosis quæstionibus & distinctionibus, terminísque difficiliora & doctissimis etiam vel certè δυσνόητα reddit; quæ verò per se facilia & clara sunt, illa tortuosa & confragosa oratione reddit difficilima, & obscuris quæstionum futilium, nullam οἰκοδομῆς χρεῖαν, *ædificationis usum* nullum habentium, ad quas extricandas Oedipo aliquo conjectare, qui Sphingi interpres fuit, aut urinatore Delio opus videatur, involucris obducit, ut nodum in scirpo quæri appareat. Qui in ea exercitatos sensus habent, passim ceu *Magistri sententiarum* (hoc est בעלי חדות seu uti Daniel cap. VIII. 23. vocat

vocat מביני חידות *Intelligentes ænigmatum*, ſive ſpohiſmatum) *ſubtiles, profundi, Angelici, Seraphici, irrefragabiles, fundatiſſimi, reſoluti, valde reſolutivi, ſcientifici, invicti, acutiſſimi, univerſales doctores & Magiſtri* cluent. Imò Lutetiæ fuiſſe hominem, qui ſe *horribilem ſophiſtam* cognominaverit, non minùs glorioſam ſibi appellationem ratus, quàm *Africani* aut *Aſiatici*, Ludovicus Vives *de Diſcipl. lib. iij.* teſtis eſt. Vivis theologiam illam coloribus Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bitontinus, Pontificius ipſe, *Comment. ad Rom.* 6. ſic depinxit. *Divinæ Scripturæ olim quanto damno omnium negligebantur? Vigebat ſpinoſa & moleſta neſcio quæ Theologia de inſtantibus relationibus, quidditatibus, formalitatibus: itémque hæc omnia Syllogiſmis arctè contortis, & humanis duntaxat argutiis, quæ procul dubio qua authoritate recipiuntur, ea & refelli poſſunt, pertractabantur. Is ſublimis Theologus habebatur, qui majora portenta pro ſuis traditiunculis effingere ſciret, pretiíque pars erat gloriola inanis, non intelligi grandia illa verba, quæ alto ſupercilio inter mulierculas de ſacris literis philoſophantes trutinabant. Juraverunt univerſi verbi divini duces in Magiſtrorum verba. Hinc ſexcentæ ſectæ. Poſthabebantur Euangelia, Epiſtolæ; Chriſtiana Philoſophia deliteſcebat, à pauciſſimis tractabatur, ſed frigidè, non dicam inſincerè.* Nicolaus quoque Beroaldus Doctor Sorbonicus ita de Scholaſticis *Catal. Teſt. lib. xvj.* conqueritur: *Sophiſticis nugis arcanæ cœleſtéſque literæ jam diu nimiùm depravatæ ſunt, & obrutæ. Non enim ſtudiorum ingenia exacuunt iſtæ captiunculæ & tricæ ſpinoſæ, ſed mentis ſuccum omnem exhauriunt.*

LX. *Septimò myſterii* titulum Hierarchia Papalis in fronte impreſſum geſtat eo etiam jure, quia *ope myſterii, & titulis Spiritualis, Eccleſiæ Catholicæ* &c. *fucatis, terre-*

VII. *Quia ope myſterii, & titulis ſpiritua-*

lis Ecclesiæ Catholicæ &c. fucatis, terrenum sibi Imperium acquisivit, retinétque. Olim primatus Ecclesiæ Romanæ à solius loci prærogativa & dignitate pendebat.

terrenum sibi imperium acquisivit, retinétque. Res certè in propatulo est. Olim quidem Ecclesia Romana πρωτεῖα sua, seu prærogativam, quam supra reliquas Ecclesias obtinebat, non aliunde derivavit, vel derivare etiam potuit, quàm à loco, seu dignitate sedis, quæ Roma erat, urbs Imperatoria, orbis Domina. Qua ratione compulsi Patres Constantinopolitani Concilii Episcopo Constantinopolitano secunda πρωτεῖα assignarunt, quia Constantinopolis æque ac Roma Imperatori, sive Cæsari Imperii sedem daret. Ita enim sanxerunt τὸν μὲν τοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. *Constantinopolitanæ Civitatis Episcopum prærogativam honoris post Romanum Episcopum habere, eò quòd sit nova Roma.* Chalcedonensis quoque Concilii decretum ejusmodi fuit: τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. *Sedi senioris Romæ, quòd Urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt.* Ἴσα πρεσβεῖα *æqua privilegia* τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι *eadem consideratione motos sanctissimæ novæ Romæ* Patres eosdem tribuisse, additur. Nulla utrobique primatus à jure Divino, nulla ab institutione Christi, nulla à merito Petri, omnis à dignitate loci, quòd Romæ, quòd Novæ Romæ Episcopi essent, & constitutione Patrum ratio arcessitur.

Ea paulatim expirante, & nova Roma, Constantinopoli ejusdem æmula, ad mysteria Romani confugerunt, & eorum fuco sibi vindicarunt

LXI. Constantinopolis Episcopus, ceu æmulus dignitatis, Romano verè ἀληθῶς τῶν ὀφθαλμῶν *sudor in oculis* fuit. Cùm igitur sedis dignitas Constantinopolin paulatim migrâsset, & parùm jam ad extendendas potestatis fimbrias ratio à loci dignitate petita conduceret, astuto consilio ad *mysteria*, jusque Divinum confugere placuit. Duplicem porro potestatem & in Spiritualibus scil. & in temporalibus, supremam utramque (tametsi sub fuco Spiritualis, temporalis potestas nunquam non tecta fuit) Baby-

Babylonis illi architecti moliebantur. Et primò quidem *potestatem*
spiritualem supremam sibi vindicârunt callido figmento, *supremam*
quòd S. Petrus Romæ per plures annos Episcopus, supre- *tum in spi-*
mam in Ecclesiam universam potestatem obtinuerit, ean- *ritualibus,*
démque successoribus in eadem sede reliquerit. Commodè vero succurrebant verba Christi ad Petrum Matth. XVI. 18. 19. *Tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam* &c. *Tibi dabo claves Regni Cælorum* &c. Tametsi verò super petra, & non super Petro ædificaturum se Ecclesiam ipsamet Petra, Christus, spospondit, non defuêre tamen ingeniosis pictoribus colores, seu potiùs cerussæ, quibus id omne personæ Petri, Romanorúmque Pontificum, illinerent. Jam quidem A. CCCXXXVII. Marcus Papa in Epistola ad Anastasium & Ægypti Episcopos B. *Petri Ecclesiæ Romanæ semper immaculatæ opem ferentis* meminit. Sed suspecta omnino Epistola est. At Leo I. si ambitionis, quo urebatur stimulum demseris; verè Magnus A. CCCCL verba illa; *Tu es Petrus in Anniver. die Assumpt. Serm.* 2. 3. primus strenuè inculcavit; & Romanæ Ecclesiæ primatum iisdem inædificavit. *Petrus,* ita scribit, *petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur* &c. *in sua sede vivit potestas, excellit authoritas. Nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid aliis non negavit Christus.* Procedente tempore pro stabilienda παμβασιλεία Pontificis ὁ Ἀχιλλεὺς λεγόμενος fuere illa ipsa Christi ad Petrum dicta obtorto collo rapta: *Tu es Petrus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dabo tibi claves Regni Cælorum. Quicquid ligaveris in terra ligatum erit in Cælo: Quicquid solveris in terra, solutum erit in Cælo. Oravi pro Te, Petre, ne deficiat fides tua. Pasce oves meas, agnos meos.* Atque sic Petrus in petram; petra in Papam, claves Regni Cœlorum in Coronas, enses, lanceas, sceptra; pascendi munus in dominationem meram, plenám-

plenámque in maxima regna, denique in animas & corpora potestatem, metamorphosi inaudita, & mysteriis verbi Divini obtentui sumptis, conversa sunt. Verbo dicam. Mysterii prætextu mysticam seu Spiritualem potestatem supremam sibi Papa rapuit. Mysticæ seu Spiritualis potestatis supremæ prætextu & titulo supremum in temporalibus dominium invasit. Atque sic externa specie Rex *Mysticus*, non terrenus reapse, Rex terrenus non Mysticus evasit.

tum in temporalibus.

LXII. Potestatem utramque supremam, adeóque etiam in temporalibus imperitandi Imperatoribus, Regibus & Principibus pro lubitu, verbi Divini mysteriis in subsidium adhibitis iidem tuentur. Utrumque enim gladium spiritualem & materialem esse in potestate Ecclesiæ, illum Papæ, hunc Regum & militum manu, sed ad nutum & imperium Papæ exercendum, Bonifacius in Extravagante sua inde probavit, quia dicentibus Apostolis: *Ecce duo gladii*, Christus non dixit, nimis esse, sed *satis*; & Petro mox idem dixit: *Converte gladium tuum in vaginam.* Imperatores, Reges, Principésque quosvis deviantes de throno dejici, vitáque ipsa spoliari posse, mysteria Divini verbi docuerunt eosdem; veluti cùm Petro dictum est. Act. x. 13. *Petre macta, & manduca*, & Jeremiæ dictum est cap. 1. 10. *Ecce constitui te hodie super gentes & Regna, ut evellas, & diruas, & disperdas, & demoliaris, & ædifices, & plantes.* Quæ verba Pius V. in Bulla fulminante in caput Elisabethæ Angliæ Reginæ, eò torquet. Longum esset commemorare, quemadmodum Papa piis, uti loqui amant, fraudibus, seu potiùs per *Impietatis mysterium*, tum promissione veniæ remissionis peccatorum, tum excommunicationis fulminibus, & comminatione inferni, quibus olim Reges Francorum, Pipinum inprimis aliósque ludificabatur, excusso & Orientalium & Occidenta-

dentalium Imperatorum jugo, Romæ, Italiæque potioris dominum ſe fecerit; & paulatim etiam principum ſecularium dorſo inequitaverit.

Papæ imperium, quod erga principes ſeculares exercet, merè terrenum eſt, titulis ſpiritualis Eccleſiæ catholicæ &c. velatum.

LXIII. Conſtat ſanè, Papæ imperium, quo utitur erga Principes Seculares, *Eccleſiaſtici & Spiritualis*, nec non *Eccleſiæ Catholicæ* inani ſpecie & ſimulachro velatum, & indirecti, *directivi* imperii fuco illitum, ſuapte natura merè eſſe terrenum, ejuſdem planè indolis, cujus eſt imperium αὐτοκρατορικὸν Turcæ in obnoxios ſibi Principes, alióſque. Non tantùm enim locupletatus eſt Principum liberalitate territorio proprio, in quo perinde ac ipſi antehac, ſe αὐτοκράτορα gerit: ſed etiam eorundem cœca credulitate & indulgentia, negligentiáque ſupina auctus eſt imperio, quod in eorum imperio ſerviente ita gerit, ut eorum ſibi ſubjiciat mancipétque juriſdictionem, capita, fortunas & negotia, cum ſummo Imperio res, quæ ad jus & curam Summarum poteſtatum Secularium pertinent, ordinet, denique alienum imperium in ſe transferat. Revera enim Imperator Romanus Papa eſt, cui Germanus Rex, *Romani Imperatoris* titulo nequicquam ſe venditans, fidelitatis & obſequii juramentum per Delegatos præſtat. Par planè hodie eſt ratio Regum Chriſtianorum, quæ olim in Romano Imperio Ethnico fuit Ethnicorum Regum Attali, Maſiniſſæ, Cogiduni. Tam enim Reges Chriſtiani in Papali Imperio precariò regnant, quàm precario olim Reges Ethnici illi regnârunt, Imperatori ſervientes. Æquè novis his ac veteribus olim Imperatoribus quadrat illud uncialibus literis incidendum Imperii arcanum, quod his verbis Tacitus *Agric.* 14. 2. expreſſit: *Vetus ac jam pridem recepta populi Romani conſuetudo, ut haberet inſtrumenta ſervitutis & Reges.*

VIII. Quia in Hierarchia papali

LXIV. Impleat Babylonicum Hierarchiæ Papalis titulum *Octavò* non poſtremum tamen, neque leve certè

 illud,

est mysterium illud iniquitatis, quod Homini peccati S. Paulus tribuit, quódque occultè & latenter jam Apostolorum tempore operari cœpit, usque ad revelationem ejus.

illud, quòd in *Hierarchia Papali est mysterium illud iniquitatis, quod Homini Peccati S. Paulus* 2 *Thess.* ÿ. 7. *tribuit, quódque occultè & latenter jam Apostolorum tempore operabatur, & deinceps operari perrexit, usque ad revelationem ejus.* Verba S. Pauli sunt: τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται. *Nam mysterium jam operatur iniquitatis, tantùm qui detinet nunc, donec ex medio fiat.* Ubi μυστήριον ἀνομίας propriè *arcanum defectionis à lege* significans, operari, latenter scilicet & in occulto jam Apostolorum tempore dicitur, quia Spiritus seductionis jam tum in mundo occultè ad *ἀνομίαν defectionem à lege* disponere incepit, semináque adeò jecit, unde omnis seges erroris & mendacii deinceps enata est.

Modus, quo mysterium illud Apostolorum tempore operari cœpit, & deinceps operari perrexit, ex serie historia narratus.

LXV. De operatione occulta mysterii illius nullus dubitabit, qui ea, quæ in historia Papatus, seu Ecclesiæ Romanæ historia septem Periodis distincta, diximus, ad animum revocabit sedulò. Paucis ut multa complectamur, jam Apostolorum haud dubiè tempore Sathanas cogitationem multorum animis instillavit, de ἀδείᾳ licentia, seu securitate quodam carnali qua quidvis liceret, dummodo Christo nomen darent, baptizarentur, epuli sacri communione fruerentur, & cum Christianis veris verbi audiendi gratia congregarentur; non cogitantes interim de fidei ingenuitate, & ratione veræ justitiæ Dei. Apostoli certè de ψευδαδέλφοις *falsis fratribus*, & de illis qui Christum non ἁγνῶς καὶ εἰλικρινῶς *castè & sincerè* prædicabant, quæsti sunt. In iisdem Sathanas effecit, ut vellent, dicerentque, quod plurimos velle & dicere animadverterant: ut intumescerent unus contra alium super alio, dicentes: Ego sum Cephæ, ego Pauli, ego Apollo. 1 Cor. 1. 12. IV. 6. Unde in Ecclesiam Schismata, contentiones, susurri incesserunt: ut essent φιλοπρωτεύοντες, qui se vellent nominari, sectatorésque

que pro honore eorum æmulantes haberent: ut multi docerent hæreses pestiferas de persona inprimis & excellentia Christi, eaque occasione οἱ φιλοπρωτεύοντες occasionem damnandi hæreses dictatoria potestate, imperandique pædagogicè nanciscerentur: ut persuaderentur multi, rectiùs controversias per præscriptionis & traditionis authoritatem, quàm per demonstrationem ex scripturis definiri; unde prætextu traditionis apud se potiùs quàm alios depositæ, locus datus est sedi uni se se efferendi supra alias: ut doctrina de libero arbitrio, justitia fidei, & unico sacrificio Christi minùs accuratè, cautè, solidè & perspicuè traderetur, illustraretúrque; multíque adeò in primariis illis fidei capitibus hærerent, alii etiam aberrarent planè: ut Philosophi, Rhetores, Causidici conversi ad Christum, adeóque neophyti, præ cæteris loquendi & docendi in Ecclesia facultate pollerent; eáque Christianam fidem defendentes, & idololatriam, stultitiámque gentilem oppugnantes dicerent, scriberéntque incautiùs, quæ qualia essent, & à quo Spiritu proficiscerentur, ipsi nesciverunt, futura suo tempore materies traditionis non scriptæ, & præceptionis humanæ, ut extra scripturam prolata ab antiquitate minimùm robur authoritatémque haberent: ut unus multis præesset Episcopus, & potestate eximia χειροθεσίας seu impositionis manuum polleret: ut controversiæ & lites fidelium ad Episcopos tales deferrentur; unde incrementum sumpsit eorum cupiditas, ut potentes esse & jurisdictionem ac territorium habere cuperent, ditatíque adeò in pace magnis opibus sunt, illi maximè, qui cæteris Episcopis in magnis urbibus præsidebant: ut Imperatores desideriis Episcoporum facturi satis iisdem jurisdictionem concederent, prohiberéntque officialibus suis, ne quenquam in judicio Episcopi avellerent: ut Synodica & Cæsareá authoritate cathedrarum Patriarchalium, Romanæ inpri-

inprimis in Occidente, ceu primæ ſedis, πρωτεῖα confirmarentur: ut Romanam ſedem ſequerentur multi, ea opinione dementati, quaſi à Deo præ cæteris electa eſſet, ut ejus beneficio Eccleſia à corruptione cuſtodiretur, ut Epiſcopus unus in reliquos omnes dominium, adeóque titulum & poteſtatem Epiſcopi univerſalis & œcumenici affectaret (quod à Conſtantinopolitano primùm factum) obtinerétque (uti Romanus mox à Cæſare Phoca obtinuit) ut ipſe ille λεγόμενος Epiſcopus univerſalis paulatim ab obedientia Imperatoris deficiens, ſui juris ſe faceret, & denique ſe ſe ſupra πᾶν σέβασμα, ſeu ſupra dictum σεβαστὸν, aliáſque ἐξουσίας ὑπερεχούσας *poteſtates eminentes* efferret, quod qua ratione, quibuſve gradibus proceſſerit, in loco narravimus. Saltem liquidò inde conſtat myſterium iniquitatis illud, ſeu defectionis à Lege Dei ἐν μυστηρίῳ in myſterio, hoc eſt, multis artibus, & per latentia incrementa operans, in Romana denique Eccleſia ita conſummatum eſſe, ut non fruſtra Spiritus S. titulum μυστήριον *Myſterium*, ceu perenne quoddam monumentum in fronte ejus naſcendum legendúmque à quovis ſanæ mentis, exſculpſerit.

Argumenti II. Concluſio. LXVI. Concludimus, Cœtui religioſo Hierarchiæ Eccleſiæ Romanæ dominantis, & titulum μυστήριον Myſterium impietatis ſcilicet illud Babyloni Magnæ tributum, & rem eo titulo ſignificatam, jure, ceu propriam & eximiam tribui, adeóque eum, cæteris paribus ***Babylonem Magnam, Matrem fornicationum & abominationum terræ*** quomodo ipſe Spiritus S. Apoc. XVII. 5. ſtatim per μυστηρίων titulum illum explicat haberi judicarique meritò.

DIS-

DISSERTATIO OCTAVA

QUA

Hierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem Babylonem Magnam esse, probatur Tertiò, quia in Civitate Magna, Religiosa, in populum Magnum, Christi nomen professum licet, Clero dominanti parentem, septem collibus, totidémque provinciis distinctum, multorúmque Regum potentia suffultum, imperium obtinet.

SECTIONIBUS TRIBUS DISTINCTA.

Quarum *Prima* Civitatis Romanæ Religiosæ dominantis magnitudinem; *Secunda*, subditos imperio ejusdem parentes; *Tertia* Imperium ipsum explicat.

SECTIO PRIMA

QUA

Hierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantis, esse Magnam illam Civitatem, Religiosam, Babylonicam asseritur.

BREVIARIUM.

I. *Character tertius Babylonis Magnæ est, quòd in Ci-*

 vitate

vitate Magna, Religiosa, Imperium in populum Magnum gerit.

II. *Demonstrationis partes.*

III. *Civitas non locum munitum, sed civium potestate imperandi præditorum cœtum notat.*

IV. *Duplex civitas, Sancta fidelium, & tyrannica conscientiæ dominantium.*

V. *Nec non Imperium duplex, Summum & subalternum, distinguitur.*

VI. *Babylon Magna Civitas est religionis prætextu dominans, similis Romæ veteri, per Summum & subalternos orbi dominanti.*

VII. *Talem civitatem esse Hierarchiam Ecclesiæ Romanæ, Syllogismo generali demonstratur,*

VIII. *ejúsque propositio asseritur.*

IX. *Assumtionis diffusa probatio. Concilii Tridentini de Hierarchia Ecclesiæ definitio.*

X. *Veteris & Pontificiæ Hierarchiæ differentia.*

XI. *Presbyterorum & Ministrorum Hierarchiæ ordines à Concilio Tridentino distincti.*

XII. *Veteris Ecclesiæ ordines.*

XIII. *Eorundem in Hierarchia Pontificia degeneratio turpis.*

XIV. *Hierarchia omnis Verbo Dei repugnat,*

XV. *& Hominis peccati, Adversarii Christi nota est.*

XVI. *Papatus iniqua dominatio.*

XVII. *Hierarchiam non Spiritus Christi, sed genius Romuli peperit,*

XVIII. *fatentibus non obscurè Petro Messia de Sibilia,*

XIX. *Auberto Miræo,*

XX. *Gregorio VII. P. ipso, & Petro de Marca,*

XXI. *Bellarmino,*

XXII. *Justo Lipsio,*

XXIII.

tum quia se non à Christo, sed Pontifice immediatè institutos profiteri coguntur:

XLII. *tum quia juramentum Pontifici, ceu vasalli Principi præstant:*

XLIII. *tum quia Archiepiscopi pallium à Pontifice subjectionis suæ symbolum redimunt.*

XLIV. *Clerici gubernantes secundi ordinis sunt Præpositi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Vicarii & Consiliarii.*

XLV. *Clerici Ministrantes enumerantur Septem ordines, à Concilio Tridentino definiti.*

XLVI. *Non verbi Divini & sanioris antiquitatis præsidio, sed gentilium veterum & Judæorum æmulatione introducti sunt.*

XLVII. *Sacerdotum munera,*

XLVIII. *nec non Diaconorum, Subdiaconorum &c. quibus nominibus res convenientes nullæ subsunt.*

XLIX. *Canonicorum Collegia,*

L. *& distinctio frivola in Regulares & Seculares.*

LI. *Neutri verè Canonici sunt.*

LII. *Clerici Adjuvantes Doctores Theologiæ, Juris Canonici, Catechismi, Prædicatores, Scholastici Ecclesiæ enumerati.*

LIII. *Clerici supererogantes sunt Monachi.*

LIV. *Monasticæ vitæ primordia olim fuerunt Cœnobitæ, Anachoretæ & Saraibitæ.*

LV. *Pontificiorum Monachorum à veteris Ecclesiæ Monachis discrimen ingens panditur.*

LVI. *Cum Monachis veteribus Saraibitis convenire eosdem asseritur; & eorundem vivum emblema ex Apoc. ix. 3. &c. arcessitur.*

LVII. *Monachatum Pontificium non aliud esse, quàm Politicum seu Babylonicum Papæ vaframentum, probatur*

probatur Primò, quia ordinum beneficio populus in obsequio Pontificis continetur:

LVIII. *cui rei non parùm ordinum exemptio à potestate Episcoporum confert.*

LIX. *Secundò, quia Cœlibatus omnium Clericorum, adeòque etiam Monachorum Regni Pontificii nervus est.*

LX. *Tertiò, quia ex multitudine ordinum non parùm Romana Curia dotatur.*

LXI. *Quartò, quia Monachorum innumerabilis multitudo substinendo Regno Pontificio non parùm conducit.*

LXII. *Monachi Pontificii sunt vel Anachoretæ, vel Cœnobitæ.*

LXIII. *Basis ordinum sunt regulæ quatuor, Basilii, Augustini, Benedicti & Francisci.*

LXIV. *Mendicantium ordinum genera sunt quatuor, Augustinenses, Prædicatores, Carmelitæ & Franciscani, ad quos plerique alii referuntur. Non mendicantes sunt vel Canonici Regulares, vel non Canonici.*

LXV. *Monachis Jesuitæ anne accensendi sint?*

LXVI. *Monachorum & Jesuitarum differentia in pluribus, horúmque deplorata malitia.*

LXVII. *Monachorum & Jesuitarum incredibilis multitudo Civitatem magnam Cleri dominantis propalat.*

LXVIII. *Monachatui affines sunt Confraternitates, quarum origo à Roma Ethnica arcessitur.*

LXIX. *Fraternitatum differentia, quas inter Rosario-Marianæ excellunt.*

LXX. *Pontificiæ tyrannidis adminicula eas esse, probatur.*

LXXI. *Civitatem Magnam Cleri dominantis claudunt Equites, tum Honorarii, seu Torquati:*

LXXII. *tum Sacri seu Religiosi, partim minùs propriè tales:*

LXXIII. *partim propriè tales, dicti Milites Ecclesiæ, iique vel primi, Johannitæ, Teutonici, Templarii, & S. Lazari; vel à primis derivati, qui plerique honorarii facti sunt.*

LXXIV. *Vigent hodiéque Teutonici, seu Milites Mariani,*

LXXV. *& Johannitæ, seu Equites Hierosolymitani, qui Syria & Rhodo pulsi nunc Melitam incolunt.*

LXXVI. *Civitatis Cleri Romani dominantis magnitudo, amplitudo & potentia concluditur, atque eandem Babylonem Magnam esse, cæteris paribus, inde evincitur.*

Character tertius Babylonis Magnæ est, quòd in Civitate Magna, Religiosa, Imperium in populum Magnum gerit.

I. Babylonis Magnæ character eximius *Tertius* est, quòd in Civitate Magna, Religiosa, imperium in populum Magnum animalem Christi, nomen professum licet, Clero dominanti parentem, septem collibus, totidémque Provinciis distinctum, multorúmque Regum potentia suffultum, obtinet. Definiri enim Babylonem, *quòd sit Civitas Magna, sedens super aquas multas, Bestiam, habentem septem capita, seu totidem montes, & decem cornua, atque eidem dominans*, ex Apoc. XVII. 3. 7. 8. &c. 18. constat. Sensum porro definitionis hujus eum esse, *quòd Babylon sit Civitas Magna, Religiosa, imperium exercens in populum animalem, Christi nomen professum* &c. paulò fusiùs *Differt. iij.* 14. *&c.* 18. 20. 21. *&c.* 32. 33. *&c.* demonstravimus.

Demonstrationis partes.

II. Atque hunc quoque Characterem Hierarchiæ, seu Clero Ecclesiæ Romanæ quadrare aprime, nunc pariter demonstrandum fuerit. Cúmque in universum tria esse hujus ἀποδείξεως capita constet; *Primum* scilicet, quòd Hierarchia Papalis sit Civitas Magna, Religiosa; *Secundum*, quòd subditos eadem habeat, Bestiam scilicet, à qua ceu

ceu Domina & Rectrix portatur; *Tertium*, quòd imperium in subditos illos summum exerceat; de primo in præsentiarum σὺν θεῷ πελάμῃ agere constituimus.

III. Civitatem illam Magnam, quæ Regnum gerit in Reges terræ, non tam urbem quampiam mœnibus cinctam (quanquam à tali, ceu acropoli quadam, originem ducere potest) quàm multitudinem sociatam per caput aut capita, utentem potestate imperandi, tanquam jure Metropoleos *Differt. iij.* 14-18. ostendimus. Prophetæ Metaphoras & ænigmata amant. Ita *Civitas* est quasi Civitas, forum, quasi forum. Ita Apoc. XI. 8. *Civitas Magna ubi Christus crucifixus est*, Romanam ditionem notat. Aristoteles certè Polit. II. I. πολίτην seu *Civem* definit, ᾧ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς, ἢ κριτικῆς *cui potestas est capiendi Magistratum vel deliberativum, vel judicialem*. Civitas igitur multitudo justa erit eorum, quibus ista committuntur, quod statim etiam Philosophus arguit. Cùm enim in societate certis legibus unita sit ordo duplex, imperantium & parentium, ii, qui potestatem habent imperandi, potiùs Civium nomine veniunt, quàm ii, quibus necessitas parendi incumbit. Unde Apoc. XVII. 18. *Civitas illa Magna*, quæ Babylon vocatur, *à Regibus terræ*, quibus imperat, ut *imperans* à *parente* disertè distinguitur. Ut omnino civitatem eam, quæ βασιλεύει *regnat*, distingui ab iis, qui reguntur, atque eos qui regunt, non itidem qui reguntur, πόλεως *Civitatis* nomine venire, necesse sit.

Civitas non locum munitum, sed civium potestate imperandi præditorum cætum notat.

IV. Duplex omnino in S. literis memoratur πόλις *Civitas*, una est πόλις ἁγία *Civitas Sancta*, quæ Regem habet filium Regis cujus mentio est Apoc. XI. 2. 8. 13. Hæc aliquando conculcatur à gentibus; aliquando à gentibus repurgata est; aliquando in dispersione est, aliquando in collectione, instar fratrùm unà coram Domino sedentium, & tum in emphasi *Civitas* vocatur, habens domos, portas, muros,

Duplex civitas, Sancta fidelium, & tyrannica conscientiæ dominantium.

muros, custodes murorum. Vocatur etiam πόλις θεοῦ *Civitas Dei* Apoc. III. 12. XXII. 9. nec non ἠγαπημένη *dilecta* ibid. cap. XX. 9. Ἱερουσαλὴμ καινὴ *Hierosolyma nova*, cap. XXI. 2. Rursus est *Civitas*, quæ in sacris literis infamatur, neque aliud est, quàm Regnum terrenum homines dominos habens, & per eos fidei & conscientiæ imperans, in quorum nomine ii, qui ad eam pertinent, loquuntur & agunt, parentes ipsorum legibus, & judicia ipsorum reverentes. Ita Psal. LV. 10. 11. mentio est עיר *Civitatis*, in qua est *vis injusta & contentio*, vanitas ac molestia in medio ejus. Hæc illa est Babylon Magna, quæ κατ' ἐξοχὴν vocatur πόλις μεγάλη *Civitas Magna* Apoc. XIV. 8. XVI. 9. XVII. 18. XVIII. 16. 18. 19. 21. & πόλις ἰσχυρὰ *urbs robusta*. Apoc. XVIII. 10. S. Augustinus *de Civit. Dei lib. j. cap.* vocat *Civitatem terrenam*, quam *Civitati Dei gloriosissimæ* opponit, quæ terrena Civitas, inquit, *cùm dominari incipit, etsi populi serviant, ipsa ei dominandi libido dominatur*. Atque de hac heic loci, non de illa sermo est.

Nec non Imperium duplex, Summum & subalternum, distinguitur.

V. Duplex porro etiam est imperium, Summum & Subalternum, seu delegatum. Illud ei, qui summam & ἀνυπεύθυνον potestatem habet, cujusque actus alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi possint; competit. Estque vel penes unum in Monarchia, vel penes plures, in Aristocratia & Oligarchia, vel penes omnes in Democratia, & Ochlocratia. Hoc verò illi convenit, qui à summa potestate dependens, inferioribus præest & imperat, pro Summæ potestatis lubitu, ita ut actus ejus universi illius juri subsint, & voluntatis ejus arbitrio rati vel irriti censeantur. Ita S. Petrus hortatur 1 Ep. II. 13. 14. *Subjecti estote cuilibet humanæ creaturæ propter Dominum*; εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις. *Sive Regi, ut supraëminenti, sive Præfectis, ut missis* (delegatis) *per eum.* Ubi

Ubi *Regis* imperium ſtatuitur ὑπερέχον *Supereminens*, ſeu ſummum, cui parendum ſine exceptione ulla, ſi contra Deum imperata non militent; *Præfectorum* verò, ceu Magiſtratuum inferiorum, ſubalternum ſeu Delegatum, utpote quibus parendum non ſimpliciter & ſine exceptione, ſed tanquam miſſis à Rege, & poteſtatem ſuam à Rege ducentibus. De hoc imperantium ὑπαλληλισμῷ celebre illud S. Auguſtini, *C. qui reſiſtit. xj. q.* 3. citatum. *Ipſos humanarum rerum gradus adverte: Si aliquid juſſerit Curator, faciendum: non tamen ſi contra Proconſul jubeat: aut ſi Conſul aliquid jubeat, & aliud Imperator, non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire. Nec hinc debet minor iraſci, ſi major prælatus eſt.*

VI. Civitas igitur dominans, qualis Babylon, ſocietas eſt imperantium ſeu dominantium, quorum alii ſummam poteſtatem; alii ὑπάλληλον ſubalternam, & à ſumma delegatam habent. Civitatis ejuſmodi exemplum nobile, argumentóque noſtro appoſitum, Reſpublica Romana Ethnica, cui Papalis Hierarchia ſucceſſit, ſuppeditat. Summa ibi poteſtas & Imperium una cum tempore viciſſitudinem habuit, quam his verbis Tacitus *Annal. lib. j. cap. j.* explicat: *Urbem Romam à principio Reges habuêre. Libertatem & Conſulatum L. Brutus inſtituit. Dictaturæ ad tempus ſumebantur: neque Decemviralis poteſtas ultra biennium, neque Tribunorum militum conſulare jus diu valuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio: & Pompeji Craſſíque potentia citò in Cæſarem; Lepidi atque Antonii arma in Auguſtum ceſſere, qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub imperium accepit.* Summa igitur poteſtas primò penes Reges, dein penes Conſules, mox penes Dictatores, poſt penes Decemviros, Tribunos militum, Cinnam, Sul-

Babylon Magna Civitas eſt religionis prætextu dominans, ſimilis Romæ veteri, per Summum & ſubalternos orbi dominanti.

 lam,

lam, Pompejum, Crassum, tandem penes Cæsares fuit. Potestas inferior, seu Delegatum Imperium inferiorum Magistratuum fuit, qui pro variante Reipublicæ forma ipsi quoque varii fuerunt, prout & ipsorum magistratuum variata ratio est. Fuerunt autem alii in urbe, seu urbani: alii extra urbem, seu *Provinciales*, quorum differentias & propria munera diligenter scriptores Romanorum Magistratuum, Pomponius Lœtus, Alexander ab Alexandro, Dominicus Floccus, Wolphgangus Lazius, Onuphrius Panvinius, Johannes Rosinus, aliique pertractârunt. In urbe v. g. fuerunt *Præfectus* vel *Tribunus Celerum*, qui Equitibus præfuit: *Consules*, qui Senatui præerant, varia pro vario Reip. statu potestate: *Censores*, qui censendis civium bonis, aliisque vacabant: *Prætores*, seu juris disceptatores jus loco Consulum dicentes: *Præfecti urbis*, qui cùm reliquis in rebus urbi præerant, tum causas quoque, quibus provocatio competeret, capitalésque omnes, paucis exceptis intra urbem, & centesimum ab urbe lapidem dijudicabant: *Dictatores*, gerendi cum summa potestate belli, vel comprimendæ seditionis causa, extra ordinem creati: *Decemviri* leges cum consulari potestate scribentes: *Quæstores*, puta urbani, vel ærarii, vel parricidii & rerum capitalium: *Tribuni militum, plebis, Ædiles Curules, Cereales* &c. Extra urbem in Provinciis erant *Proconsules*, qui constituta Monarchia à Senatu in Provincias eas, quæ populi fuerunt, missi sunt: *Prætores Provinciales, & Proprætores*, qui Provinciis in prætura præerant: *Legati Proconsulum & Proprætorum, Quæstores Provinciales, & Proquæstores; Triumviri, Quinqueviri, Septemviri ac Decemviri coloniæ deducendæ*, & si qui similia munia alii plures in Provinciis obiverunt.

Talem civitatem esse VII. Similem propemodum Civitatem Magnam, Societa-

cietatem dominantium ad nutum unius Domini, sed Religiosam illam, quoad prætextum saltem, si obtinere in Hierarchia Papali demonstraverimus, Civitatem illam Magnam Babylonicam in ejus gremio cubare, ultro liquebit. At obtinere eam in Papali Hierarchia, sequenti Syllogismo evincimus.

Hierarchiam Ecclesiæ Romanæ, Syllogismo generali demonstratur.

Quicunque Cœtus tuetur Hierarchiam quandam, velut divino jure institutam, atque adeò ipse societas est amplissima dominantium veteri Civitati Romanæ in Urbe & Provinciis dominanti haud absimilis, nisi quòd religionis prætextu, secus quàm illa dominium exercet: ille est Civitas illa Magna dominans, Religiosa, adeòque cæteris paribus, Babylon Magna.

Atqui Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans tuetur Hierarchiam quandam, velut Divino jure institutam &c.

Ergo Hierarchia seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans est Civitas illa Magna dominans, Religiosa, adeòque cæteris paribus Babylon Magna.

VIII. Propositio dubitatione caret, & tantùm non ipsius Sanderi, maximi illius Monarchiæ Papalis patroni, disertis verbis exprimitur. Ille enim *de Visib. Monarch. libr. viij.* 8. ex Tertulliano sic Babylonem Magnam demonstrat: *Ubi est Imperii superbia, ubi magnitudo Regiæ urbis, ubi Christianorum persecutio viget: ibi certè Babylon esse, ibi Civitatem Magnam esse, ibi Mulierem illam super populos, linguas & gentes sedere cum quâ Reges terræ fornicantur, agnoscitur.* Tametsi verò vetus etiam Ecclesia fidelis in Concilio Nicæno Hierarchiam quandam servandi in amplo imperio Ecclesiæ domicilio, ordinis gratia probavit, usurpavitque, illam tamen nec ex divino jure arcessivit, nec vel in fidem & conscientias, vel in potestates seculares exercuit, ac proin ad famosam illam Civitatem Babylonicam non pertinuit, licet Sathanas iis initiis

ejúsque propositio asseritur.

initiis occasionibúsque ad structuram Civitatis Babylonicæ abusus fuerit. Habet quoque vera Christi Ecclesia Civitas Sancta Dei, *Hierarchiam* quandam, in qua tamen ἀρχὴν ἱερὰν *sacrum Principatum* & *Dominatum* non ullus homo, sed solus Dominus ille Cœlestis Jesus Christus, Princeps & Consummator fidei ac vitæ, Rex, Caput & Dominus Ecclesiæ obtinet. Habet ille in Ecclesia suos Ὑπηρέτας, Διακόνους, Οἰκονόμους, *Ministros, Diaconos, Oeconomos*. Cæterùm cùm τὸ ἐξουσιάζειν *dominationem*, adeóque ἀρχὴν *principatum* omnem severè interdixerit iisdem, non tam ἱεραρχίας *Hierarchiæ*, quæ vox propriè *principatum religiosum* quendam ab Ecclesiæ Ministris alienissimum tinnit, quàm ἱεροδουλείας, & ἱεροδιακονίας *hierodulia & hierodiaconiæ*, *sacræ servitutis & ministerii* rationem eorum munus habet, uti sapienter etiam Critici non nulli Tridentinorum decretorum, apud S. Polanum *Hist. Concil. Trid. lib. viij. p.* 670. animadverterunt, quos frivolis ratiunculis Pallavicinus *Hist. Concil. Trid. Lib. xxj.* 13. non tam refellit, quàm perstringit, omne disputationis suæ momentum, non in Christi, non in Apostolorum, sed in Hyperbolici illius doctoris Pseudo-Areopagitæ, Bonaventuræ, Scoti, Pighii, & similium Papalis Principatus hyperaspistarum authoritate collocans. Denique tempus etiam fuit, & Deo volente, erit, quo vera Ecclesia Christi floruit, florebitque, adeóque etiam, juxta verba Hieropsaltis Psalm. XVIII. 20. educta est, educeturque במרחב *in latum*. Néque tamen propterea fuit, erítque unquam Ecclesia ita amplificata, vel amplificanda *Civitas* illa Magna Babylonica, tum quia cætera omnia imparia sunt: tum quia ὑπεροχὴ, & typhus ille ἀρχῆς seu Principatus Babylonici, semper ab illa alienissimus fuit, eritque.

Assumtionis diffusa probatio.

IX. Neque minùs Assumptio ἀνεξαγώνιος est, utpote quæ non tam probatione in re confessa & manifesta, quàm expli-

explicatione tali, quæ Babylonicam illam Civitatem Magnam in aprico collocet, indiget. Et in universum quidem Papatus ita Hierarchiam crepat, ut Concilii Tridentini Patres anathema in eos, qui Hierarchiam propriè dictam in Ecclesia locum habere negant, vibraverint. Verba Concilii *Sess. xxiij. Can.* 6. sic sonant: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divina ordinatione institutam, quæ constet ex Episcopis, Presbyteris & Ministris, anathema sit.* Paulò superius *cap.* 4. Hierarchiam illam esse velut *castrorum aciem ordinatam* definit, & ad ordinem hunc Hierarchicum præter cæteros Ecclesiasticos gradus, etiam Episcopos, utpote qui in Apostolorum locum successerint, pertinere, declarat. In ordinata illa castrorum acie supremus Hierarcha Papa constituitur, tantùm non omnipotens dominus. Ei Patriarchæ, Archiepiscopi seu Primates, Metropolitani, Episcopi; his Presbyteri jure Divino, ex hypothesi, Episcopis minores, & jurisdictione Ecclesiastica destituti; reliquique ordines majores & minores succenturiantur. Reverà igitur in Hierarchia sunt מלך *Rex*, שרים & *Principes*, Papa Imperator; Cardinales & Episcopi, instrumenta dominationis, tribuni subuno Imperatore.

Concilii Tridentini de Hierarchia Ecclesiæ definitio.

X. Olim quidem Ecclesiasticam quandam Hierarchiam inter Episcopos & Ecclesias jure non Divino, sed humano & merè Ecclesiastico institutam esse, Spalatensis Archiepiscopus, Marcus Antonius de Dominis de *Rep. Eccl. libr. iij.* 2. solidè probavit. Nempe, sicut ad vitanda Schismata & confusionem tollendam singulorum *Episcoporum* potestas certis sedibus, & Diœcesibus arctata fuit: ita eodem jure & eadem ratione, ut unitas & concordia inter ipsos Episcopos sarta tecta conservaretur, Provinciæ etiam Ecclesiasticæ divisæ & multiplicatæ fuerunt, ut unius Provinciæ Episcopi in rebus quibusdam Ecclesia-

Veteris & Pontificiæ Hierarchiæ differentia.

 sticis

ſticis illi Epiſcopo ſubeſſent, qui in Metropoli Civitate ſuam ſedem haberet. Hinc *Metropolitani*. Rurſus eandem ob rationem Metropolitani plures incertis caſibus uni Primati in Regia Civitaté reſidenti ſubditi ſunt. Hinc *Primates* ſeu *Archiepiſcopi*. Demum & Primatibus & Metropolitanis & Epiſcopis unus Patriarcha in tota regione aliqua, in certis ſimiliter præſidebat. Hinc *Patriarchæ*. In hos quoque Romanus Patriarcha maturè imperium ambivit, ſed exambivit ſeriùs. Inde jure non Eccleſiaſtico Chriſtiano, ſed Antichriſtiano & tyrannico Papa ſeu *Pontifex Maximus*, Vicarius ſcilicet Chriſti, & Oecumenicum Eccleſiæ Caput.

Presbyterorum & Miniſtrorum Hierarchiæ ordines à Concilio Tridentino diſtincti.

XI. Presbyterorum & Miniſtrorum, quos ad Hierarchiam Synodus Tridentina refert, & ſeptem numero, puta *Sacerdotes*, ſeu *Presbyteros*, *Diaconos*, *Subdiaconos*, *Acoluthos*, *Exorciſtas*, *Lectores* & *Oſtiarios*, par ferè ratio eſt; ſi Presbyteros, docentes ſcilicet & Diaconos, inſtitutos à Chriſto & Apoſtolis, ſed diverſiſſimo inſtituto, exceperis. Paulatim quidem inſtituti ſunt ab Eccleſia ordines non nulli, ceu utiles convenientéſque ad varios Eccleſiæ uſus & εὐταξίαν, ut majore cum dignitate, gravitate & decentia publicus Dei cultus in Chriſtianis cœtibus paulò frequentioribus exerceretur, utque per varios iſtos ordinum diverſorum gradus illi, qui ſe in Clerum, hoc eſt, cenſum & catalogum hominum Eccleſiaſticorum dabant, paulatim in diſciplina Eccleſiaſtica informarentur, adeóque ad ſupremum Epiſcopatûs vel Presbyteratûs ordinem & gradum aliquando promoverentur. Ita igitur *Oſtiarii* conſtituti ſunt, ut ab Eccleſiæ introitu arcerent ignotos, externos, minimè Chriſtianos, excommunicatos, energumenos, quin & ipſos Catechumenos, Synaxeos tempore. *Exorciſtæ* qui primò quidem, vigentibus adhuc donis, ſolo vocis imperio in Chriſti nomine, precibus item ac jejuniis

juniis

juniis dæmonia ejiciebant, postea, dum in Templis sacra peragebantur, extra Ecclesiam ad Energumenos exibant, & præscriptas precum formulas de libro recitabant, quibus subinde, non semper tamen, Deo volente, & ad totius Ecclesiæ intus precantis intercessionem, non vi ulla exorcismorum Energumeni liberati sunt, quibus precibus superstitione invalescente, etiam certæ exorcismorum formulæ adjunctæ sunt: *Lectores* & *Cantores*, qui sacris hymnis atque psalmis decantandis, nec non precum formulis, Euangelio & Epistola prælegendis, populo inserviebant; Pastoribus interim, seu Presbyteris Eucharistiæ benedictionem & distributionem sibi solis reservantibus, sacrásque ad populum conciones recitantibus: *Acoluthi*, qui non ut famuli & vilia quædam mancipia, sed ut Ministri honorabiles Episcopis, jam supra Presbyterorum conditionem evectis, assisterent, honoris causa eos perpetuò affectarentur, variísque in rebus ad officium eorum pertinentibus iis inservirent, testésque adeò essent bonæ & laudabilis eorum conversationis, & consortio eo ipsi quoque ædificarentur: *Subdiaconi*, qui Ecclesia amplis possessionibus jam locupletata, Diaconis sublevandis adjuncti sunt. Hæc munera pro ratione temporum, locorum & personarum, ac inprimis in majoribus & matricibus Ecclesiis, quas Episcopales, Cathedrales, Metropolitanas, Patriarchales vocabant, in quibus ob maximum populi concursum cultus Dei magna cum celebritate frequentabatur, utilia esse potuerunt, inprimis cùm vel aliæ non fuerint, vel paucæ certè fuerint Christianorum scholæ, quibus S. Ministerii candidati in universa disciplina Ecclesiastica instruerentur.

XII. Cæterùm una cum Papatu, seu Pontificia in spiritualibus & temporalibus dominatione, nec non Missæ sacrificio invalescente, & radices in Ecclesia agente, Hie- *Veteris Ecclesiæ ordines.*

 rarchia

rarchia illa, ordinésque, munera sua amiserunt, & servata nomina diversam planè potestatem acquisiverunt. Accidit planè, quod Augusti ævo accidisse Tacitus *A. l.* 4. 1. memorat, his verbis: *Verso civitatis statu nihil usquam prisci & integri moris: omnis exuta æqualitate jussa principis aspectare;* quódque apud eundem *Hist. l.* 37. 5. Otho ad milites suos dixit, Galbam *falsis nominibus severitatem pro sævitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia & contumelias militum disciplinam appellare.* Planè sic verso Ecclesiæ statu, & libertate in dominationem, fide in perfidiam degenerante, nihil prisci integríque, qualis nominibus Hierarchiæ ordinúmque veterum inerat, moris supererat, falsísque nominibus dicti adhuc sunt, dicunturque *Episcopi*, qui non docent, non pascunt, ex Dei verbo; *Sacerdotes*, qui, sacrificio vero destituti, non sacrificant; *Diaconi*, qui Ecclesiarum satis jam dotatarum oblationibus non inserviunt; *Acoluthi* Episcoporum, qui eos, canibus venaticis, equitibus, militibus prætoriis potiùs quàm talibus comitatos, non eo modo, quo olim, assectantur ampliùs; *Exorcistæ*, qui nec voce humana, nec Divina potestate Dæmones pellunt; *Lectores* qui ita legunt, ut à populo non intelligantur. Quid ergo? Nominibus illis Hierarchiæ & ordinum mera jam dominatio, adulterina officia, pinguésque præbendæ subsunt.

Eorundem in Hierarchia Pontificia degeneratio turpis.

XIII. Cùmque olim Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, Episcoporum dignitas ab humana Ecclesiastica institutione Civitatum magnitudinem, Secularémque dignitatem respiciente, arcessita tota fuerit, uti vel inde maximè liquet, quòd in Conciliis omnes circa Hierarchicam subordinationem illam controversiæ non nisi ex statutis Ecclesiasticis, & Civitatum typis Secularibus terminatæ sunt: Eò tandem audaciæ Papalis factio prorupit, ut Hierarchiam suam, quæ tantùm à vetere illa Hie-

Hierarchia, quantum mus farina aſperſus à domino piſtrini diſtat, ad jus Divinum & ſucceſſionem Apoſtolorum reducere, non dubitaverit. Sanderus enim *de viſib. Monarch. lib. vij. num.* 6. diſſertè pertendit, Patriarchas, Primates, & Metropolitanos ſuccedere Apoſtolis in pleniori poteſtate, non item Epiſcopos. Bellarminus quoque *de Rom. Pontif. libr. iv.* in fine aſſerit, Petrum inſtituiſſe Patriarcham Alexandrinum & Antiochenum, qui ab eo authoritate accepta toti ferè Aſiæ & Africæ præfuerint, & Archiepiſcopos creare potuerint, qui poſtea Epiſcopos crearent. Quæ vaniſſima eſſe, & ſcenæ duntaxat inſervire, quis non animadvertit? Quomodo enim ad ſucceſſionem Apoſtolicam majoris poteſtatis reducetur Epiſcopus v. g. ille, qui ex Seculari ſola Provinciarum diviſione, aut civitatis in Metropolin erectione, aut ex ſola Eccleſiaſtica inſtitutione *Extravag. Sol. de Præb. & dign. in om.* factus eſt Metropolita, ſede ſua Epiſcopali in Metropolitanam erecta? Qui verò originem ordinis Hierarchici inter Epiſcopos merè humanam accuratiùs cognoſcere lubet, viros doctiſſimos, Salmaſium *de Primatu Popæ*, M. Antonii de Dominis *de Rep. Eccl. lib. iij.* 2. Theophilum Banoſium *de Politia Civitatis Dei*, *& Hierarch. Rom. cap.* 13. 15. adeat licet.

XIV. Nuſpiam certè Chriſtus, nuſpiam Apoſtoli Hierarchiam, nedum Hierarchicum ordinem ullum inſtituerunt, quin potius Eccleſiæ Miniſtris principatum, dominationémque quibuslibet interdictis prohibuerunt. S. Paulus 1 Cor. XII. 28. 29. &c. Eccleſiæ miniſteria varia recenſens, nullam memorat ἱεραρχίαν, nullos ἄρχοντας *principes*, νομοθέτας *Legislatores* nullos. Nulli ibi loquentes verba inaudita, & ſola authoritate controverſias fidei determinantes; nulli peccata ex poteſtate remittentes; nulli Regibus, Principibúſque dominantes; nulli ſacerdotes

Hierarchia omnis Verbo Dei repugnat,

 propriè

propriè dicti conficientes corpus Domini, & illud pro peccatis vivorum & mortuorum offerentes quæ in papatu utramque paginam faciunt.

Et Hominis peccati, Adversarii Christi nota est.

XV. Quin potiùs idem eum, qui se ὑπεραίρεται, *effert* supra Deum, & πᾶν σέβασμα, *omne Augustum*, Hominem Peccati, & Adversarium Christi 2 Thess. II. 3. 4. vocat. Neque obscurè etiam genium ingeniúmque Hierarcharum in Pseudapostolis ἐν τολμῇ ϗ ἐπάρσει *in audacia & elatione gloriantibus*, depingit 2 Cor. XI. 20. *Toleratis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis se effert, si quis in faciem vos cædit.* Hæc illorum indoles est. Primò καταδουλοῦσι *in servitutem redigunt* legibus suis, statutis, canonibus, placitis, imperiis Ecclesiam subjiciunt. Atqui non in Regno Christi est servus & liber Gal. III. 28. sed in Regno Antichristi Apoc. XIII. 6. Ibi sunt alii מחקקים *Legislatores*, ἄρχοντας & κατακυριεύοντας, alii עבדים δοῦλοι *servi*, qui δεσποτικῷ Imperio & jurisdictioni hominum subjacent. Tum Hierarchæ κατεσθίουσι *devorant*. Finis enim δεσποτείας *dominii* est πλησμονὴ σαρκὸς *expletio carnis*. Qui dominari volunt, iidem etiam bona Ecclesiæ, & oblationes matronarum in potestate sua habere volunt, ut ex illis ditentur, & luxurient, dum propter eorum luxum & fastum alii esurire & egere coguntur. Neque tantùm sic oblata *devorant*, sed etiam λαμβάνουσι *accipiunt* non oblata, nihil reliqui facientes, ut Ecclesia unctiores reddat, ne ad fastum luxúmque quidquam desit. Præterea etiam ἐπαίρονται, *se extollunt* præ se ferentes neminem, nullius judicio se subjicientes, exactorémque fidei & vitæ neminem tolerantes, & ne quidem τῇ ἐξουσίᾳ ὑπερεχούσῃ *potestati supereminenti* obsequentes, quin potiùs τὰς δόξας βλασφημοῦντας *glorias præcellentes convitiis incessentes* 2 Pet. II. 10. & se supra Deum & omne σέβασμα exaltantes 2 Thess. II. 4. Denique εἰς πρόσω-

πον δέ-

τὸν δέρουσι *in faciem cædunt.* Admonitiones increpationes illorum sunt merè ὑβριστικαὶ, maximo cum probro conjunctæ, quomodo Græcis ὕβρις summum opprobrium habitum est παίειν κατὰ κόῤῥης *cædere maxillam.*

XVI. Hæc cum Hierarchia, humana potestate conjunctissima esse, facilè Papatum vel per transennam inspicienti liquet. Ibi enim πρῶτον πίστιν primum fidei principium habetur, omnem animam propter salutem æternam subesse debere Papæ, & si non directè, indirectè saltem omnia & bona & corpora fidelium, sive baptizatorum in ipsius potestate esse. Quemadmodum autem ea potestate Papa utatur, in propatulo est. Accipit, devorat homines & excoriat, Reges sibi mancipat, de thronis suis eos deturbat, arbores Libani exscindit, imparentes sibi interficit, bella in eos excitat, aqua & igni iis interdicit, excruciat, collo inequitat omnium, judicat omnes, à nemine judicandus ipse. Atque dominationis hujus Papalis instrumenta se reliqui gerunt omnes juramento, grandíque pretio ad id conducti, auctoratíque.

Papatus iniqua dominatio.

XVII. Hierarchiam talem non Spiritus Christi, vel Apostolorum, sed genius Romuli peperit. Si enim religionis inanem & ficulneum prætextum, parandæ retinendæque dominationi arreptum dempseris, de cætero Hierarchia Romana, seu Civitas illa magna Babylonica, & civitas Romana dominans vetus apprimè conveniunt. Conferat, cui lubet, inter se Papatus & Imperii Veteris statum, Annaléſque Cæsarum, qui ante Papas Romæ rerum sunt potiti, à Suetonio, Capitolino, Lampridio, aliis consignatos, & Paparum, qui Cæsaribus successerunt, juxta historias à Platina, Onuphrio, Guicciardino conscriptas perpendat, comperietque facilè Papalem statum se Cæsarum Imperio Civitatis potestatísque magnitudine, & dominationis superbia adæquasse.

Hierarchiam non Spiritus Christi, sed genius Romuli peperit.

XVIII.

fatentibus non obscurè Petro Messia de Sibilia,

XVIII. Sed age εἰκότως μάρτυρας Domesticos testes, Pontificios scilicet promamus, ex quibus Hierarchiam Romanam ad amussim veteris Romæ dominantis factam, adeóque à genio non Christi, sed Romuli prognatam esse, magnitudinemque Civitatis dominantis religiosæ, veteris Ethnicæ magnitudinem referre, constet. Ex pluribus paucos citare in testimonium juvabit. Primus esto Petrus Messias de Sibilia, Hispanus, qui Silvam variæ Lectionis scripsit, Venetiis editam. Inter alia sic ille: *Translata Imperii sede ab Occidente in Orientem, ut Imperator Constantinopoli, sic Papa Romanus Romæ omnium Ecclesiarum Monarcha sedere affectavit, & tandem Regnum sibi & suis constituit. In locum Consulum, qui olim Imperium Romanum administrabant, successerunt Cardinales non duo numero, sed tot, quot Papæ Hierarchiæ Principi visum fuerit. Archiepiscopi Ducibus sunt adæquati; Episcopi in locum Comitum suffecti; vicarii Episcoporum, Præsidum Imperii dignitatem, Præpositi Præfectorum vicem referunt; Archipresbyteri in locum tribunorum militum substituti sunt; Cancellarii Tribunos plebis repræsentant; Archidiaconi munus Prætoris; Decani Centurionis; Subdiaconi locum Duum virium occupant.* Idem Phalangem Clericorum Hierarchiæ ministrorum incredibilem commemorat.

Auberto Miræo,

XIX. Succedat Aubertus Miræus Bruxellensis, author Notitiæ Episcopatuum Orbis Christiani. Is Dedicatione ad Guidonem Bentivolum Rhodiorum Archiepiscopum, sic veteris Romæ gentilis & Papalis Hierarchicæ quoad Imperii magnitudinem analogiam explicat: *Ecclesiæ politia, qua nihil illustrius aut laudabilius, verè vinculum est & fulcrum, quod orbem Christianum universum, ligat ac sustinet. Unum ea semper habuit caput & Principem, Romanum Pontificem, legitimum Christi in terris*

vica-

vicarium, Petrique Apostolorum antesignani successorem. Huic proximi olim Patriarchæ quatuor primarii, sed longo proximi intervallo. Sequuntur Metropolitani, sive Archiepiscopi, & longa serie Episcopi singulis suæ diœceses, provinciæ, parœciæ sunt attributæ & commissæ. Divisionis hujus typos ac formas Ecclesia à Republica Romana, qua nulla nec major, nec sanctior (superavit ergo etiam sanctitatem Romæ Papalis) *nec bonis exemplis ditior fuit, magna ex parte est mutuata, adeò quidem, ut veteres Provinciæ Ecclesiasticæ cum civilibus ferè conveniant: quod ante nos & alii observarunt. Sacræ istius politiæ fundamenta primis jacta fuêre seculis: cultu deinde Christiano publicè per Imperatores stabilito, facies tota paulatim magis nosci cœpta. Cujus quidem lumen apud extremos hodie Indos, & alio sole calentes Antipodes effulget, quo populi Romani nomen nunquam penetravit. O felix Roma, gentium domina, & fato quodam ad imperium orbis terrarum nata! Mira profectò in te Dei benignitas. Cùm armorum vim eripuit, supremam legum authoritatem attribuit: nimirum ut* (juxta verba Leonis Papæ *serm. 1. de natali S. S. Petri & Pauli*) *civitas Sacerdotalis, & Regia, per sacram beati Petri sedem, caput Orbis effecta latiùs præsideret religione Divinà, quàm dominatione terrenà.*

XX. Quòd ab aliis observatum esse, quòd divisionis diœcesium, provinciarum, parœciarum formam Ecclesia à Republica Romana mutuata sit, Miræus notat, verum est. Ipse enim olim etiam Gregorius VII. *lib. vij. epist.* 35. id ipsum observavit, & suavi figmento auxit. *Provinciæ,* inquit, *multo ante Christi adventum tempore divisæ sunt, maxima ex parte, & postea ab Apostolis & B. Clemente prædecessore nostro ipsa divisio est renovata: & in capite provinciarum, ubi dudum Primates legis erant seculi,* *Gregorio VII. P. ipso, & Petro de Marca,*

 ac pri-

ac primò judiciaria potestas ipsis quoque civitatibus, vel locis celebrioribus Patriarchas vel Primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges Divinæ & Ecclesiasticæ poni & esse jusserunt: ad quos Episcopi si necesse fuerint, confugerent, eósque appellarent, ut ipsi nomine primatu fruerentur, & non alii. Reliquæ verò Metropolitanæ Civitates, quæ minores judices habebant, licet majorum comitum essent, haberent tamen Metropolitanos suos, qui prædictis justè obedivit Primatibus: sicut & in legibus Seculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, sed aut Metropolitanorum aut Episcoporum nomine fruerentur &c. Nuper etiam Petrus de Marca Parisiensis Archiepiscopus *de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. j. cap.* 3. 4. &c. Ecclesiarum divisionem per Provincias ad exemplum Imperii Romani veteris, ab Apostolis ipsis factam, ab Episcopis, qui erant in majoribus urbibus constituti, per incrementa variorum temporum auctam, tandémque ultimam dispositionem consecutam esse, pluribus probare connixus est.

Bellarmino, XXI. Non prætereundus est Bellarminus, qui *Præfat. ad libros de membris Ecclesiæ militantis* Papam *Imperatorem* in terris, Episcopos *Tribunos militarium*, & Presbyteros *Centuriones cohortium* facit. *Licet*, inquit, *Imperator Ecclesiæ primus & summus Christus ipse sit, tamen quòd non solùm in terris, sed etiam in cœlis & apud inferos magnos exercitus habeat, quodque solis cœlestibus præsentiam suam, ut par est, aspectabilem præbeat, vicarium Imperatorem ac Ducem exercitui, qui est in terris, Apostolum Petrum ejusque successores summo cum Imperio & potestate præfecit. Ergo Romanus Pontifex, hæres Apostolorum Principis castra in terris ducit, Christúmque ipsum nobis mortalibus quodammodo repræsentat. Proximi sunt Episcopi, qui tribunorum militarium locum-*

locum sortiti, imperant etiam ipsi non totis castris, sed agmini quisque suo. Siquidem in partem solicitudinis, ut nostri loquuntur, vocati sunt, non in plenitudinem potestatis. Sub his Presbyteri quasi quidam Centuriones singulis cohortibus præsunt, Diaconi, Subdiaconi, Lectores atque Administri cæteri, vel signa atque Aquilas gerunt, vel tubis ac tympanis accendunt ad prælium vel huc atque illuc celeriter discurrentes, mandata Imperatoris ac Ducum ad milites perferunt.

XXII. Unum addam, cùm plures possem, Justum Lipsium, qui editis de Magnitudine Romana libris duobus, sic Lectorem affatur: *Romanus ille Dictator, ut sic appellem, & Pontifex fulcrum aut vinculum est, quod sustinet, quod ligat labentes aut diffidentes in malè compacto hoc ædificio partes. Abite non impii solùm, sed imperiti, qui aliter nobis constat hanc ipsam Romam, & sacrum in ea Imperium fuisse & esse velut Anchoram fluctuanti diu Europæ. Mira Dei benignitas in hanc urbem! cùm legionum vim eripuit, legum attribuit, cùm armis imperare noluit, sacris indulsit, & sic quoque facit eam decus, tutelam, columen rerum. Atqui senatus ille vetus non est, inquiunt. Non ille, sed alius: & vide mihi in ista purpura ex omni nostro orbe selectos Proceres, moribus prudentiâ, annis spectandos. Si vetus ille Cyneas redeat, & hunc consessum videat, nihil ambigat vel cum Regibus iterum vel cum Heroibus comparare. Quid tributa? non tam multa, sed magis innoxia & ultronea sunt. Quid legationes gentium? nec ea desunt, & ex noto ignotòque orbe (tanta diffusio majestatis hujus est) concurritur, & jura & leges Sacrorum hinc petunt. Ipsi Reges & Principes adeunt & inclinantur & obnoxia capita uni huic capiti submittunt. Quid Principes aut homines loquor? aërei, terreni, inferi Spiritus sive Genii verentur ac*

Iusto Lipsio.

 tur ac

tur ac trepidant, & Cœlestem illam in terris potestatem vel inviti ac reluctantes agnoscunt. Hactenus ille, ita Romam Pontificiam laudibus ferens, ut ejus majestatem amplitudinemque supra veteris illius extollat.

Ex Hierarchia speciebus de Civitatis illius magnitudine judicari potest.

XXIII. Amplius verò de magnitudine & amplitudine Civitatis hujus Religiosæ dominantis liquebit, si Hierarchiæ species paucis attigerimus. Inde enim constabit, in Amurathis vel Solimani alicujus aula Constantinopolitana vix tot repertos unquam esse ministros, quot sunt in Hierarchia Pontificis Romani Clerici.

Clerici ex Possevino in Gubernantes, Ministrantes, Supererogantes, & Adjuvantes divisi.

XXIV. Pontificii igitur ad modulum Hierarchiæ Cœlestis, à Pseudo-Areopagita effictæ, Ecclesiasticam suam Hierarchiam composuerunt. *Est enim*, uti Lælius Zecchius *de Rep. Eccl. cap.* 129. ex Glossa quadam Canonica citat, *militans Ecclesia à triumphante exemplata.* Sicut igitur Cœlestis Hierarchia ab Areopagita illo personato in tres species, atque singulæ hæ species in tres iterum ordines tributæ sunt: ita Ecclesiastica ab iis dividitur, subdividitúrque variè, prout vocem *Hierarchiæ, Ecclesiastici, Clerici* alii latiùs, angustiùs alii accipiunt. Latiore significatu Antonius Possevinus *Biblioth. Sel. lib. iij.* 20. Clericos, seu Ecclesiasticos universos in quatuor classes partitur, puta in *Gubernantes*, quibus Papam, Cardinales, Patriarchas & Primates, Archiepiscopos seu Metropolitanos, Episcopos & Decanos accenset: *Ministrantes*, quorum in classe Parochos seu Curatos, Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, Exorcistas, Lectores, Ostiarios, Canonicos & Oeconomos collocat: *Supererogantes*, puta religiosos, Monachos & Sanctimoniales: denique *Adjuvantes*, Doctores Theologiæ, Juris Canonici, Catechismi, Prædicatores, Disputatores, Scholasticos, Ecclesiasticos. Quàm solida hæc sit partitio, nil hic moramur. Ea saltem ad indagandam Civitatis Baby-

Babylonicæ amplitudinem uti, haud præter rem fuerit.

XXV. De Papa, Pontifice Maximo, supremo Civitatis illius Principe ac Domino in præsentiarum multa dicere nihil attinet. Olim quidem Julius Cæsar summa potestate, quæ penes populum ante fuerat, devictis Pompeji in Hispania filiis, & reliquiis belli civilis confectis, rapta, Pater Patriæ, Sacro Sanctus Imperator, Dictator perpetuus renuntiatus est. Deinceps successores quamprimum ab exercitu proclamati consalutatique, & à Senatu comprobati sunt, teste Dione Cassio *Lib.* LIII. omnia, quæ in populari forma multum valuerunt, cum ipsis nominibus in se recipiebant, creati etiam Pontifices Maximi, & legibus insuper omnibus soluti, quo ipso solo omnia agendi licentiam, supremámque totius Reipublicæ potestatem adepti sunt. Horum in locum successit Papa, qui Pontifex Maximus (cùm Christus Ἀρχιερεὺς Sacerdos Magnus Pontifex dici satis habuerit) Episcopus Oecumenicus, Optimus, Maximus in terris Deus, Reipublicæ Christianæ Monarcha invictissimus audit.

Gubernantium Princeps Papa successor est Imperatorum veteris Romæ.

XXVI. Aulam Papa habet amplissimam splendidissimámque. In ea visere est colluviem immensam cubiculariorum, atriensium, pedissequorum, equisonum, satellitum, vasallorum, clientulorum, coquorum, hortulanorum, architectorum, pictorum, cantorum, aliorum, qui luxu diffluentes Apicios, Hortensiósque omnes, teste locuplete Apicio, Papali Archimagiro, superant; quibúsque visis, quis non cum Bernhardo *libr. iv. cap.* 2. *Consid. ad Eugenium*, exclamat: *Dæmonum magis quàm ovium pascua hæc sunt. Scilicet sic factitabat Petrus.*

XXVI. Curialium, qui domi forísque rebus Papæ procurandis inserviunt, caterva & multitudo tanta est, *Curiales.*

quanta locustarum illarum, quæ totius Ægypti terræ superficiem operuerunt. Sequentes idem, qui supra, Lælius Zechius enumerat: *Illustrissimi Cardinales, Illustrissimi Legati, Vicarius Domini Papæ, Summus Pœnitentiarius, Vice-Cancellarius, Camerarius, & Clerici Cameræ, Thesaurarius, Præsidens Cameræ Apostolicæ, Advocatus pauperum, Advocatus Fiscalis, Procurator Fisci, Commissarius Cameræ Apostolicæ, Clericus Sacri Senatus, Auditor Cameræ Apostolicæ, Datarius, Secretarius Domini Papæ, Referendarius, Auditores Rotæ, Protonotarius Apostolicus, Gubernator urbis, Senatores urbis, Judex Marcelli & turris Nonnæ, Visitatores Carcerum, Advocati Consistoriales, Procuratores Sacri Palatii, Solicitatores Causarum, Notarii, Congregationes Curiæ Romanæ, Judex delegatus*, quorum singulorum munera statúmque idem Zechius explicat. Addi possunt *Inquisitores, Magister sacri Palatii, Sacellanus, Bibliothecarii*, alii, qui in solennibus processionibus, coronationibus & funeribus Pontificum comparere, mimúmque suum peragere solent.

Collegia & Congregationes variæ.

XXVIII. Functiones, quas ferè Papa ipse ἀμέσως obire solet, κατὰ λεπτὸν Christophorus Marcellus, Archiepiscopus Corcyrensis, in Ceremoniali Romano descripsit. Ne verò nimium curis laboribúsque distringatur ipse, Collegia, congregationésque varias instituit, in quibus causæ multiplices disceptantur, definiuntúrque, ea lege si Papa approbet. Collegia ejusmodi sunt *Consistorium*, κατ᾽ ἐξοχὴν ita appellatum, ex Papa & Cardinalibus unà congregatis conflatum, cujus rationem, consultationes, modum, ordinémque Gabriel Palæotus libro *de Sacri Consistorii Consultationibus* edito edisserit: *Cancellaria Apostolica* à Paulo Barchinonensi *in Practica Cancellariæ Apostolicæ* descripta. *Camera Apostolica*, seu rationum thesau-

thesauri, ærarii Papalis: *Pœnitentiaria Apostolica*, quæ etiam *Prætorium* appellatur, cujus minister præcipuus est Pœnitentiarius Papæ, & in qua casus conscientiæ reservati inprimis ventilantur, nec non tesseræ veniales, venalésque cuduntur: *Curia Papalis*, seu forum externum Ecclesiastico-Papale, quod contentiosum seu litigiosum nuncupari suevit, utpote in qua lites & causæ ex toto Orbe Papali Romam delatæ disceptantur. *Rota Romana*, ubi lites Romanæ urbis & Patrimonii Petri tractantur: *Collegia Officialium & Magistratuum* tum Romanorum, tum inferiorum, per totam Romaniam, ditionem Avinionensem, & ubicunque Papa territorii jus habet: *Officium Inquisitionis fidei*, taurus ille Phalaridis decantatissimus: *Sacræ Congregationes Cardinalium*, quindecim numero, veluti pro sancta inquisitione; pro signatura gratiæ; pro erectione Ecclesiarum & provisionibus Consistorialibus; pro ubertate annonæ; pro sacris ritibus & Ceremoniis; pro classe paranda & conservanda; pro indice librorum; pro interpretatione & executione Concilii Tridentini; pro gravaminibus sublevandis; pro universitate studii Romani; pro consultationibus Regularium; pro consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum; pro viis, pontibus, & aquis curandis; pro Typographia Vaticana; pro consultationibus negotiationum status Ecclesiastici; denique *Collegium de propaganda fide*, per quod, ceu emissitios oculos, quicquid in omnibus Orbis angulis, vel pro, vel contra se agitur, cernere potest. Quem ipsum etiam in finem tum Romæ Generales Ordinum resident, quibus omnia memoratu digna Provinciales communicant: tum Cardinales ibidem constituuntur Protectores Nationum, Religionum, domuum piarum, ad quorum indicia vivæ vocis oraculum ex tripode illa reddatur: tum Primates & Archiepiscopi à suffraganeis suis certiores de cunctis redditi,

diti, digniora scitu Monarchæ suo, sive scripto, sive coram referunt: tum denique *Legati à Latere*, & *Nuncii Apostolici* quaquaversum amandati, & per omnes Orbis stationes in excubiis dispositi, nihil non in aulis & Comitiis Regum ac Regnorum, in Curiis & Conciliis Dioecesanis Episcoporum, in Comitiis Provincialibus quorumvis Regularium expiscantur, & ad magnum illum Piscatorem Romanum deferunt.

Inter Magistratus Papæ Cardinales eminent, qui non propriè, sed æquivocè tales sunt.

XXIX. Inter Magistratus Papæ, seu Hierarchas ejusdem gubernantes principem dignitatis locum *Cardinales* purpureo pileo, abollâque fulgentes, obtinent. De eorum Origine aucta unà cum incrementis Pontificiæ potestatis, potestate, munere & prærogativis in Historia Papatûs *ss*. LXXIV. LXXV. LXXVI. LXXVII. fusiùs egimus. Pauca de iis ut hoc etiam loco dicam, ex prima institutione fuerunt illi Clerus ordinarius Ecclesiæ Romanæ, quorum proin Officium & munus ἴδιον fuit idem cum officio Clericorum, Presbyterorum inprimis, ut scilicet singuli in suis titulis, seu Ecclesiis, quibus præerant, populum ex Verbo Dei erudirent, Sacramenta administrarent, in regimine Ecclesiæ Romano Episcopo inservirent, aliáque munera Ecclesiastica obirent. Cardinalatus proin ab Ecclesiæ titulo & officio separatus, inane & cassum nomen est. Quòd si etiam Conciliabuli illius, quod Romæ sub Silvestro coïit, actis creditur, in Cardinalium institutione veteris Romæ imago per Christianam renovata est hactenus, quòd sicut illa tribunos plebis urbe abesse vetabat; sic hæc Cardinales ejusdem urbis cardine constrictos tenet, *cap*. 3. 6. 7. Nisi fortè Scenicus ille Imperator instituto purpuratorum Patrum hoc Collegio, veteris Romæ Senatum effinxit, interpolavítque. Porro Romanæ urbis ἐξοχὴ temporalis sicut Ecclesiæ ipsi Romanæ, ejúsque Episcopo, ita etiam Clero ejusdem occasionem se efferendi præbuit.

buit. Adeò enim ſucceſſu temporis à ratione & forma vera Cardinalium deflexerunt, ut jam nullo modo ampliùs ſint veri Cardinales, non modò illi, qui propriarum Eccleſiarum ſunt Epiſcopi, ſed ne reliqui quidem etiam Romæ reſidentes, quia omnes illi ſunt Eccleſiæ adventitii, & aſſuti, non propriè incardinati. Titulos quidem ad ſpeciem aſſumunt, ſed in titulis nullum prorſus officium, quod ſit proprium Chriſti miniſtrorum Cardinalium ſeu fixorum, exercent. Plurimi quoque tituli ſunt privatarum Eccleſiarum, ſive Oratoriorum, etiam Monachorum & Regularium, in quibus publica nulla in plebe fideli erudienda, & eccleſiaſticis ac ſpiritualibus officiis fovenda, nutriendáque exercitia vigent, quæ proin Eccleſiæ non ſunt niſi æquivocè Cardinales, etſi quæ veræ Cardinales ſunt, illæ proprios habent parochos ſubſtitutos, ſatis viles abjectóſque, revera tamen veros Cardinales, dum titulos alii, nihil minùs quàm Eccleſiaſticis in eccleſiis Cardinalibus, muneribus fungentes, poſſident.

XXX. Quid ergo? Qui Cardinales ſequiore ætate, qua *dominatio* mera in Eccleſiam inceſſit, dicti ſunt, hodiéque dicuntur, ſub appellatione Eccleſiaſtica Principes Seculares, dominationis Pontificiæ inſtrumenta præcipua fuerunt, & ſunt hodiéque. Mira ſcilicet pudendáque metamorphoſi, conculcato inprimis à Pontifice Imperatore, & ſede *ejus* ad maximum in terris faſtigium evecta, Secularem in typhum toti tranſierunt, æmuli facti Principum, imò ipſi potiùs Reguli, vel ſummis Regibus de honore & dignitate controverſiam facientes, & galerum ſuum rubrum aureo diademati æquiparantes; adeò ut Bellarminus in Apologia contra ſereniſſimi Angliæ Regis Jacobi Præfationem, & in plena rerum luce eos Regibus adæquare, adductis triobolaribus & propudioſis ratiunculis non *nullis*, non dubitaverit. *Dicuntur Cardinales*, ita Iſidorus

ſub appellatione Eccleſiaſtica Seculares Principes, Regum ipſorum æmuli.

Hh rus

rus Mosconius *de Majestate Ecclesiæ militantis Lib. j. part. j. cap.* 6. ampullatur, *vicem gerentes Apostolorum, filii, primi gradus amoris, Pontificis filii summæ dilectionis, & fratres, imò pars corporis ipsius, Cardines Ecclesiæ Dei, Patres Spirituales, Consiliarii, coadjutores & Papæ assessores, Reges, Patres Conscripti in diademate Principis, Principes, Senatores & Patritii Maximi, Luminaria Ecclesiæ, Seniores populi, stellæ fixæ in Cælo, Illustrissimi, potentissimi, lucernæ ardentes, Divi, Venerabiles, repræsentantes non solùm Clerum Urbis Romæ, sed & ipsam Ecclesiam, in quibus residet Majestas Reipublicæ Christianæ.* En quàm propinquo gradu Majestatem Pontificiam Semiviri illi, radiante galero conspicui, contingunt!

Episcopis & Archiepiscopis successu temporis prælati, & à Pontifice mirificè elati ditatique.

XXXI. Cardinalibus igitur præcipuis status sui columnis Papa utitur. Illis solis Pontificem creandi jus detulit, eodem Populo, Principi, Cleróque erepto. *Illos* rubri galeri honore decoravit, concessitque, ut præcederent primò Episcopis, quibus quondam suberant; dein Archiepiscopio; ac tandem etiam Patriarchis. Amplissimos Diœcesium, Provinciarúmque multarum Præsules, & Archiepiscopos, veluti Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, Germaniæ; Toletanum Hispaniæ; Rhemensem & Rhodum Galliæ; Eboracensem & Cantuariensem Angliæ; Lisbonensem Lusitaniæ; Mediolanensem, Ravennatem, Venetum, Italiæ; Strigoniensem Hungariæ; Pragensem Bohemiæ; Cracoviensem Poloniæ, itemque cæteros eximios per universam Christianam Rempublicam Antistites non rarò deligit, qui ipsi Presbyteri Cardinales essent, Cardinalésque Diaconi. Imò ita esse, iis ipsis placuit magnopere, eò quòd per Cardinalatum ad Pontificatum ascenderetur. Cúmque disciplinæ communis regula haberet, ***unum non nisi uno sacerdotio potiri posse***, ne ea infringi

fringi videretur, decretum eſt, ut Epiſcopatibus licet fruerentur, Epiſcopi tamen vocarentur. Epiſcopus, ſi Cardinalis Diaconus crearetur electus *Epiſcopus;* ſi Cardinalis Presbyter *adminiſtrator perpetuus ſui Epiſcopatus* diceretur. Progreſſa eò audacia eſt Clementis V. qui Avinione ſedem collocavit, tempore, ut nullus ferè Cardinalis creatus ſit, quin Epiſcopatum vel *in titulum*, vel *in commendam*, vel *in perpetuam adminiſtrationem* haberet. Quibus artificiis Eccleſiæ multæ Epiſcopis orbatæ, Romana viciſſim Curia opulentis & potentibus Cardinalibus mactata eſt. Acceſſerunt *reſervationes* & *proviſiones*, per quas Pontifices, *proviſuri* ſcilicet, ne Eccleſiis idonei Paſtores deſint, reſervarunt beneficia Eccleſiaſtica, quoties & quæcunque demum voluerunt, ſibi ea conferendi poteſtatem arrogantes, eáque invadentes, ut iis Cardinalium ſuorum dignitatem tutarentur. Atque ſic paulatim multæ myriades Eccleſiarum deſertæ, & ceu greges orbi paſtoribus deſtituti ſunt, ut Cardinalium modò ſtatus adornaretur. A beneficiorum pluralitate ad Epiſcopatuum, maximè ſubinde diſſitorum, pluralitatem perventum eſt, cumulatæque immenſum artes ditandi ſunt, donec Regalibus divitiis Regio ſtatui exornando affluerent.

Eorum numerus olim ad titulorum Eccleſiarum in Urbe reſtrictus fuit. Præfecti ſunt quinque Eccleſiis Patriarchalibus Urbis Romæ. Crevit eorum numerus, &

XXXII. Numerus Cardinalium olim ad numerum titulorum Eccleſiarum in urbes, quibus ceu Presbyteri aut Diaconi præerant, reſtrictus eſt. Typho Seculi in Eccleſiam irrepente, magis magiſque Romani Epiſcopi præcipuas orbis Eccleſias magnitudine & ſplendore eminentes elegerunt, aut novas etiam ipſi condiderunt, quas Baſilicas & Eccleſias Patriarchales, palatia verò ipſis adjuncta inſignia, Patriarchia appellarunt. Nimirum tyrannidem, quam in Orientis Patriarchas fruſtra Papa affectavit, ſaltem ludicro hoc dramate, orbem urbi includens, tanquam in ſce-

decrevit pro lubitu Pontificum. in scena spectandam exhibere placuit. Ecclesias illas Patriarchales quinque his versibus Poëta expressit:

Paulus, Virgo, Petrus, Laurentius, atque Johannes,
Hi Patriarchatus nomen in urbe tenent.

Prima nunc Ecclesia Patriarchalis dicitur *Johannis*, olim dicta *Salvatoris* & *Lateranensis* à loco, *Constantiana* ab authore, & *aurea* ab ornamentis. Huic Gregorius XI. assignavit septem Episcopos ex vicinis oppidis, puta Episcopum Cardinalem *Ostiensem*, *Sylvæ Candidæ*, *Portuensem*, *Sabinum*, *Prænestinum*, *Thusculanum*, *Albanum*, qui ordine certo singulis hebdomadis diebus, vice Pontificis, sive præsentis, sive absentis peragerent, vel Pontifici sacra celebranti adessent. Reliquis quatuor Ecclesiis Patriarchalibus singulis septem Ministri, dicti *Cardinales Presbyteri*, assignati sunt, quibus velut in cumulum octodecim Cardinales Diaconi, cùm primò electio Pontificis ad Cardinales remissa est, accesserunt. Præcipuis his quinque Ecclesiis additæ duæ sunt *Callisti*, & *S. Crucis in Jerusalem*, ac procedente tempore aliæ etiam, velut *Anastasii ad tres fontes*, *S. Mariæ Annunciatæ* &c. Paulatim enim ad augendum numerum Cardinalium, plures tituli à Pontificibus excogitati sunt. Licet enim Sixtus V. Bulla A. M. D. LXXXVI. edita numerum Cardinalium ad septuaginta restrinxerit, non ita tamen subsecuti Pontifices se numero illi alligarunt, quò minùs pro Pontificiæ potestatis plenitudine, vel plures crearent, vel paucioribus etiam sive ad locupletandum ærarium, sive alias ob causas, contenti essent.

Officia eorum præcipua, ordinaria & extravagantia. XXXIII. Officia Cardinalium omnium ἐξαίρετα sunt, creare Papam, assistere eidem creato jugiter, eundémque in regenda Ecclesia universali & Republica Christiana universa consilio atque ope adjuvare, in consistorio unà cum Papa *Nuntiorum Apostolicorum*, si ad Provincias regendas, *Le-*

das, *Legatorum à Latere*, si ad Reges & Principes mittantur, titulo, munera obire. Accedunt munera eorum extravagantia, quæ sive pace sive bello haud infrequenter sustinent. Nam & militiæ nonnulli se præfici haud illibenter passi sunt, quorum in censu recente in memoria sunt Cardinalis la Valette in Gallia, Cardinalis Regius, seu Infans Hispanicus in Belgio Hispanico, Albertus & Andreas Austriaci, Cardinalis Ferrariensis, quem iccirco ludos meritò Dampetra apud Thuanum *Annal. lib. xxxij.* fecit; Galliæ inprimis famosi ocelli novissimi, Richelius & Mazarinus, summis ferè Regni gubernaculis admoti; aliique.

XXXIV. Proximum post Cardinales in Hierarchia Pontificia locum *Patriarchæ* tum *Oecumenici* titulares, puta Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus, tum *particulares*, qui & Primates dicuntur; Archiepiscopi seu Metropolitani & Episcopi tenent. De Patriarchis particularibus sic Zechius *de Rep. Eccl. p.* 80. scribit: *Sex præterea Patriarchæ extant ex privilegio, vel consuetudine: Scilicet Aquilejensis, Gradensis, Bituricensis, Cantuariensis, Toletanus & Pisanus, quorum duo tantùm nomen Patriarchæ retinuere, scilicet Aquilejensis & Gradensis, qui est Patriarcha Venetiarum* &c. *Hi Patriarchæ præpositi sunt maximis imperiis & Regnis, aliis Episcopis & Archiepiscopis in illis regionibus constitutis præpositi, ad quos summa graviorum negotiorum religionis defertur.* Dubitatur tamen meritò, an Patriarchas seu Primates omnes recensuerit, cùm in quolibet Regno seu Regione Archiepiscopis primas aliquis præsit, nisi forte Primas alicubi dicitur, qui Principem inter Archiepiscopos locum tenet. *Patriarchæ Pontificii.*

XXXV. Archiepiscopi, seu Metropolitani sunt Præsules Episcoporum unius Provinciæ, seu Episcopi Metropoleon, *Archiepiscopi, seu Metropoli,*

tani Pontificii Episcopi. etiam titulares, ex Miræo recensiti.

poleon, sive principalium regionum, aut districtuum urbium, quibus eorundem districtuum seu Provinciarum Episcopi reliqui subsunt, exceptis tamen Episcopis exemptis non paucis, qui in Provinciali, seu in Practica Cancellariæ Apostolicæ, & in Oceano juris notantur, in quorum Diœcesi Metropolitanus jurisdictionem non exercet. Sunt autem, fueruntque olim Archiepiscopi plurimi, quos ordine recensebo: In *Italiæ ditione Pontificia* tres, Ravennas, Bononiensis & Firmanus: In *Regno Neapolitano* novendecim, puta Neapolitanus, Capuanus, Salernitanus, Amalphitanus, Surrentinus, Compsanus, Acheruntinus, Tarentinus, Brundisinus, Hydruntinus, Barensis, Tranensis, Sipontinus, Theatinus, Loncianensis, Rhegiensis, Consentinus, Rosciononsis, S. Severinæ, & Beneventanus: In *Sicilia* tres, Panormitanus, Messanensis, & Montis Regalis: In *Sardinia* duo, Calaritanus & Turritanus: In *Insubria* unus Mediolanensis: In *Pedemontio* duo, Taurinensis & Tarantosiensis: In *Etruria* tres Florentinus, Senensis & Pisanus: In *Liguria* unus Genuensis: In *ditione Urbinensi* Urbinas: *In Venetorum ditione* quatuor, Spalatensis, Jaderensis: In *Dalmatia* & *Illyrico* duo, Ragusinus & Dyrrachinus: In *Bulgaria & Græcia* unus, Acridanus: In *Armenia* unus Nexivanensis: In *Hispania* undecim, Toletanus Burgensis, Compostellanus, Hispalensis, Granatensis, Cæsar Augustanus, Tarraconensis, Valentinus, Bracarensis, Olisiponensis & Eborensis: In *Gallia* tredecim, Lugdunensis, Rotomagensis, Turonensis, Senonensis, Remensis, Bituricensis, Burdigalensis, Auscensis, Narbonensis, Aquensis, Viennensis, Ebrodunensis & Arelatensis: In *Comitatu Venuxino* unus, Avinionensis: In *Belgio* seu *Germania inferiore* tres, Machliniensis, Cameracensis, & Ultrajectinus: In *Germania* septem, Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis, Magdenburgensis, Salis-

Salisburgensis, Bremensis & Biscuntinus: In *Bohemia* unus, Bragensis: In *Hungaria* duo Strigeniensis & Colocensis: In *Polonia* tres, Gnesnensis, Leopoliensis & Rigensis: In *Walachia* unus, Baccoviensis: In *Britannia* duo, Cantuariensis & Eboracensis: In *Scotia* duo, Sanctandreanus, seu Andreopolitanus & Glascoensis: In *Hibernia* quatuor, Armachanus, Dubliniensis, Cassiliensis & Tuamensis: In *Dania* unus, Londensis: In *Norwegia* unus, Nidrosiensis: In *Suecia* unus, Upsaliensis: In *India Orientali* duo, Goanus & Cranganorensis: In *Occidentali* quinque, Mexicanus, S. Dominici, Limensis, S. Fidei & Manilanus. In universum igitur Archiepiscopi, qui Pontifici olim paruerunt, & hodieque maximam partem parent, sunt centum & quinque. His Episcoporum maximus numerus subest, quem recensitum videre est ab Auberto Miræo in libello cui titulum fecit: *Notitia Episcopatuum Orbis Christiani, in qua Christianæ* (Pontificiæ) *religionis amplitudo,* (en Civitatem magnam!) *elucet.* Taceo Episcopos *titulares,* inertes fucos, per ludibrium ipsis etiam Pontificiis dictos *portatiles, imaginarios,* qui Africanæ vel Asiaticæ cujuspiam Ecclesiæ pridem à Muhammedanis extinctæ *titulo* à Pontifice ornati, bicornique mitra, & adunco lituo armati, aposcopi Episcopi vices gerunt; ut huic aleæ, venationi, aliisve turpioribus voluptatibus indulgere liceat, haud absimili meretrici, quæ ut quamprimùm venerem repetere possit, recentes partus aliis nutricibus lactandos tradit: nec non Episcopos *Orientales,* quos omnes jure sibi subesse debere, licet facto secessionem fecerint, Papa pertendit.

Episcopi quo jure olim Presbyteris sint prælati, & quo pacto eorum-

XXXVI. Et Episcopos quidem omnes esse Presbyteris superiores, Concilium Tridentinum *Seff. xxiij. Can.* 9. definit. Licet quo jure immediato, Divino an Pontificio, superiores sint, ob partium in Concilio ea de re conflictantium

dem potestas creverit. tium metum, definire non sustinuit. Neque tamen superioritatem illam & eminentiam Episcoporum illi honorariam duntaxat, nedum imaginariam faciunt, sed in dominatione quapiam & jurisdictione eminente collocant. Olim quidem Ecclesiastico jure sola ordinationis potestate Episcopus Presbyterum superabant. *Quid facit Episcopus*, ita Hieronymus *ad Evagrium* quærit, *excepta ordinatione, quod non faciat Presbyter?* quod etiam Chrysostomus in 1 Tim. 3. disertè asserit. Sed postea longè ulteriùs processum est. In Hispalensi enim Concilio *can.* 7. & Leonis *Decretal.* 88. αὐθεντήματα eorum recensentur longè plura, puta præter jus ordinandi etiam jus confirmandi, basilicas, altariáque erigendi, consecrandi, manus baptizandis aut conversis ex hæresi imponendi, publicè pœnitentem conciliandi, firmatos mittendi, prohibitúmque Presbyteris præsente Episcopo baptisterium ingredi, infantes tingere, sacramentum corporis & sanguinis Domini conficere, populum docere, benedicere, salutare, aut plebem exhortari, *ut per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium Summi Pontificis demonstretur*. Successu temporis ampliùs aucta Episcopi potestas est, ita ut Canonistæ eam hodie constituant in jure leges condendi & promulgandi, causas in foro externo & ipsius conscientiæ in Conciliis suffragandi, judicandi, ordinandi, vocandi, puniendi, visitandi, confirmandi, beneficia conferendi, investiendi, Templa, Monasteria Xenodochia erigendi, bona ecclesiastica administrandi, aliisque ejusmodi, in quibus cumulandis vix sibi Canonistæ satisfaciunt.

Ordo & gradus incrementi potestatis Episcopalis. XXXVII. Juvat autem cognoscere quo ordine gradúve potestatis Episcopalis peristromata extensa, fimbriæque dilatatæ sunt. Et jure quidem Divino Episcopus & Presbyter nil discrepant, uti ex Act. xx. 17. 28. Ephes.

IV. 11.

iv. 11. Phil. 1. 1. 1 Tim. iv. 14. Tit. 1. 3. 6. 7. 1 Pet. v. 1. manifeſtè colligitur. Atque id ipſum olim quoque docuit Hieronymus, imò Michaële Medina *lib. j. de Sacram. Orig. cap.* 9. ingenuè confitente, etiam Ambroſius, Auguſtinus, Sedulius, Primaſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theopgylactus, quorum tamen ſententiam in Aërio Waldenſibus & Wicleſo ab eccleſia condemnatam fuiſſe, idem Medina aſſerit. Ad vitanda porro ſchiſmata primò Alexandrini Presbyteri, Hieronymo narrante, unum ex numero ſuo electum, & in altiori gradu conſtitutum *Epiſcopum*, à Presbyteris ſcilicet diſtinctum vocabant, qui in quavis urbe vel loco præſidebat, non ut Princeps inter Conſiliarios, ſed ut Conſul in Senatu. Conſtitutum eſt, ut ſine eo nihil fieret, ut ex Ignatii ad Trallianos epiſtola liquet. Ita libertas Eccleſiæ & Presbyterii, acciſa eſt, ut, quod utile videretur, non fieret, intercedente Epiſcopo. Acceſſit mox jus ordinationis ei tributum, ne videlicet quiſquam docere, niſi ad Epiſcopi lubitum poſſet. Sic enim putabant ſe hæreſes excludere poſſe, cùm tamen eodem medio hæretici Orthodoxos aliquando excluſerint. Demum attributa eidem eſt juriſdictio, atque ita judicium de doctrina & moribus à Presbyterio & eccleſia ablatum, effectúmque eſt, ut Chriſtianum eſſe diceretur, placere Epiſcopo. Quæſita etiam poteſtas major eſt in ſubjectione plurium Presbyteriorum & Chorepiſcoporum. Inventa ad roborandam civitatem magnam Metropolitani in cæteros Epiſcopos juriſdictio; Patriarchæ quoque in Metropolitanos; Epiſcopi denique Romani in omnes.

XXXVIII. Deus certè illi Ordini, cujus in verbo ſuo author non eſt, non benedixit. Qui enim Chriſti Miniſtri eſſe, & procul habere dominium imperiúmque omne debuerant, ii paulatim degenerârunt in Diotrephes, Princi- **Ordini ab hominibus inſtituto Deus non benedixit.**

 pes &

pes & Dominos meros, qui se se non vites, non oleas vel ficus fructiferas præstiterunt, renuentes quippe pinguedinem, dulcedinem & fructus suos deferere, sed potius Cynosbatos, rubos, & infrugiferas spinas, quæ elatione seu *Prælatura* sua non pacem & unitatem Ecclesiæ, sed potiùs mala innumera, ac dissidia generarunt, & tandem per Hierarchicam illam scalam Antichristum in solio suo collocarunt.

Pontificii Episcopi ex Concilio Tridentino, & Ambrosio Catharino descripti.

XXXIX. Et quales demum sint, fuerintque hucusque Episcopi Pontificii, Pontificis jam dominantis in Ecclesia Ministri, res ipsa certè loquitur, & Concilii Tridentini Patres in aprico collocarunt. Illi enim *Sess. xxiij. cap.* 4. & *Can.* 8. in explicando Episcoporum munere & potestate nullam ministerii verbi & Sacramentorum mentionem facientes, nominata ordinatione & chrismatione, generalem clausulam addunt: *Eos alia pleraque peragere posse*, hoc est, equos, canes, si non pejora alia, alere, Regiam dominationem exercere, bella gerere, *aliáque* ejusmodi Episcopalia exercitia *peragere posse*. Sanè Ambrosius Catharinus, qui & ipse Concilio interfuit, in opere A. M.D.XLVIII. post Concilium Bononiam translatum impresso, *de Consid. & Jud. temp. lib.* 4. inter alia tradit, malorum in Ecclesiam irrumpentium, hanc maximam causam esse, *quòd Episcopi pene omnes facti sint mercenarii, vel lupi;* additque, *Episcopatum non amplius esse superintendentiam, & curam gregis: perditam esse cum re ipsa vocis significationem. Nunc enim voce Episcopatus non venire nisi honorem & bonorum temporalium proventum, & qui Episcopatum desiderat, non aliud jam illum desiderare.* Concludit: *Episcopatum non aliud jam esse, quàm prædia rustica & urbana, vel decimas ac census: gregis verò curandi rationem nullam haberi.*

Eorundem Emblema ex

XL. Quod igitur de novis quibusdam Pseudo-prophetis Za-

tis Zacharias Cap. XIII. 4. 5. idem de personatis his Episcopis enuntiare licet: *In die illo pudefient Prophetæ quisque in visione sua. Non induentur* אדרת שער למען כחש *pallio piloso, ut mentiantur: Et dicet; Non propheta sum, Agricola sum ego, quia homo fecit me emere à pueritia mea.* q. d. Pudebit illos visionis propriæ, deponent pallium pilosum abnegandi ergo susceptum, repudiabunt nomen Prophetarum, dicent se cultores terræ. Priores pseudo-prophetæ proponent aliquid, quod ipsi viderint & observaverint in Scripturis: austera specie vitæ se commendabunt. Hi novi Pseudo-prophetæ contra, non quod singulis ipsis videbitur, proferent, sed antiqua placita & aberrationes colligent; assument speciem magnificam & superbam, abnegabunt officium interpretandi Scripturas, atque illud ad doctores, ad Concilium, ad Papam amandabunt. Profitebuntur se reapse viros agricolas, sive in metaphora, quia malas herbas ex Ecclesia se extirpare præ se ferant: sive in litera, quia profitebuntur, se hoc jus ad Ecclesiam regendam habere, quod Princeps habet ad regendum populum, cujus Episcopus est agriculturam, & alias artes victui commodas promovere, divitias sibi & populo coacervare, idque quia אדם *Homo*, Imperator vel Papa, vel uterque eos ad hoc non sine pretio investiverint. Vivum hoc, & efficax Episcoporum Pontificiorum recentiorum cum vetustioribus comparatorum emblema est.

Zach. xiij. 4. 5. eruitur.

XLI. Interim ita suis commodis Pontificii Episcopi velificantur, ut toti etiam, quanti quanti sunt, Domini sui Papæ sint, ejusque dominationi promovendæ, dignitatíque exornandæ, ceu γνήσιοι ejusdem vasalli, inserviant. Idque duplici potissimùm argumento clarissimè liquet. *Prius* est, quòd institutionem, potestatémque suam ἀμέσως non Christo, sed Pontifici Romano acceptam referre cogantur,

Mancipia Pontificiæ libidinis eos esse probatur, tum quia se non à Christo, sed Pontifice immediatè institutos profiteri coguntur:

gantur, licet se in titulis suis *Dei gratiâ* Episcopos mentiantur. In Concilio equidem Tridentino acriter disceptatum inter Episcopos est, unde dignitatem suam potestatémque immediatè habeant, à Christóne, an à Romano Pontifice? Et à Christo eam immediatè habere, acriter quidem Episcopi nonnulli Galli, Hispani & Germani pertenderant. Itali contra, aliique Papæ Domino suo metuentes, à Pontifice eam immediatè pendere, asseverabant fortiter, adeò quidem, ut Jesuitarum Generalis Lainezius asserere non dubitaverit, *si statuatur Episcopos potestatem & superioritatem suam immediatè à Christo, adeóque ex jure divino habere, actum fore de Hierarchia, introductúmque iri Oligarchiam, vel Anarchiam, neque ultra Papam futurum Caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi.* Addebat Segoviensis Episcopus, *unicam voculam Juris Divini Papæ fore causam ruinæ.* Pallavicinus quoque *Hist. Conc. Trid. lib. xviij. xix. xxj.* non dissimulat, acri studio Legatorum, tum Crescentii, verba illa *Jure Divino* expungentis, tum sequentium, temerariam illam expunctionem non minori ardore, quàm si de rerum summa ageretur, propugnantium, conatus contranitentium sufflaminatos esse. Pervicerunt igitur in re tanti momenti Episcopi Itali, aliique Papæ addicti, effecerúntque, ut in decreto Concilii simpliciter definiretur, Episcopos superiores esse Presbyteris, quo verò jure immediato superiores sint, Divino an Pontificio, dissimularetur. Cúmque interpretatio Concilii penes unum deinceps Pontificem fuerit, sitque adhuc, Episcopi suam potestatem se immediatè habere à Pontifice, adeóque non Christi servos, sed Papæ Vasallos esse, vix ampliùs revocare in dubium possunt.

...um quia juramentum Pontifici, ...n vasalli

XLII. *Posterius* est, quòd iidem solenni juramento ad authoritatem dominationémque Pontificiam tuendam obstringuntur. Olim quidem etiam Episcopi juramentum præsta-

præstabant, ut ordinati scilicet suo Consecratori, non ut Vasalli suo Principi, & non nisi *pro recta fide*, uti habetur in Epistola, quæ Cornelii Papæ nomine scripta circumfertur, non tuenda dominatione Pontificia, quam nondum Pontifices sibi vindicaverant. Jurabant etiam Papæ non Episcopi in universum omnes, sed soli Romanæ Metropolis suffraganei. Cæteri quisque suo Metropolitano; quod inductis exemplis Hincmari Londunensis Episcopi, & Ivonis, nec non decreto Gregorii IX. M. Antonius de Dominis de *Rep. Eccl. lib. iij.* 5. 46. 47. comprobat. Postquam vero Papa Romanus, acquisita in Ecclesiam dominatione, sibi & Episcopos, & Metropolitanos, aliosque mancipavit, juramentum fidelitatis, adeóque Homagium Episcopis præscripsit, quod *Decret. Greg. lib. ij. tit.* 24. *de jure jurando cap.* 4. inconditis verbis à Gregorio VII. Hildebrando conceptum & expressum ita sonat: *Ego N. Episcopus ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, Dominóque meo Papæ (ejúsque successoribus canonicè intrantibus. Non ero neque in consilio neque in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium quod mihi, aut per se, aut per literas, aut per nuntium manifestabit, ad ejus damnum nulli pandam. Papatum S. R. E. & regulas S. Patrum adjutor ero ad defendendum aut retinendum (salvo ordine meo) contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Legatum Apostolicum, sed quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Limina Apostolorum singulis annis, aut per me, aut per certum nuntium visitabo: nisi eorum absolvat licentia. Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Evangelia.* Clarissimum est, juramentum esse Vasalli erga suum Principem & Dominum, non veri Episco-

Principi præstant:

Episcopi *ordinati* erga suum *consecratorem* pro retinenda fide catholica & purè prædicando Dei verbo, Sacramentísque ritè administrandis, quale solum in sana olim Ecclesia obtinuit. Expressissimè Pius IV. juramentum ab Ecclesiasticis beneficia postulantibus præstandum inter alia his verbis præcepit: *Spondeo & juro summo Pontifici veram obedientiam.* Quæ usurpatis manifestissima est, & dira tyrannis, qua contra omne jus & fas Papa Episcopos universos sibi fecit propriè subditos, & vasallos, & ipse se supra eos temporalem Principem ac Dominum constituit, cum gravi non Episcoporum duntaxat, & Ecclesiæ, sed Principum etiam damno & præjudicio, quibus non tantùm eorum subditi eripiuntur, sed etiam alieni Principis jurati Vasalli, hostes profectò acerrimi, intra viscera sua ferendi, alendíque obtruduntur.

tum quia Archiepiscopi pallium à Pontifice subjectionis sua symbolum redimunt.

XLIII. Atque huc etiam referenda est στολὴ ἀρχιερατικὴ, seu *Pallium*, quod hodie Archiepiscopis Papa, non tam potestatis, quàm subjectionis symbolum, magno auri pondere redimendum concedit. Hoc enim instructis demum Concilia convocare, Chrisma conficere, basilicas dedicare, Episcopos consecrare, Clericos ordinare, Archiepiscoporum nomen assumere integrum est. Fuit autem initiò Pallium vestimenti genus quodpiam, quod Imperatores, simile Imperiali ornamenro, præcipuis Episcopis, puta Romano, & Constantinopolitano obtulerunt. Si postea cruces additæ sunt, ut Ecclesiasticum penitus ornamentum fieret, quod post ad omnes Episcopos Orientis transiit, & commune omnium Episcoporum indumentum sacrum, in rebus sacris peragendis usurpandum evasit. Valentiniani Imp. temporibus Isidorus Pelusiota *Epist. lib j. ep.* 36. sic ejus mysterium explicat: τὸ δὲ τοῦ ἐπισκόπου ὠμοφόριον ἐξ ἐρέας ὄν, ἀλλ' οὐ λίνου, τὴν τοῦ προβάτου δορὰν σημαίνει, ὅπερ πλανηθὲν ζητήσας ὁ κύριος, ἐπὶ τῶν οἰκείων ὤμων ἀνέλαβεν. Ὁ γὰρ

ἐπίσκο-

ἐπίσκοπος εἰς τύπον ὢν τοῦ Χριστοῦ τὸ ἔργον ἐκείνου πληροῖ, καὶ δείκνυσι πᾶσι διὰ τοῦ σχήματος, ὅτι μιμητὴς ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ καὶ μεγάλου ποιμένος, ὁ τὰς ἀσθενείας φέρειν τοῦ ποιμνίου προβεβλημένος. *Id autem amiculum, quod Episcopus humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventámque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.* Unde etiam liquet, fuisse, uti hodiéque est, in Ecclesia orientali pallium illud Episcoporum omnium commune, non Patriarchis & Metropolitanis proprium. Quia verò in Occidentali Ecclesia non commune erat omnium, Romanus Pontifex etiam hinc elationis suæ occasionem rapiendam ratus, & se loco Imperatoris pallii diribitorem non sine pingui lucro suo fecit, & illud ad solos Archiepiscopos exceptis Episcopis ψιλοῖς paucis, quibus singulari privilegio gestamen isthoc indulget, restrinxit, eósque hac ratione suos nexu mancipióque fecit. Iis enim Papa imposuit (*Dist.* 100. *Quoniam quidam*) ut sentiant, potestatem suam nullam esse, *nisi prius Pontifex mittat pallium de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificii officii*, uti *Sacrar. Cerem. Eccl. Rom. lib. j. sect.* 5. dicitur. Primus Hildebrandus, ut ex ejus ad Lanfrancum, Cantuariensem Archiepiscopum rescripto, à Baronio *Tom. xj. A.* 1070. n. 17. narrato, liquet, introduxit, ut qui Pallium desiderarent, illud non per literas vel nuntios, uti ante hac moris erat, peterent, sed ipsimet Romam venirent, & consequenter munera ferrent, Dominum suum adorarent. Addidit Hildebrandi successor, Paschalis II. ut Archiepiscopi Romæ coram Pallium licitantes, juramento etiam fidelitatis se Pontifici obstringerent, quò

quò sic summi quique Episcopi, aliorum Episcoporum Duces Patrésque in plenam Papæ clientelam transirent; hic Princeps illorum ac Dominus absolutus, illi verò ejusdem subditi cum plena & servili pœne subjectione fierent. quod ex Paschalis illius Decretali Epistola ad Episcopum Panormitanum *de Elect. cap.* 4. nec non ex ejusdem ad Archiepiscopum Polonorum epistola, quam ex codice Vaticano Baronius *Annal. tom. xÿ. A.* 1102. repræsentat, abundè colligitur. Non igitur ulla lege, non jure ullo, ne Ecclesiastico quidem, Pallii redimendi necessitas inducta est, sed donum Imperiale factum Episcopo Romano ex Ecclesiastica consuetudine sola, uti Greg. *Dist.* 100. *cap.*2. fatetur, cœpit ab aliis quoque ambiri & enixè postulari. Inde verò Pontifices Romani pallii magna mercede contrahendi necessitatem induxerunt, jurisdictionémque suam substratis, & in sublime sublatis his basibus, ut idolum abominationis tantò eminentius super illos collocari posset, stabiliverunt.

Clerici gubernantes secundi ordinis sunt præpositi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Vicarii & Consiliarii.

XLIV. Inter Clericos, seu Ecclesiasticos gubernantes, sed *secundi ordinis*, Possevinus *Præpositos, Archidiaconos, Archipresbyteros, Vicarios & Consiliarios*, refert, de quibus pauca dicere satis erit. Et *Præpositi* quidem, alicubi etiam *Priores* nuncupati, præsunt, seu *præponuntur* vel claustralibus regularibus, veluti cùm ad regimen Monasterii per Abbatem, vel Superiorem deputantur: vel Clericis Regularibus, quo in censu sunt Capita Collegii Canonicorum, vel Ecclesiarum, quas Collegiatus vocant, qui Archidiaconorum etiam & Decanorum nomine veniunt: vel Rectores etiam Ecclesiarum ruralium. Diversis nominibus officia isthæc venire Mosconius *de Majest. Eccl. milit. lib. j. cap.* 14. docet. *Archidiaconi* sunt, qui officium Ecclesiasticum habent cum jurisdictione & præeminentia conjunctum. Tales v. g. in Cathedrali

drali Ecclesia sunt Episcoporum Vicarii, Coadjutores, qui *oculi Episcoporum* vocantur. Officium & dignitas eorum in eo consistunt, quòd Episcopo ministrant; officium Presbyteri Episcopo Missam celebranti assistentis exercent; absente vel impedito Episcopo Archipresbytero & Canonicis omnibus in celebratione Missarum solennium aliisque functionibus Episcopalibus præferuntur; visitant Ecclesias Diœceseos, quæ aliaque *Decretal. lib. j. tit.* 23. legere est. ***Archipresbyteri*** sunt Presbyterorum Principes, ***Decanorum*** etiam nomine insigniti, qui in Civitatibus funguntur officio Vicarii Episcopi in Spiritualibus in foro pœnitentiali & celebratione Divinorum officiorum, Rure verò, seu in pago *Plebani* etiam dicti, vicarios Episcopi se gerunt. ***Vicarii*** seu Vice Domini alii dicuntur dati à lege, alii ab homine. ***A lege dati*** sunt, qui absque deputatione, officii sui tenore vicarii efficiuntur, quales Archidiaconos & Archipresbyteros esse diximus. ***Ab homine dati***, qui libera hominum deputatione vices gerunt, quales sunt vicarii in Curia Romana, Legati Apostolici, Cardinalium Legatorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Ecclesiarum Capitularium Ordinum, Provincialium &c. vicarii. *Consiliarii* denique olim simpliciter dicti sunt Cardinales Papæ scil. consultores. Hodie Canonici, præsertim Cathedrales, sunt Consiliarii Episcopi: in Monasteriis Officiales, Conventuales. Possent Ecclesiastici gubernantes alii etiam notari non pauci, veluti personatus, plebani, inquisitores, Legati sive Nuntii Apostolici, sive à latere, Protonotarii Apostolici, Examinatores & testes Synodales, Camerarii, Castellani Romanæ Ecclesiæ, aliique plures quorum differentias & munera Pontificiæ dominationi ministrantia recensere supervacaneum foret.

XLV. In secundo Cleri Romani Pontificio imperio inservientis ordine *Ecclesiastici Ministrantes*, nominatim *Clerici ministrantes enumerati.*

tur Septem ordines, à Concilio Tridentino definiti. *Parochi, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Acoluthi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii, Canonici & Oeconomi* reponuntur. Canonicis & Oeconomis exceptis, & Parochis Sacerdotibus annumeratis, reliqui septem totidem ordines, totidemque Sacramenta constituuntur. De quo ita Concilii Tridentini decretum *Sess. xxiij. cap.* 2. sonat: *Cum Divina res sit tam Sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quò digniùs & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum ordines qui sacerdotio ex officio deservirent, & ita distributi, ut qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solùm de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ literæ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illarum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent: & ab ipsò ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acoluthi, exorcistæ, lectores & ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur.* Canone tertio ejusdem Sessionis anathema vibratur in eos, *qui dixerint, ordinem seu sacram ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum.*

Non verbi Divini & sanioris antiquitatis præsidio, sed gentilium veterum & Iudæorum æmulatione introducti sunt. XLVI. Hæc vero sine ullo verbi Divini & sanæ antiquitatis præsidio asserta, non aliò certè collineant, quàm ut Sacerdotii Pontificii dignitas & potestas, summi verò Sacerdotis, seu Pontificis maximi authoritas & veneratio, Sacramenti scilicet sublimi titulo exornata, sacrosancta apud omnes reddatur. Aliàs enim verissimè Cajetanus, expensa opinionum circa ordines diversitate, jam senex pronuntiavit: *Si collecta fuerint, quæ Pontificales codices, quæve ratio auctoritásque doctrinæ tradidit, incerta valde ap-*

de apparebit, Presbyteratu excepto, reliquorum natura ordinum. Quin ex gentilismo petitam esse subdivisionem Sacerdotum, juxta quam alii sunt *Sacerdotes* simplices, alii *Archipresbyteri*, alii *Chorepiscopi*, alii *Episcopi*, alii *Archiepiscopi* &c. ipse Gratianus *Proœm. dist.* 21. & *dist.* 80. *Cap. in illis* non diffitetur. Fuerunt nempe Gentilibus sui Flamines, Archiflamines, Protoflamines. Lombardus quin etiam *Dist.* 24. singulos ordines ex Judaismo arcessit. Et quid tandem illo *κλίμακι*, gradatione illa ab inferioribus ordinibus ad Sacerdotium usque ineptius? Siccine Christus Sacerdos magnus, Apostoli, veteres illi celeberrimi Episcopi, per abjectos illos gradus ad Sacerdotium magnum, Apostolatum, Episcopatum enixi sunt?

XLVII. Sacerdotes & Parochi ita differunt, quòd qui parochi sunt, sacerdotes etiam sint, non, qui Sacerdotes, necessariò Parochi. *Parochus* nempe, qui etiam *Curator*, *Curio*; *Rector* Parochiæ dicitur, sacerdos est, sed residens in *παροικίᾳ parochia* sua, ibidémque sacra officia, à superioribus præscripta obeundo, Pontificium cultum peragens. In eo utramque ferè paginam facit, quòd ceu Sacerdos, non utique secundum vel Melchisedeci vel Levi, sed cujusvis alterius, sacrificat, hoc est, mimica quadam, sed execrabili planè actione, Christum se sub speciebus panis & vini Deo in Sacrificium propitiatorium offerre simulat: quódque confessiones audit, & ceu precarius quidam prætor seu Ædilis, sine Divinis suffragiis, satisfactionum injunctarum pretio, peccata remittit. Quorum duorum principalium officiorum respectu Sacerdotem quemvis, Angelis, ipsique etiam Beatæ Virgini *θεοτόκῳ*, ne dicam etiam Christo, cujus creatores se profiteri non erubescunt, multis parasangis antecellere, pertendunt.

XLVIII. Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum & Ostiariorum officia hi-

Sacerdotum munera,

nec non Diaconorum, Subdiaconorum &c.

quibus nominibus res convenientes nulla subsunt.

strionica Durantes in Rationali, aliique passim describunt. Id verò certum est, nominibus & titulis illis res verbo Dei, & piæ antiquitatis praxi congruentes subesse prorsus nullas: imò alia omnia subesse. Uti supra etiam ostendimus. Meritò proin inter Reformationis Capita triginta quatuor à Gallis Concilio Tridentino exhibita, etiam hoc capite quarto à Synodo postulatum est, *ut Diaconis & aliis sacris ordinibus restituatur debita & antiqua functio, ne amplius nuda & in ceremoniis tantùm posita nomina dicantur*. Et illos minores, officia merè manualia, & sacris longè inferiora, quibus Pontificii Theatri ad agenda Quirinalia, Choragium, scenicúsque apparatus expletur, vel sacramentales, vel omnino necessarios nunquam vetus Ecclesia judicavit, uti pluribus etiam argumentis Petrus Arcadius Corcyræus *Concord. Eccles. Orient. & Occid. circa Sacram. administr. lib. vj.* 9. asseruit.

Canonicorum Collegia.

XLIX. Inter *Ecclesiasticos* ministrantes haud postremum locum Canonici, seu Capitulares obtinent. Eorum Collegia, quotquot in Orbe Pontificio sunt, unà cum eorundem origine & fundatoribus, Aubertus Miræus *libro de Collegiis Canonicorum* edito fusè edisserit. Jam olim Episcopus unà cum suis Presbyteris in gravioribus inprimis negotiis Ecclesiam gubernare solitus est. In præcipuis æquali Episcopus & Presbyteri potestate gaudebant. Sicut verò Episcopi Papæ, ita Presbyteri Episcopo procedente tempore ita subjecti sunt, ut ejus ferè imperio toti subessent. Cæterùm hoc Presbyterorum, imò & aliorum inferiorum Ministrorum, eidem Ecclesiæ necessariorum, eique inservientium Collegium, vocatur Collegium seu Capitulum Canonicorum. Ita ut Canonici Presbyteri sint, qui in officio Presbyteriali ordinarii sunt in illa Ecclesia Ministri: Canonici verò Diaconi, qui in Diaconali: Subdiaconi, qui in Subdiaconali. Hi igitur, qui in una Eccle-

Ecclesia titulabantur, seu ad titulum talis Ecclesiæ, ut ipsius proprii Ministri ordinabantur, & *titulati* in illa Ecclesia & *Canonici* dicuntur, hoc est, qui juxta *Canones* seu Regulas Ecclesiasticas, seu pensionem sive annonam, quæ illis solis distribuitur, qui in Collegium Ministrorum cooptantur, sive titulantur (utraque enim & regula, & pensio *canonis* nomine olim veniebat) cum deputatione ad tale vel tale ministerium, ordinantur. Habéntque hæc Canonicorum Collegia suos Præfectos, qui Præpositi, Decani vel Abbates, juxta Ecclesiarum consuetudinem vocari solent, sub quorum olim munere & officio erat custodia morum & domesticæ disciplinæ, ut canonicos instruerent, & moribus Ecclesiasticis informarent. Totus ille Clerus Canonicus ita in Ecclesia nondum confusa subesse Episcopo debuit, ut ejusdem Cleri opera in universis suæ Diœcesis Ecclesiis ritè regendis & gubernandis uteretur.

L. Canonici hodiè in *Regulares* & *Irregulares* seu *Seculares* distinguuntur. Illi Monasticam vitam in claustris degunt, obedientes viro Religioso uni, absque ullo administrandi jure. Hi καὶ ἐξοχὴν Canonici dicti sunt Presbyteri, vel Clerici in minoribus ordinibus constituti, qui in Ecclesia Collegiata vel Cathedrali jus Canonis seu præbendæ habent, quorum hodie officium est stallum habere in Choro, ibique horas Canonicas recitare, seu battologicas preculas otiosè demurmurare. Missas conventuales cantare, Officium Mariæ, defunctorum, celebrare, Psalmos pœnitentiales & graduales cantare, suffragium ferre in Capitulo ad Ecclesiam Collegiatam, ejúsque res & bona curanda, Episcopo celebranti assistere, & in Ecclesia Cathedrali unà cum Episcopo diœcesin consulendo regere. Cùm verò totus clerus Ecclesiæ alicujus ei necessarius, eique deputatus, & ab ea nutritus, sustentatúsque sit Canonicus: & Canonici sint omnes Ministri, qui sub regulis Eccle-

& distinctio frivola in Regulares & Seculares.

Ecclesiasticis, Ecclesiæque alimentis vivunt, inanis certè & puerilis illa distinctio Clericorum in Regulares & Irregulares planè est. Canonicus enim idem est quod regularis. Perinde igitur, ac si dicerent: *Regularis est vel regularis vel irregularis*.

Neutri verè Canonici sunt.

LI. Sed neutri fortè *Regulares* & verè *Canonici* sunt, utpote à Canonicorum vera significatione alienissimi. Canonici enim qui dicuntur *Seculares* & *Irregulares*, cùm non amplius vivant sub regulis Ecclesiasticis, neque vitam communem, ut olim, ducant, neque Ministeria Ecclesiastica Presbyteralia, Diaconalia, Subdiaconalia exerceant, sed sola sessione in Choro, dum Divina Officia peraguntur, contenti sint, & ornamenti potiùs externi, ad distributiones lucrandas, quam officii gratia Ecclesiam frequentent, cæterùm à vera vita Clericali & Canonica immane quantum abhorreant, & preculas suas demurmurando, suavitérque cantillando foris Sanctimoniæ Speciem præbentes, domi cuticulam curent, & Bacchanalia vivant, Canonici utique non sunt nisi nomine tenus. *Regulares* verò qui dicuntur, cùm à subjectione & obedientia Episcopi se subduxerint, & potiùs cum Schismate Ecclesiam contra Ecclesiam erigant, & publicæ Ecclesiæ loci, in quo degunt, nihil sua institutione inserviant, neque Canonici etiam, neque Regulares sunt. Nam si sibi duntaxat & propriæ congregationi, ab Ecclesia illa, in qua habitant, separatæ, sint Regulares, nihil hoc ad illam Ecclesiam facit, atque ita Ecclesiæ nullius Canonici sunt. Quid ergo? Canonici utriusque Ordinis in doctrina officio & moribus degeneres, deformatique non serviunt nisi ornandæ scenæ, & fascinando sub specie religionis, *Spiritualis* &c. orbi, quò specie tali in devotione Romani Pontificis, à quo solo pendent, constantiùs persistat: ipsique etiam Canonici pinguibus præbendis suis, laxiorique disciplina deli-

delibuti, Imperatori illi ſuo adhæreant fideliùs, promtiúſque militent.

Clerici Adjuvantes Doctores Theologiæ, Iuris Canonici, Catechiſmi, Prædicatores, Scholaſtici Eccleſiæ enumerati.

LII. Eccleſiaſticorum *adjuvantium* ordo ſubit, & numerati in eodem à Poſſevino *Doctores Theologiæ, Juris Canonici & Catechiſmi, Prædicatores, Diſputatores & Scholaſtici Eccleſiaſtici.* De Doctoribus Theologiæ, Scholaſticæ ſcilicet & Juris Canonici, quorum illi de hæreſi judicant, hi de jure Pontificio diſceptant, non infimi inter Myſterii iniquitatis Epoptas, utpote qui cum Divini & Cæſarei juris ac dignitatis defenſoribus à Romano laniſta, tanquam Retiarii cum Myrmillonibus, committuntur, ut ſcilicet illorum tridente non ſolùm Imperatores per horum latus confodiat, ſed etiam verbum ipſum Dei, & Regem Regum Chriſtum de ſolio deturbet, ſuíſque pedibus ſubjiciat, dicere nihil attinet. Cùm Theologiam ipſam Scholaſticam Majeſtati verbi Divini, & Jus Canonicum Majeſtati Juris Cæſarei opprimendæ inducta eſſe, Hiſtoria Papatûs ſſ. *xcv. xcvj. xcvij. xcviij.* probaverit, quid de Doctoribus ejuſmodi judicandum ſit, ultro liquet. Doctores *Catechiſmi*, ſeu *Catechiſtæ*, omnes paſtores eſſe debent, ſi Tridentini Concilii decretis ſtare voluerint. *Scholaſtici Eccleſiaſtici* Ludimagiſtri ſunt, qui omnes aut plerique, ſaltem in pagis, ſunt æditui, cantores, celebrationum Miſſaticarum miniſtri. *Scholaſtici* verò *capitulares* præſunt ſcholis capituli; atque olim etiam capitulares Theologiam docere conſueverunt. Inter *adjuvantes* hoſce ſunt Doctores illi Seraphici, illuminatiſſimi, veterani, veteratores, Novatorum flagella, hæreticorum ſcopuli, quia omnia Babylonici Myſterii μιάσματα, & ſcorti illius ulcera plus quàm Chironia, meretricio purpuriſſo illinere, ac vel craſſiſsimas inſipidiſſimáſque fabulas ſoporifero Sophiſtices ſucco, velut adſperſo papavere & ſeſamo condire nôrunt.

LIII. Su-

Clerici supererogantes sunt Monachi.

LIII. Supersunt Ecclesiastici *supererogantes*, seu Monachi, pars non infima Civitatis magnæ Babylonicæ, qui delecta vita solitaria contemplativa, certisque votis ad cœlibatum, hoc est, matrimonii ejurationem, paupertatem, hoc est, proprietatum abdicationem, & obedientiam, hoc est, servitutem religiosam, certo homini cuipiam devotam obstricto, *supererogare*, hoc est, plus Deo dare atque solvere, quàm lex ejus postulat, vel ipsi dare atque solvere teneantur, se, detestanda, si qua alia est, hypocrisi, simulant. Bellarminus *de Monach. cap.* 2. Monachatum definit *statum hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiæ & obedientiæ vota tendentium.* Contra Azorius *Instit. Monach. lib. ix.* 5. *q.* 1. eundem definit, *statum hominum perfectorum sub certis mandatis & regulis Deo famulantium.* Bellarminus igitur *eos ad perfectionem tendere*, Azorius *perfectionem attigisse*, innuunt. Ille perfectionem solis Episcopis deputat, Monachis verò conatum assequendæ ejusdem concedit: hic in *perfectorum* Chorum Monachos cooptat. *Perfectionem Euangelicam* appellant utrique, quæ dum Euangelium prædicatur in mundo, non Regni Christi propriè, sed mundi & Antichristi perfectio est. *Perfectos Pseudo-Clericos*, & cum Monachis veteribus comparatos, *Pseudo-Monachos perfectos* qui dixit, perfectionem illorum rectè definivit.

Monastica vita primordia olim fuerunt cænobitæ, Anachoretæ & Sarabaitæ.

LIV. Et olim quidem institutum Monachorum privato hominum studio, necessitate temporum, privata pietate ac devotione, non ulla publica institutione emersit. Christus ad Monachatum neminem vocavit: Apostoli Monachum nullum fecerunt: Episcopi & Ecclesia vetus Monachalem vitam nemini unquam præscripserunt. Quid ergo? Ex vita Apostolica, qualem Apostoli, Paulus inprimis, & fideles primitivæ Ecclesiæ, magno fervore Spiritus duxerunt,

runt,

runt, privati homines nonnulli privato ſtudio, & temporum neceſſitate invitati, non ulla lege, non ullo præcepto, ſed liberè, ſponte exempla ſumpſerunt, ut cælibes viverent, poſſeſſiones, certóſque reditus nullos haberent, vel in uſum pauperum eos diſtribuerent, ipſi verò relictis omnibus, cum Paulo propriis manibus laborantes, victum ſibi compararent; atque de cætero pietatis & pœnitentiæ operibus vacantes, privatam in ſolitudine vitam degerent. Et Caſſianus quidem *Collat.* 18. *cap.* 4. tria in Ægypto genera Monachorum facit, puta *Cœnobitarum*, qui in congregatione pariter conſiſtentes, unius ſenioris judicio gubernabantur: *Anachoretarum* qui in Cœnobiis priùs inſtituti, jamque in actuali converſatione perfecti ſolitudinis ſecreta elegêre: & *Sarabaitarum*, qui Ægyptiacæ linguæ proprietate ita dicti, non tam Apoſtolorum & fidelium primitivæ Eccleſiæ, quàm Ananiæ & Saphiræ exemplum ſecuti, Monaſticam vitam ſimulantes, à Cœnobiis ſegreges terrenis & propriis neceſſitatibus inhiabant, & nomine Monachorum ſe abſque ulla pietatis, ſtudiorum, pœnitentiæ æmulatione, venditabant.

Pontificiorum Monachorum à veteris Eccleſiæ Monachis diſcrimen ingens panditur.

LV. Cum veteribus Monachis ſanioribus Cœnobitis & Anachoretis nihil Pontificii Monachi, malæ belluæ & ventres pigri, commune habent. Illorum enim vita Monaſtica non erat niſi privata ſeceſſio ad pœnitentiam, hominum de cætero laicorum, non tam *docentium quàm plangentium*, uti Hieronymus adverſus Vigilantium loquitur. Hi in ordine eccleſiaſtico clerico cenſeri volunt. Illi conſummati Monachi cenſebantur, antequam ſe ulla profeſſione externa ulli manciparent. Hi ſine profeſſione publica & votorum ſolennitate Monachi non cenſentur. Illorum ordines neque à Papa, neque à quoquam alio confirmabantur. Horum ordines non confirmati nullius valoris habentur. Illi neque proprias, neque communes facultates, divitias

 & lati-

& latifundia possidebant, sed singuli manuum suarum labore victum quæsitabant. Hi bona alieno sudore parata abliguriunt. Illi, S. Augustino teste, à vero Monachismo omnem rigidam exactionem earum rerum, quæ in verbo Divino liberè relinquuntur, removebant. Hi in vestitu, victu, aliisque ejusmodi rebus adiaphoris proram puppímque Monachatûs locant. Illorum Monachatus, eodem Augustino teste, nihil aliud erat quàm adjumentum officiorum pietatis, quæ Christianis in universum omnibus, commendantur. Hi ab universo Ecclesiæ corpore se separantes, diversam salutis viam calcant. Illi vitam Monasticam, quando ita libuit, deserere poterant. Hi sine piaculo deserere non possunt. Illi, quod rei caput est, suam à vita communi secessionem veræ & salvificæ fidei, & charitati erga proximum inædificabant. Hi utriusque naufragium pridem fecerunt, religionémque factitiam, Pontificis R. libidini addictam adoptârunt, adeò quidem ut Monasteria doctrinarum usibus, veræque fidei olim destinata, jam non sint aliud, quàm vulpecularum, ranarum, locustarum latibula, & nidi idololatrici.

Cum Monachis veteribus Sarabaitis convenire eosdem asseritur, & eorundem vivum emblema ex Apoc. ix. 3. &c. arcessitur.

LVI. Non minùs igitur cucullati Pontificii à veteribus illis Monachis tum quoad professionem ipsam, tum quoad fidei & Charitatis exercitia, quàm Simiæ ab hominibus differunt. Meritóque Polydorus Vergilius *Hist. Angl. lib. vj.* scribit, incredibile dictu, quantum à Majoribus suis Monachi hodierni degeneraverint. Nec minore ratione Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. lib. ij. 12. 77.* de Pontificiis Monachis pronuntiat, eos nec cum Cœnobitis, nec cum Anachoretis veteribus, sed potiùs cum iis, quos Sarabaitas Cassianus, aliique vocant, congruere. *Si nostri Minoritæ*, inquit, (non quis, sed quid dixerit, expendatur) *Dominicani, Carmelitæ, Servitæ, Minimitæ, ac similes; non sunt ipsissimi Sarabaitæ (bonos, si*

quis

quis est inter ipsos verus Cœnobita excipio) quinam erunt, aut jam diu fuerunt. Etiam Benedictinos quisnam non videt fermè plenissimè jam diu in veros Sarabaitas degenerasse? Ubi summa paupertas eorum etiam in communi? Ubi labores manuum? Ubi austeritas victûs & amictûs? Quid Monachis cum Clericatu? Quid cum tot deliciis? Hi in curribus & equis, Prisci verò in nomine Domini Dei nostri invocarunt. Et lib. ix. 5. 72. hodiernos Monachos cum veteribus comparatos vocat *Hermophroditos Religiosos Mendicantes,* hoc est, *neque verè Clericos, neque veros Monachos, sed utrumque imperfectè, ac perfectè Pseudo-clericos, & Pseudo-monachos.* Quòd si M. A. de Dominis suspecta est authoritas, Bernhardi Claræ-vallensis, *Apolog. ad Guilb. Abb.* Monachos Cluniacenses, aliósque vivis coloribus depingentis, & eorundem jam suo tempore instituta, ceremonias & mores perditos à veterum Monachorum institutis moribúsque integris plurimùm disparantis, potior esto. Sed omni exceptione majus Spiritus S. Emblema, Monachos verè Pontificios *Apoc.* ix. 3. &c. cum locustis ex tartarei putei fumo natis, contendentis valeat. Hæ densissimis agminibus omnia pervolitantes, lucem Euangelii & solis justitiæ obscurantes, non gramen aut herbas lædentes (neque enim fœno Monachi pascuntur) sed hominibus insidiantes, eósque mirificis præstigiis effascinatos miserè torquentes cruciantésque, similes equis ad prælium paratis, coronas in capite gestantes, faciem humanam ostentantes, capillis mulieribus blandientes, dentibus leoninis minantes, loricis ferreis armati, sonitu alarum terrentes, caudis scorpionum insidiantes &c. inducuntur. Quibus typis haud dubiè Monachorum (quorum imaginem etiam in externo corpore, uti αὐτοψία demonstrat, locustæ gerunt) alacritas & ferocia ad nocendum; Regnum, quod Monachi in vertice

 rasi,

rasi, & in circulum attonsi passim in mundo obtinent; astus & veteratoriæ artes, quibus in rebus gerendis utuntur; χρηστολογίαι & blanditiarum lenocinia, quibus in animos hominum irrepunt, nec non πιθανολογίαι & σεσοφισμένοι μῦθοι, quibus tanquam Origano falsorum dogmatum putria salsamenta condiunt; ferina in nocendo sævitia, & indomitum robur; hypocriticæ Sanctimoniæ vis, & Romanorum diplomatum, quibus Monachi, tanquam ἱεροὶ καὶ ἄσυλοι commendantur, authoritas; invicta pertinacia, potentissimorum Orbis Principum viribus subnixa; diræ & anathematum fulmina, quorum strepitu & fragore multi tantùm non exanimantur; superstitiosarum opinionum virus, quod incautis instillant; aliáque ejusmodi adumbrantur.

Monachatum Pontificium non aliud esse, quàm Politicum seu Babylonicum Papa vaframentum, probatur Primò, quia ordinum beneficio populus in obsequio Pontificis continetur:

LVII. Si igitur, quod res est, dicere licet, Monachatus ille Pontificius, seu, Sarabaiticus, religionis & pietatis speciem mentitus, non tam religiosum institutum est, quàm vaframentum politicum, seu potiùs Babylonicum, quo Papa Regnum suum potenter tuetur. Etenim *primò* Ordinum beneficio populum suum in obedientia continet, & συμβασιλεία sua securius interea fruitur. Exceptis paucis bonis viris, quos superstitio dementavit, ut animarum suarum saluti ita consuli posse, perperam confidant: plerosque alia omnia quàm religionis cura, Monachos faciunt. Alii enim vi in Monasteria detruduntur, vel sponte etiam ad ea concedunt, ut vel familiarum dignitas conservetur, & patrimonia ac hæreditates inter paucos distributæ lautiores, opimioresque existant, vel necessaria ad victum suppetant, vel facultas sit otio liberaliùs indulgendi, & fucorum ad instar, apum industria quæsitum paratúmque mel absumendi. Imperator Justinianus *Novella* 133. meritò inter alia Monasticam vitam *Imperio utilem esse*, ad primum scilicet finem illum respiciens, asserit.

asserit. Alios desperatio ad subeunda Monasteria, ceu asyla quædam compellit, sive scelerum patratorum pœnam justam reveritos, sive obæratos, foro cedere coactos, in matrimoniis infelices, hominibus exosos, honorum, divitiarum, fortunæ spe magnísque ausis frustratos. Qui igitur occasionem tantam non præstat tantùm, sed etiam miræ sanctitatis specie exornat, splendidisque insuper promotionis in hoc seculo, existimationisque singularis, nec non eminentioris beatitudinis, aureolarúmque nescio quarum in Cœlo, promissionibus mactat, is haud dubiè populum, veræ inprimis masculæque pietatis & virtutis exsortem, faventem, obsequentémque sortitur. Illi vicissim, quibus commoda hæc aspirant, pro Domini & patroni adeò benigni prospicientisque honore, fortuna, authoritate, adversus quosvis eam abnuentes in tuto collocanda, inausum, intentatúmque nihil relinquunt. Habet igitur sic Pontifex incredibili multitudine pectora, linguas, calamos, manus, ad tuendam sustinendámque dominationem suam armatos, ausuros quidvis, si occasio ferat, pro suggestu adversus hostes Papæ declamando, in familias subrependo eásque seu eloquentiæ fuco & πιθανολογίᾳ singulari, seu sanctitatis admirabili specie in Papatu confirmando; vel ad eundem seducendo; scriptis Pontificiam authoritatem impudentissimè propugnando; ad extremos Indos & Garamantas Proselythorum lucrifaciendorum gratia cursitando; subditos adversus Principes minùs Papæ addictos, vel eidem infensos concitando; eorundémque jugulum nefariè appetendo; Principes Papæ addictos adversus subditos eidem non addictos inflammando; & modò Principes, modò subditos, prout conducere videtur, omni juramentorum fide exsolvendo. Qua in militia omnes equidem Ordines mirum quantum exercitati sunt, præ cæteris tamen Jesuitæ, Mortalium omnium nequissimi, &

mi, & ad omne genus fraudum, criminúmque instructissimi, promtissimique, uti abundè passim Historia Papatus confirmat.

cui rei non parùm ordinum exemptio à potestate Episcoporum confert.

LVIII. Non parum Monachorum isthanc servitutem, & ad tuendam Pontificiam dominationem studia, eorundem à potestate Episcoporum exemptio auxit. Nam olim quidem eos Episcopis subjectos fuisse ἀνεξαγώνιον est. Ut verò eos dominationis suæ instrumenta liberiora promtioráque Papa haberet, atque ipsi quoque ampliori libertate fruerentur, tantóque plus haberent, quod imputarent Domino suo, eos ab Episcoporum jurisdictione eximere, sibique mancipare totos collibuit. Ita paulatim Episcoporum, rectorum suorum potestate exiverunt, eóque res devenit, ut de tollendis, vel moderandis saltem eorum exemptionibus, & illis si non in solidum, ex parte saltem Episcopis subjiciendis, in Tridentino Concilio deliberatio susciperetur. Sed Ordinum Generales, & Theologi Monachi plerique consilio huic tumultuantes gravissimè intercesserunt; usi eo prætextu, si Monasteria Ordinariis subjiciantur, fore ut protinus deformentur. Namque ipsos, utpote vitæ Regularis, & severitatis disciplinæ, quo id genus vitæ conservetur, rudes, omnia temerè permisturos. Episcopi regerebant, privilegium semper esse cum detrimento, & prævaricatione legis, revocationem verò esse quidpiam favorabile, quo negotia ad suam naturam revertantur. Ordinum patroni contra differebant, exemptionem suam adeò antiquam esse, támque firma præscriptione niti, ut non amplius privilegium, sed lex communis appellari possit. Eo tempore, quo Episcopis adhuc subjecti fuerint, disciplinam Ecclesiasticam in ipsis, & eorum Canonicis adeò amussitatam & severam fuisse, ut in omnes inspectio iis meritò tributa fuerit. Si igitur antiquitatem restitutam velint, iis quoque ad antiquos mores reverten-

vertendum esse. Favebant, ita disceptationis ejus testis S. Polanus *Hist. Concil. Trid. lib. viij.* scribit, *Regularibus Oratores, etiam Legati utilitatibus Curiæ R. addicti, quæ egregio instrumento orbata fuisset, nisi ab ea sola* (Monachorum Ordines) *penderent.* Durante per aliquot dies ea contentione, sensim ea remisit, *propterea quòd* (uti idem narrat) *qui eam excitârunt Episcopi, majorem in dies in ea re difficultatem perspiciebant.*

LIX. *Secundò* non parum etiam emolumenti ad Pontificem ex tot Monachorum Cælibatu redundat. Nam in universum quidem Cælibatus Clericorum & Pontificiæ dominationis arcanum in ipso quoque Tridentino Concilio Cardinalis Rodolphus Pius Carpensis apud eundem S. Polanum *Lib. v.* his verbis detexit: *Si connubia Sacerdotibus permittantur, id inde secuturum, ut familiam, uxores & liberos alentes, ad Principis quisque sui obedientiam respiciens, Pontificis obsequium detrectet: ut liberorum Charitas ab officio ad omnem Ecclesiæ fraudem ac præjudicium abducat: ut de Sacerdotiis in familias hæreditario jure asciscendis cogitent, ut denique intra breve tempus Sedes Apostolica Romanæ Urbis cancellos non ascendat. Ante institutum Cœlibatum Sedem Romanam nullum ex aliis civitatibus ac regionibus fructum percepisse; per hunc adeptum dominatum omnium Sacerdotiorum, quæ matrimonium exiguo tempore illi eriperet.* Saltem inde liquet, Monachorum etiam Cœlibum tot myriadas Pontifici adlubescere, ne uxorum & liberorum charitas ab obedientia Papæ ad Principum Evergetarum obsequia flectat.

Secundò, quia Cælibatus omnium Clericorum, adeóque etiam Monachorum Regni Pontificii nervus est.

LX. *Tertiò* ex Monachorum numerosis Ordinibus Romana Curia non parùm ditatur. Id quoque arcanum Gallorum post Concilium Tridentinum finitum querela apud eundem Historicum *lib. viij.* his verbis reserat: *Hoc perpetuum,*

Tertiò, quia ex multitudine ordinum non parùm Romana Curia ditatur.

petuum, inquiebant illi, *Curiæ Romanæ artificium est, bona Secularibus erepta primò ad Clerum, dein etiam Romam pertrahere. Id scilicet primò satagunt, ut prætextu voti paupertatis Monachi existimationem acquirant, quasi nullam rem temporalem intueantur, sed omnia charitatis causa faciant in populi servitutem. Post, existimatione parta, Curia cum ipsis de voto dispensat, unde facilè ditescunt. Cúmque bene opulenta facta sunt Monasteria, demandantur in commendam, & id omne denique in Curiam R. affluit.* De quibus commendis, quas Romana Curia, famelicis ac voracissimis Harpyis referta, fovet, in loco Σ. ⊖ plura.

Quartò, quia Monachorum innumerabilis multitudo substinendo Regno Pontificio non parùm conducit.

LXI. *Quartò* denique vel sola Monachorum innumerabilis multitudo Pontifici R. eum usum præstare potest, ut instructissimis eorum exercitibus si necessitas, acre telum, postulet, Regnum suum tueri, & adversus quosvis vindicare valeat. Non obstabunt vota, quorum relaxandorum Papa sibi potestatem vendicat. Non exercitationis militaris defectus, quia, experientia teste, passim in Civilibus bellis religionis causa exortis ipsi primipili fuerunt, strenuámque Pontificiis partibus pugnando, cædendo, operam navârunt; atque insuper & ingenio & sævitia, si Domini sui causam agi cognoverint, plurimùm valent. Non locorum, quibus distracti sunt, intervalla, quia Papa Ordinum Generales secum perpetim Romæ habet, atque illi per suos Ordinum Provinciales, hi per Priores & Abbates expeditissimè quidvis perficiunt, neque parùm existimatio sanctitatis, qua apud populum pollent promovendis quibusvis consiliis conducunt. Si vel in sola Italia, ubi plus quàm decem centena millia Monachorum nomine veniunt, delectum eorum, qui bello idonei sunt, agi contingeret, quantum exercitum, sacrum scilicet, conflari intra breve tempus posse, putabimus? Sabellico *Ennead. ix. lib. ix.*

lib. ix. teste; Magistri Ordinis Minoritarum Pio Pontifici, expeditionem in Turcas paranti, ex sola Minoritarum familia triginta millia bellatorum, qui bellica munia gnaviter obire possint, nihil sacrorum interpellato cultu, pollicitus est.

LXII. Ut verò Civitatis, Babylonicæ magnitudo, vel solorum Monachorum intuitu, liquidò magis cognoscatur, lubet qualicunque eorum distinctione defungi. In universum igitur Monachi Pontificii sunt vel *Anachoretæ*, seu *Eremitæ*, quos Durandus *girovagos*, *vagabundos & circumcelliones* appellat, in eremis & desertis locis, procul humano & rationali commercio, solitariam vitam agunt, & alii quidem sub Priore in remotis & abditis locis degunt, singuli singulas cellas, veluti sepulchra quædam inhabitantes: alii antris, speluncis & parietibus se includunt: alii denique squalores solitudinum requirunt, in bestiali ferarum consortio herbis pascuntur, pelle operiuntur, & algore noctis, ac calore solis in modum Æthiopum denigrati veluti tympanum obrigescunt. *Cœnobitæ* verò inter se familias instituunt, communitatem alunt, & in locis quidem plerumque commodissimis amœnissimisque, subinde etiam magnificentia cum Regum palatiis certantibus. *Monachi Pontificii sunt vel Anachoretæ, vel cœnobitæ.*

LXIII. Monasticæ vitæ præcipua basis sunt *regulæ*, quæ in universum ferè quatuor sunt, puta Basilii, Augustini, Benedicti, & Francisci. Paucíque hactenus Ordines reperti sunt, Carthusienses puta, Jesuitæ, & nonnulli alii, qui juxta unam harum regularum, tametsi diversissima ratione, vitæ suæ Monasticæ semitam non terant, quod Azorius *Instit. Moral. xiij.* 11. Bellarminus *de Mon. lib. ij.* 3. Augustinus Barbosa *in Collect. Bullarii*, aliique non diffitentur. *Basis ordinum sunt regulæ quatuor, Basilii, Augustini, Benedicti & Francisci.*

LXIV. Ratione modi acquirendi victus in Mendican- *Mendicantium ordi-*

 tes,

num genera sunt quatuor, Augustinienses, Prædicatores, Carmelitæ & Franciscani, ad quos plerique alii referuntur. Non mendicantes sunt vel Canonici Regulares, vel non Canonici.

tes, & Non Mendicantes dispescuntur. *Mendicantium* quatuor perhibentur genera, Augustinienses, Prædicatores, Carmelitæ, & Minoritæ, seu Franciscani. Cùm verò juxta Concilii Tridentini decretum *Seß xxv. de Regul. cap.* 3. omnibus Monasteriis, *exceptis Francisci fratribus Capucinis & Minoribus de observantia*, bona immobilia possidere liceat, solos Capucinos & Minores de observantia propriè Mendicantes esse, colligitur. Neque tamen minus quatuor illi ordines Mendicantium nomine, usitata inter illos distinctione paupertatis Altissimæ, Mediæ, & Infimæ veniunt. Ad *Augustiniensem* referuntur Eremitæ discalceati S. Augustini, Societates corrigiatorum, seu Tertiarii, Congregationes Pœnitentiæ Jesu Christi, seu Saccitæ, item de Britinis, Lombardiæ, Illæcitanæ, S. Salvatoris Carbonaria, Perusina, alias S. Mariæ de populo, Genuensis seu S. Mariæ de consolatione, Montis Ottoni, Apuliæ, seu Dulceti, S. Mariæ de Calorito, S. Antonii in monte Vulturno, Servi beatæ Mariæ, Brigidiani, Jesuati, Canonici S. Gregorii, Montolivetenses, Hieronymitani Eremitæ, Scopetini, Johannis Hierosolymitani, seu Ferieri, Fratres Petri Confessoris de Mogella, Sepulchritæ, seu Fratres Dominici sepulchri, Gilbertini, Victoriani, Coronati, Milites D. Jacobi de Spata, quorum aliorúmque plurium congregationes Alphonsus Alvares Guerrera, Aubertus Miræus, Barbosa, aliique referunt. *Ad Prædicatores* pertinent Fratres de Militia B. Dominici, aliàs Observantici, & Fratres de militia Jesu Christi, ac post Fratres & Sorores de Pœnitentia B. Dominici, dicti; Ordo Catharinæ de Senis, Conventuales, Hetrusci, Quesillæ seu Cloppæ. *Carmelitis* accensentur duæ congregationes, Italica & Hispanica, singulæ sub suo Generali. Denique *Minoritæ* seu *Franciscani* sub se quinque primarias congregationes habent, puta Conventualium, qui Claustrales etiam,

etiam, Gaudentes, dicuntur, & quorum fœtus ſunt Minoritæ Diſcalceati, ſeu Minores Conventuales Reformati; Obſervantium, ad quos etiam Obſervantes Reformati, ſeu Recollecti referuntur; Tertiorum, ſive Tertianorum de Pœnitentia, Capucinorum, & S. Claræ, ſeu Clariſſarum, quæ in Obſervantes, Reformatos, Urbaniſſ: Dominas pauperes, & Dominos Nobiles ſeu ditiores dividuntur. Ad Franciſcanos eoſdem ſubdiviſione quadam Minimi de S. Paulo, Collectanei, Amadeani, Reformati, de Euangelio, Chiocini cum Barba, de Portiuncula, Paulini, Boſiani, de Auguſtinis cum perforatis calceis, Servientes, ſeu Servitæ rediguntur. *Non Mendicantes* Monachi ſunt vel *Canonici Regulares* quorum ordines ſunt Servatoris, ſeu Scopetinorum, Friſonariorum ſeu Lateranenſium, S. Gregorii in Algo, Marci, Canonicorum Regularium Auguſtini, Præmonſtratenſium, ſeu Candidi Ordinis Norbertini, Benedictinorum, Cœleſtinorum, ſeu Ordinis in Montibus à Cœleſtino V. ſic dicti, Canonicorum Regularium S. Crucis Conimbricenſis in Portugallia, & Cruciferorum; vel *Non Canonici*, ad quos Antoniani, Guilhelmitæ, Bernhardini, aliâs Ciſtercienſes ſeu Clarevallenſes, Fratres Vallis Umbroſæ, aliique referuntur.

LXV. Monachis ſe accenſeri *Jeſuitæ*, inde nomen ſuum verè adepti, quòd ſicut veteris Romæ ſatellites devictarum à ſe gentium nomina præferebant, ſic à debellato Jeſu illi Jeſuitarum cognomen meruerunt; Babylonicæ Meretricis ſeplaſiarii & agyrtæ γνήσιοι, & triariorum in exercitu Papæ ſtationem obtinentes; graviter ferunt equidem, neque immeritò. Nihil enim minùs quàm μοναχοὶ *ſolitarii* ſunt, ſolitudinem pertœſi maximè. In mediis urbibus, in foro, vicis, compitis, curiis Senatorum, aulis Regum ac Principum verſantur, in caſtris quoque, & inter armatorum acies circumvolitant, denique in ipſa quoque *Monachis Ieſuitæ annè accenſendi ſint?*

 gyne-

gynecæa penetrant. Neque reliqui ordines Monaſtici in ſuo cenſu æquo eos animo patiuntur, non minùs ægrè ferentes, ſua iis privilegia communicari, quos etiam ſimiles eſſe avi cuipiam fluviatili, quæ indicto avium conventu ſe piſcem, indicto piſcium conventu ſe avem profitebatur, dicere ſolent. Proin eoſdem urgent, ut depoſita tandem perſona ſe vel Monachis, vel Epiſcopis adjungant. Illi neutris ſe adjungunt, ſed modò ad hos, modò ad illos divertunt, utrorúmque participes. Nam cùm Monachum ſolitudo & otium juvet, ipſi quoque à populo ſe ſegregare, ne curarum terrenarum contagione afficiantur, videri volunt, atque adeò in umbra ſoli per ſpatioſos porticus inambulantes, cogitationibus ſuis indulgent. E diverſo cùm Epiſcopi munus actione contineatur, ipſi quoque animi gratia ad populum declamant, Sacramenta ſua ſanis, ægris, publicè, privatim diſpenſant. Quoniam verò languida nimis Monachorum videbatur conditio, ſi ſe totos meditationi dederent, aut odioſa, ſi rerum ſatagerent; atque contra ærumnoſum nimis exercitúmque Epiſcoporum munus eſt, iccirco medium quoddam, & ad felicitatem propenſius vivendi genus, quod laboris civilioris, & meditationis vicibus temperaretur, arriſit. Itaque id eatenus attingentes, quatenus viſum commodum eſt, libera ad meditationem & otium ſibi tempora reſervarunt, ſicque rem geſſerunt, ut inter Epiſcopos Semi-Monachi, inter Monachos Semi-epiſcopi, utriſque meritò ſuſpecti habeantur. Adde quòd non inertem navant operam pueris erudiendis, & ad ſuam rationem informandis, atque inter has curas non pauca alia moliuntur. Unde non immeritò Monachiſmo praxis adjungitur, hoc eſt, πολυπραγμοσύνη, cujus cum eo mixtura artem Jeſuiticam, medullámque doctrinæ Papæ conſtituit. Sicut enim medulla alimentum ultimum eſt, perfectiſſimè elaboratum, ita ultima hæc Monacho-

nachorum natio, quam *Monarchiæ Soli-ipsorum* nomine non malè nuper Lucius Cornelius Europæus descripsit, una reliquarum omnium instar, ejusque doctrina subtilior quidem succus, ex Monachorum antiquiorum regulis delibatus, & expressus est.

LXVI. Dicamus tamen breviter, quibus in rebus Jesuitæ à Monachis reliquis differant maximè. Monachos tria vota nuncupare, Continentiæ, paupertatis & obedientiæ, constat. Jesuitæ professi quartum Missionis votum addunt, quo singulari ratione Papæ se mancipant, ejusque imperata omnia, nulla habita ratione pietatis, æquitatis, juris, facturos promittunt; eáque ratione Pontificis R. molossi, & canes venatici, quos robustus ille Nimrod ad indagandos & opprimendos verè fideles emittit, evadunt. Monachis ex testamento suorum, aut ab intestato legati capio nulla erat, ideóque neque querela de inofficioso competebat. Jesuitæ verò id juris sibi reservarunt, ut hæreditates ad se devolutas nomine quisque privato adire, ac præteritione testamenta rumpere possint. Et quamvis dona grandia Monachi à caducis & moribundis hominibus aucuparentur, id ipsum tamen accuratiùs Jesuitæ præstant. Illud tamen interest, quòd non ad recitandas manè & vesperi nænias se obstringunt, neque cadaveribus Divorum delubra funestant, sed quicquid id est, quod donatur, purum putum sibi habere volunt. Reformarunt quinetiam eam Monachorum turpitudinem, qui mantica per vias onusti, stipem & annonam ostiatim mendicabant. In templis verò sicut in foro, vinum, polentas, ova, gratiis mercabantur. At Jesuitæ domi & foris nil nisi nitorem & Sybariticum luxum præ se ferunt. Suppresserunt etiam quasdam mei & tui appellationes, quæ jam inter Monachos gliscebant, magnámque incommodorum caudam secum trahebant. Simul etiam ac rerum proprietates di-

Monachorum & Jesuitarum differentia in pluribus, horúmque deplorata malitia.

ſtinctæ eſſe cœperunt; deſerta cauſa publica ad ſuum quiſque commodum collimavit. Unde ſi ab uno collegio in aliud migrandum erat, colligendæ ſimul erant omnes ſarcinulæ, alioqui nuda omnia & inania reperturis. Jeſuitæ ſoli reperere modum, quo nihil poſſidentes omnia poſſideant. Nam & depoſitis omnibus impedimentis ſecum ambulant paſſim, & quocunque gentium proficiſcuntur, omnem ſuppellectilem & corporis cultum inter ſuos opportunum nanciſcuntur. Præterea informi quodam habitu Monachi incedentes, tetricum quiddam & inhumanum ſapiunt, hi nudis pedibus, hi feneſtratis calceis, hi turbinato vertice & capucio, hi cucullo vel nigro, vel albo, vel cineritio, aut contortis funibus horrendi. At Jeſuitæ formam communem & uſitatam tenent, ut ſe turbis hominum ultro citróque miſceant, rumuſculos impunè captent, ſuúmque vigilum & ſpeculatorum, vel potiùs proditorum munus promptè exequantur. Inde eſt, quòd ad extremas oras nullo penè ſumtu abeunt, & graviſſimas Papæ juſſu legationes obeunt, quæ Cardinalibus antea demandari ſolebant. Tantum inter Monachos & Jeſuitas, quod ad habitus victúſque formam attinet, intereſt, quantum inter veteres meretrices aulicas & recentiores: illæ pulchritudinem ſuam in jejuna quadam corporis exilitate conſtituebant, unde miſerè genium ſuum affligebant: hæ verò veterem illam hæreſin damnantes, corpus ſuum intus & in cute ſplendidè curandum, neque quidquam in fraudem genii de demenſo detrahendum cenſent. Denique Monachis pudor nonnullus fortè ſupereſt, cujus ſcilicet inſtinctu nonnulli ſaltem inter illos minus infeſti Regibus, minùs Pontificibus addicti, & ſanguinariis conſiliis innexi, denique minùs mali reperiuntur. Pudoris hujus clauſtra ita Jeſuitæ perruperunt, ut in illorum ſocietate vix unus exiſtat, qui non furioſa ac tartarea placita ſocietatis &

mor-

mordicus animo teneat, & vel præsentissimo capitis periculo tueri, manúque, sica, vel veneno armata sancire paratissimus sit. Rebus hujus seculi totos se hactenus immerserunt, Papatum efficaciùs quàm cæteri rexerunt, dominationem Pontificiam ceu Atlantes sustentarunt, potestatem omnis institutionis ad quascunque doctrinæ partes in scholis & extra eas, ad se traxerunt, gubernationem, intimam inspectionem, & ductum quarumcunque præstantiorum & potentiorum familiarum, in testamentis condendis, arte plagiaria exercenda, liberis parentum obedientiæ subducendis, conjugiis procurandis, sibi vindicarunt; Principum & Rerum publicarum arcana, inventa etiam forma modóque exactissimæ per Christianum Orbem Correspondentiæ, scrutati exteris prodiderunt, ipsum humanæ societatis vinculum, quod in data fide & pactorum observantia consistit; pervertere docuerunt; sicariis ad parricidia Regum & Principum viam muniverunt; Pelagiana de gratia & libero arbitrio dogmata ad fastigium produxerunt; Theologiam Moralem & Casuisticam fœdis placitis, Epicureismo & Atheismo impleverunt; Idololatriam, Mariolatriam, Papolatriam, Staurolatriam, Artolatriam, Lipsonolatriam ad summum apicem provexerunt; artes denique Merculiales ac technologias, Jesuiticæ prudentiæ medullam, mentisque oculum, cujusmodi sunt mendaciorum, æquivocationum, reservationum mentalium pudenda cùm doctrina, tum praxis, adeò quidem, ut jus fasque esset omnibus Jesuiticam sententiam professis, ementito nomine, dissimulata secta, imò etiam simulata ea, quam acerrimè oderunt, religione, Magistratui imponere, pejerare & ambiguis responsionibus interrogationes eludere; librorum nothorum & pseudepigraphorum inventio, scriptorum antiquorum & recentiorum expurgatio, castratio, falsatio; bonorum per subreptiones, obreptiones, blandi-

blandiloquia generosas scilicet mendicationes ingurgitatio, alia ejusmodi impunè hactenus exercuerunt, & exercere non desinunt, ut dubitari amplius non possit, quin hoc ultimo patientiæ Dei ævo, Pater mendacii hoc hominum genus, tanquam ultimum fœtum suum, ex matre sycophantia, obstetricantibus omnibus inferorum furiis, susceptum, instaurandis Babylonici Templi parietibus ex orco emiserit.

Monachorum & Iesuitarum incredibilis multitudo Civitatem magnam Cleri dominantis propalat.

LXVII. Ex Monasteriorum, quæ Monachi & Jesuitæ insident, multitudine, de Civitatis Babylonicæ amplitudine, magnitudine & potentia judicari nullo negotio potest. Sanè qui Monasteriorum inde à tempore Papatûs orientis numerum inire constituerit, eum calculi penè deficient. Sabellicus *Enneade ix.* testis est, sua ætate, hoc est circa M. MCDXC. *Augustinensium* Eremitanorum Ordinis Cœnobia, quorum quidem iniri ratio potuerit, circiter duo millia, virginum autem trecenta: Carmelitarum septem millia & quinquaginta; Prædicatorum quatuor millia, centum & quadraginta tria extitisse: ab anno etiam Domini MCCXI. usque ad MCCCLXXX. adeóque centum & septuaginta novem annorum brevi intervallo per Orbem Christianum pro Franciscanis seu Minoritis extructa mille & quingenta Cœnobia fuisse. Summa igitur Cœnobiorum intra annos solos trecentos in gratiam Mendicantium tantùm Monachorum, Augustinensium puta, Carmelitarum, Prædicatorum & Franciscanorum, ad quindecim millia exsurgit, non computatis iis, quæ pro Monachis reliquorum ordinum non minùs fortè numerosa extructa fuerunt. Sanè etiam Scriptor Italus Durus de Pascolo, Johanne Boreel Epistola Dedicatoria, Broughtoni in Danielem Commentario præmissa, citante, jam olim Monasteria per Orbem Christianum viginti duo centena viginti quinque millia & quardraginta quatuor nume-

numeravit. Accedunt Jesuitarum incrementa mira, de quibus etiam ipsimet, veluti certo Divinæ virgulæ argumento, gloriari solent, parùm interim memores, malam herbam citissimè crescere. Petrus Ribadeneira A. MDCVIII. Catalogo in lucem edito, inde à Jesuitarum incunabulis ad eum usque annum, adeóque intra septuaginta circiter annos, domos professas viginti & unam, Collegia ducenta nonaginta tria, Domos probationis separatæ triginta tres, Domos & Residentias nonaginta sex, Socios denique decem mille quingentos octoginta & unum recensuit. Atque in immensum adeò eorum excrevit numerus, ut Generalis eorum Aquaviva jactasse feratur, plures se breviorique spatio milites in castra, quàm Rex quivis Christianus, cogere posse. Quin etiam tempore interdicti Veneti, cùm jam undique grave Papæ periculum immineret, Paulo V. Pontifici suppetias quadraginta millium promisisse leguntur, ea scilicet lege, ut quotquot in prælio obirent, in catalogo Martyrum scriberentur.

Monachatui affines sunt Confraternitates, quarum origo à Roma Ethnica arcessitur.

LXVIII. Cum Monachis affinitate quadam juncti sunt non nulli nec clerici, nec laici, sed medium quoddam inter utrosque genus, *devoti Seculares* (sic enim hybridæ illi appellari gaudent) qui meritis Monachorum inhiantes, sed institutis austerioribus impares, Sodalitia seu *Confraternitates*, certis quidem, sed laxioribus legibus sub patrocinio titulóque Sancti vel idoli cujuspiam adstrictas ineunt, atque eo pacto meritorum Monasticorum omnium fiunt participes, præsertim si φραγελλίζοντες isti diebus anniversariis in supplicationum pompa incedentes, obvelata facie, renudatas Scapulas flagris converberent, atque hac αὐτοπληξίᾳ priscos Baalis Sacerdotes graviter æmulentur. Quarum quidem fraternitatum ritus undecunque alii derivent, à Roma Ethnica veteri ad novam Babylonicam dimanavit. Namque vix condita urbe illa septicolli, à Romulo

Nn

mulo instituti fuêre Sodales Titii & fratrum *Arvalium* Collegium, de quo apud Rosinum *Antiq. Rom. lib. iij.* 6. pluscula legi possunt. Inde apud Suetonium quoque Sodales Augustales; apud Capitolinum Antoniani. Vetusto quoque marmori apud Tybur inscriptum hodiéque reperitur; Sodales *Hadrianales*. Atque ad hanc Originem Fraternitates istas Pontificias Pontificii quoque non nulli apud Polydorum Vergilium *Lib. vij.* 6. retulerunt.

Fraternitatum differentia, quas inter Rosario-Mariana excellunt.

LXIX. Primus fraternitates ejusmodi instituisse Bonifacius Anglus, Germanorum circa A. C. D. CCLXX. Apostolus, putatur. Ex eo tempore longè latéque propagatæ sunt. Quod ex fraternitatum speciebus variis abundè liquet. Aliæ enim institutæ sunt in honorem reliquiarum, vel actionum & passionum quarundam, ut & Divorum Chimæricorum: aliæ in honorem Divorum. *Prioris* generis sunt fraternitates Sacramenti Altaris, Sancti Sudarii, Circumcisionis, seu Præputii Christi, dulcis nominis Jesu, S. Crucis, Catharinæ Rochi, Animarum Purgatorii &c. *Posterioris* generis sunt fraternitates institutæ in honorem B. Virginis Mariæ, Patriarcharum, Jobi, Josephi, Sponsi B. Virginis, B. Annæ, Petri, Pauli, Antonii, Adriani, Sebastiani, Huberti, Barbaræ, Luciæ, Agathæ, Willebrordi, Ittæ, Benedicti & Scholasticæ, aliæque innumeræ. Quò referri etiam potest, quòd referente Camillo Fannucio *Opere pie di Roma lib. iv.* 13. Confraternitas Catharinæ Senensis privatim primùm, & post etiam publicè in Ecclesia Orationem quadraginta horarum instituit, quam A. M. DXCII. Clemens VIII. sua authoritate sanxit. Inter fraternitates porro istas Marianæ, à Dominico circa Seculi XIII. initium institutæ, & ab Alano de Rupe restauratæ, excellunt facilè, utpote quæ & magno in pretio habentur, & Oceani instar Papatum inundant, annitentibus inprimis post reformationem Jesuitis, ut à Monachorum reli-

reliquorum eosdem antehac promoventium veneratione abstractos homines sibi mancipent. Institutarum & propagatarum à societate sua fraternitatum Parthenicorum multitudinem admirandam ipsimet *Imag. primi Seculi Jes. lib. iij. 7.* insolenter admodum decantant. Fratrum horum Parthenicorum κύριον ἔργον est, B. Virginem Mariam religiosè colere, peculiari scilicet instituto modoque orandi, quem Beatæ Mariæ *Corollam*, *Coronam* & *Rosarium* appellant, acceptissimum scilicet omnium Beatæ Mariæ, utpote Dominico à Spiritu S. si Bullæ Pii V. credere fas est, dictatum ab ipsa Maria per varias visiones & apparitiones, puta Alano de Rupe, qui ex Psalterio Mariæ Rosarium fabricavit, Sprengero aliisque factas, tot denique, tantísque miraculis Divinitùs præstitis, & Papali universæ Ecclesiæ Romanæ authoritate, largissimísque indulgentiis, ne dicam ipsius etiam Diaboli confessione & testimonio, à Dominico uti Alphonsus Fernandes Dominicanus *Concert. Prædicat. famil. ad A.* MCCXII. scribit, extorto, confirmatum. Varias Marianarum harum fraternitatum species apud Coppensteinium, aliósque videre est.

LXX. Qui fraternitates illas, Rosario-Marianas inprimis, Pontificiæ tyrannidis & idololatriæ adminicula & munimenta dixerit, censueritque, næ is à vero non procul abluserit. Ut ut enim de fraternitatum illarum fructibus, satisfactione pro peccatis, ampliatione cultus Divini & Sanctorum, patrocinio eorundem ampliore, liberatione à periculis, purgatorio, ipsaque inferni evacuatione mira earum hyperaspistæ garriunt, non postremus tamen earum fructus est, tyrannidis Pontificiæ propagatio. Experientià enim comprobatum est, iis, qui tuendæ Pontificiæ potestatis gratia, Rerum publicarum status turbare, adversus supremas potestates conjurationes inire, & proditiones fovere moliti sunt, nihil fraternitatibus ejusmodi

Pontificiæ tyrannidis adminicula eas esse, probatur.

 offerri

offerri opportunius potuisse. Fratres enim Pontifici devotionem suam amplis & magnificis promissis Spiritualium & corporalium bonorum locupletanti arctissima fide, propensa charitate & obsequiis ita addicti sunt, ut in ejus gratiam nihil non velint nolintque, adeóque etiam eorum, quos Pontificiæ tyrannidis, & idololatriæ Pontificiæ adversarios ferre non possunt, incendia præsentissima procurent. Cleri inemendabilis, Jesuitarum inprimis Promachos strenuos se gerunt, & in militia denique sacra Babylonica, id ferè, quod in Turcica Janitzari & Spahi, præstant. Quæ causa est, quòd fraternitatum, Fratrúmque augendo in immensum numero studiosissimè Monachi, Jesuitæ inprimis inhiant. Italia sanè Sacerrimis sodalibus ejusmodi referta tota est. In utraque India & Japonia innumeras ferè Marianas Sodalitates, & ab uno Gregorio Ciscero trecentas constitutas esse, Jesuitæ *in Imagine primi sui Seculi pag.* 420. gloriantur. Per universam Europam cuncta sodalitatibus impleta sunt, quibus Principes, nobiles, Senatores, judices, cujusvis status & ordinis homines adscribuntur. *Quid quod*, ita iidem *pag.* 361. scribunt, *militum, quid quòd agrestium, quid quòd reorum, damnatorúmque ad triremes, & mendicabulorum initæ sunt sub Mariæ nomine Societates?* De Ferdinando II. iidem *pag.* 421. referunt, quòd omnibus Sodalitatibus Marianis per utramque Austriam, per Hungariæ Bohemiæque Regna, per Stiriam, Carinthiam, Carniolam nomen suum dederit, & in singularum tabulis inscriptum legi voluerit: *Ferdinandum Secundum, Virgineum Clientem. Nec suarum*, inquiunt illi, *contentus ditionum tabulis, Provinciis etiam remotissimis supplicavit; Belgio inprimis nostro; cujus ultimis in finibus celeberrima congregatio Duacena Ferdinandi adscripto nomine, etiamnum gloriatur.* Quin & *pag.* 422. Imperatrices, Reginas, Principissas, Antisti-

tes Sa-

tes Sacrorum, Nuntios Pontificios, Patres Purpuratos in Parthenias suas tabulas relatos, crepant. Ferdinandum inprimis Tertium, qui, uti *pag.* 362. illi referunt, his verbis Marianæ Sodalitatis albo nomen suum inscripsit: *Illius ego Cœtus sub invocatione Tua congregati, Augustissima Maria, Me libens & meritò unum profiteor. Tibi ego Me, Meósque, Conjugem ac Liberos, Tibi Romanum Imperium, cui me Deus præfecit, Tibi Regna à Majoribus accepta, Tibi, tutelæque tuæ populum & Exercitus meos, Tibi Tuóque Filio militantes committo. Tu me in Tuum admitte, qui Filio Tuo, qui Tibi, qui utriúsque honori vivo, regno, pugno. Tuus igitur ero, Maria. Tui erunt; quicunque mei. Tuæ erunt ditiones, & Regna mea, & Imperium. Tui populi & Exercitus. Tu eos protege, Tu eis vince, Tu in eis regna & impera. Ita voveo* MDCXL. *Tuus & pietate & justitia Ferdinandus.*

LXXI. Supersunt Sacri Milites, & Religiosi Equites, Civitatis Babylonicæ pars non ignobilis. Distinguuntur illi à Secularibus, qui iidem etiam Honorarii & Torquati dici solent, cujusmodi sunt Aurei velleris apud Burgundos & Austriacos: Stellæ, Michaëlis, S. Spiritûs, Scuti aurei, Hystricis, Lunæ Crescentis, &c. in Gallia: S. Georgii seu Garterii in Anglia: Annuntiationis Angelicæ apud Sabaudos: Bondæ apud Hispanos: Redemtoris Christi apud Mantuanos: S. Stephani in Hetruria: Lilii apud Navarros & Arragonios: S. Marci apud Venetos: S. Andreæ apud Scotos: Elephanti apud Danos: Seraphini apud Suecos: Spothæ apud Cyprios: aliique, quorum tamen iis saltem in locis, quæ Pontifici adhuc parent, commune cum Militibus sacris munus est, quòd Promachos se Ecclesiæ, hoc est, Pontificiæ potestatis gerere tenentur.

Civitatem Magnam cleri dominantis claudunt Equites, tum Honorarii, seu Torquatis

Nn 3 LXXII.

tum Sacri seu Religiosi, partim minùs propriè tales:

LXXII. *Sacri* verò seu *Religiosi Milites*, duûm etiam sunt generum. Alii enim tales sunt minùs propriè, alii καϑ' ἐξοχὴν. Prioris generis sunt partim illi, qui à Pontifice constituuntur, quorum alii S. Petri & Pauli commilitones dicti in familia Pontificis degunt; alii Equites aurati, etiam Comites Palatii Lateranensis creantur; alii ex officialibus Curiæ Romanæ deliguntur, qui omnes in equites *S. Petri, S. Pauli, Lauretanos, S. Spiritus, S. Antonii, Julii, Lilii, Christi* &c. dividuntur: partim illi, qui sub certa regula & voto cum subjectione Speciali ad exercitium & defensionem Papalis tyrannidis obligati sunt, cujusmodi olim erant *Milites Christi*, à Dominico ad Albigensium extirpationem instituti; *Equites S. Sepulchri in Hierusalem: Cruce signati*, instituti ad præsidium Inquisitorum hæreticæ pravitatis à Pio V. A. M. DLXIX. denuo confirmati: *Equites S. Catharinæ: Crucigeri*, qui cruciatas olim expeditiones susceperunt.

partim propriè tales, dicti Milites Ecclesiæ, iique vel primi, Johannitæ, Teutonici, Templarii, & S. Lazari; vel à primis derivati, qui plerique honorarii facti sunt.

LXXIII. Sed κυρίως & propriè *Equites Religiosi* & *sacri* sunt, qui vulgò *Milites Ecclesiæ* nuncupantur, quique & in defensione Ecclesiæ occupantur, & prima Origine sua, proprióque munere militari tenus ab Ecclesia, Sede Romana, Pontifice dependent, eíque ἀμέσως subsunt, atque eo etiam respectu *homines Ecclesiæ*, seu *Papæ* dici possunt: & Regulares etiam, seu Religiosi, utpote plerique certæ & peculiari regulæ atque ordini, utplurimum Benedicti, Augustini, Cistercensium &c. obstricti, votisque Monasticis castitatis (vel absolutæ, vel conjugalis saltem) paupertatis & obedientiæ, quantum scilicet *arma tractaturis pro fide Christi sat est*, uti Mennenius loquitur, alligati cluent. quorum ordines ex recentioribus Aubertus Miræus Orig. *Equestr. Ord. lib. j. & ij.* nec non Franciscus Mennenius in *Deliciis Equestribus*, aliique describunt. Suntque Equites illi vel primi, vel à primis deri-

derivati. *Primi* sunt, qui olim recuperata per Christianos Palæstina Hierosolymæ instituti sunt ut infideles armis vexent ad orbis Christiani securitatem, Christianos peregrinantes, & sepulchrum Christi visitantes deducant, & contra Saracenos defendant, captivos redimant &c. Eràntque primitùs *S. Johannis, Teutonici, Templarii, & S. Lazari.* de quorum fundatoribus, progressu, rebus gestis fusè iidem Miræus & Mennenius disserunt. *A primis derivati*, & cum iisdem quadantenus convenientes sunt varii, puta *Gladiferi*, seu Ensiferi (qùi postea cum Teutonicis in eundem ordinem coaluerunt) *Jacobi de Spatha, de Calatrava, Alcantaræ, Mariæ de Mercede, Montesiæ, Christi*, sive *S. Michaëlis*, sive *de ala, Bandæ, Hospitalarii S. Spiritus, & S. Antonii, B. Mariæ, Sepulchri Christi* apud Italos, *S. Mariæ* apud Sabaudos, *Mariæ de monte Carmelo*, apud Gallos. Qui tamen Honorarii plerique esse cœperunt, postquam summus eorum Magistratus Principatibus annexus est.

Vigent hodieque Teutonici, seu Milites Mariani,

LXXIV. Hodie igitur Teutonici Johannitæ præcipuè Religionum nomen merentur. Et Teutonici quidem, dicti aliàs à professione & Symbolo *Milites Mariani*, nec non *Milites Domûs Hospitialis S. Mariæ in Hierusalem*, A. MCXC. Imperante Henrico VI. occasione beneficentiæ à Civibus non nullis urbium Bremensis & Lubecensis in obsidione Ptolemaidis sauciatis, miseréque afflictis præstitæ, à Friderico Sueviæ & Brabantiæ Duce, Friderici I. Filio, ex Nobilium prosapia electi institutique eum in finem sunt, ut pauperum in terra sancta palantium curam gererent, armis tum terram sanctam, tum alios Christianorum fines tutarentur. Cœlestinus III. eorum ordinem confirmavit, tributis insignibus, in scuto scilicet candido cruce nigra, & albo pallio; dicta etiam ea lege ut uni Magno Magistro nuncupato, subessent, & duo eorundem genera

nera

nera constituerentur, quorum alii sacris præessent, quibus barbam alere non licebat; alii à rasura & sacris ministeriis immunes militantibus muneribus distringerentur. Capta à Saladino Hierosolyma Equites Ptolomaidem concesserunt, inde in Germaniam translati Borussiam occupârunt, per duo secula ibidem fama viribúsque florentes, donec Albertus Brandenburgicus A. MDXXV. à Sigismundo Poloniæ Rege Dux Borussiæ creatus, Euangelium mox amplexus est. Tum enim Equites in Germaniam reliquam penetrârunt, in qua amplissimis reditibus gaudent, & in ea Magnum Magistrum Albertum de Volfang creârunt, ex quo tempore Principum Teutonicorum juniores filii, aliique ordini illi adscripti, reditibus Ordinis gaudent.

& Iohannitæ, seu Equites Hierosolymitani, qui Syria & Rhodo pulsi nunc Melitam incolunt.

LXXV. Johannitæ, dicti aliàs *Equites Hierosolymitani, Milites*, vel *Equites S. Johannis in Hierusalem*, *Equites Hospitalarii S. Johannis Hierosolymitani*, *Equites*, seu *Milites Rhodii*, ab insula Rhodo, quam amissâ Hierosolymâ insederunt, & ultra ducentos annos contra Saracenos tutati sunt; denique *Melitenses* ab insula *Melite*, quam post captam à Turcis Rhodum Carolus V. iis attribuit; parvis initiis, post captam consilio & ope eorum non postrema à Bullianeo Hierosolymam, sub Regibus Hierosolymitanis incrementa sumpserunt, solenni voto obstricti, quo se religionis gratia Hierosolymam venientes suscepturos & Christianorum aras & focos adversus infideles protecturos professi sunt. Ordinis censentur S. Augustini, atque Orationem Dominicam certo numero repetitam Horis Canonicis pronuntiant. Vestitus militaris sunt arma, quibus baltheum rubrum militare cum alba cruce superinduunt, exterius verò clamyde atri coloris cum alba cruce octogona parti sinistræ innexa utuntur. Primus ordinis illius Magister A. MCIII. Raymundus de Podio

Podio Florentinus lectus est, qui tali voto clientes suos obstrinxit: *Ego N. voveo & promitto Deo Omnipotenti, Beatæque Mariæ semper virgini, ac S. Jabanni Baptistæ, perpetuò cum Dei auxilio servare veram obedientiam cuicunque superiori, qui à Deo & religione nostra mihi dabitur: amplius vivere sine proprio, & castitatem servare.* In tres porrò classes distinctus ordo est, puta *Sacerdotes*, & *Capellanos*, qui sacris operantur, & Dominis suis militantibus fausta & felicia quæque legenda, canenda, oranda impetrare conantur: *Equites* Nobilis prosapiæ omnes, qui Orationem tantùm Dominicam certo numero pronuntiant, & ordini de cætero dominantur, & *Servientes*, qui Equitum imperata facere tenentur. Trecentos penè annos in Syria cum strenuè militassent A. MCCC. à Cap-capo Damascenorum Præfecto inde pulsi, Rhodum insulam expugnârunt, ibique juxta octo linguas seu Nationes, puta Gallicam, Arvenicam, Francicam Occidentalem, Italicam, Hispanicam, Arragoniam, Anglicam, Alemanicam, & Hispanicam Castiliensem, totidem Magistros seu Priores uni Principi subjectos, ac præter hos in Christianorum provinciis alios etiam passim, Ordinum commendatoribus in suis Provinciis præfectos, creârunt. Inde A. MDXXIII. inopes auxilii, discordantium Principum pulsi Melitam insulàm A. MDXXIX. insederunt, eámque strenuè adhuc dum tuentur, tantò Monachis reliquis, si superstitionem excipias, laudabiliores, quantò fortius non tam, ut illi, in Christi, quàm in barbarorum, & infidelium viscera sævientes, Christianum Orbem universum propugnant. Sed de his plus satis.

LXXVI. Atque ex his Hierarchiæ, seu Cleri Romani dominantis Civitas Religiosa longè maxima & amplissima, potentissima, Sole meridiano clariùs conspicitur. Dominantur in ea מלך ושרים *Rex & Principes*, puta Imperator ille *Civitatis Cleri Romani dominantis magnitudo, amplitudo &*

potentia concluditur, atque eandem Babylonem Magnam esse, cæteris paribus, inde evincitur.

tor ille Scenicus, Papa, ejúsque facerimi Principes, Cardinales puta, Regibus adæquati, Curiales Romani Patriarchæ Archiepiscopi, Episcopi, Præpositi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Vicarii, Archimandritæ, Abbates unà cum עבדי מושלים *servis dominantium*, hoc est, dominationis ejus instrumentis, Sacrificulis, Presbyteris, Doctoribus, Theologis, Canonistis, Canonicis, Diaconis, Subdiaconis, Acoluthis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, Monachorum infinitis cohortibus, Jesuitis, Fratribus, Equitibus: Militibus Religiosis, iisque omnibus tanto numero, ut iniri is vix ab ullo mortalium queat. Dominantur illi non uni Nationi, Provinciæ. Dominantur Imperatori, dominantur Regibus, Principibus Christiani Orbis. Ante Reformationem annorum plus quingentorum intervallo dominati sunt conscientiis, fortunis orbis Christiani universi. Cedo mihi Civitatem Religiosam dominantem ejusmodi aliam inde à temporibus S. Johannis, cui Babylon Civitas illa Magna in visione oblata est! Quòd si alia vel dominans, vel magis dominans demonstrari nequit (uti sanè æternùm nequit) hæc, hæc, non alia Magna illa Civitas Babylonica & Hierarchia, seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans, cæteris paribus, Magna illa Babylon esse manifestè convincitur.

DISSER-

DISSERTATIONIS VIII.

SECTIO SECUNDA,

QUA

Hierarchiæ, seu Clero Romano dominanti subesse Populum Magnum, qui Bestiæ nomine venit, demonstratur.

BREVIARIUM.

I. *Civitas Magna subditis non caret. Babylonis M. subditi sunt Bestia, Populus magnus.*
II. *Hierarchiæ Romanæ subditam esse Bestiam septicipitem, Syllogismo generali demonstratur. Propositionis nexus.*
III. *Assumtio per singulas partes probatur. Bestia hominem animalem, & latè patens Imperium stylo Scripturæ significat.*
IV. *Atqui Hierarchiæ R. subest Imperium latissimè patens, Romanum, quâ Pseudo-Christianum,*
V. *quod, ceu animale meritò cum Bestia comparatur.*
VI. *Bestia quo sensu fuerit, non sit, ascensura ex abysso & in interitum itura sit?*
VII. *Imperio Romano Pseudo-Christiano, à Dracone seu Imperio Romano Ethnico thronum & potestatem accipienti, id competere, probatur.*
VIII. *Imago ejusdem in veteri Israële carnali ostenditur.*

IX. *Duo genera hominum, Bestiam admirantium, & nullo loco habentium.*

X. *Eadem genera Imperio Romano Christiano conveniunt.*

XI. *Bestiæ habitus externus coccineus, eidem Imperio aptatur.*

XII. *Os Bestiæ in blasphemias diductum.*

XIII. *Imperii Romani Pseudo-Christiani blasphemiæ.*

XIV. *Bestiæ capita septem, totidémque montes & Reges tribuuntur.*

XV. *Roma septimontia est; sub Constantino M. in certas dynastias, seu Provinciarum capita distributa; ejúsque Imperio statim sub eodem Constantino hypocritæ, homines animales multi se sociarunt.*

XVI. *Montes septem Romæ, quâ tales, & quâ monimentum totidem dynastiarum, Regúmque seu Rectorum earum competunt.*

XVII. *Septem montes illos mulier seu Hierarchia Ecclesiæ Romanæ sub Phoca Imperatore insedit.*

XVIII. *Quinque Reges ceciderunt, unus fuit, alius nondum venit, Octavus ex septem oriturus. Impletum id per incursiones barbarorum populorum, stans Imperium Græcum, Regnum Italicum & Germanicum in Occidente superventurum.*

XIX. *Bestiæ cornua decem Reges sunt.*

XX. *Prophetiæ & complementi ordo.*

XXI. *Pugna cornuum cum Agno, Reformationis tempore maximè.*

XXII. *Cornua seu Reges decem, Papæ Vasalli, ex Hildebrando aliisque enumerati.*

XXIII. *Reges decem qui Reformationis tempore cum Bestia pro Hierarchia Ecclesiæ Romanæ adversus Christum unicum Ecclesiæ Caput decertârunt.*

XXIV.

XXIV. *Bestiæ & cornuum conflictus cum Sanctis, & cum Agno distinguitur.*
XXV. *Reges ab Agno vincuntur.*
XXVI. *Argumentum concluditur.*

I. Civitatem Magnam Babylonicam esse Hierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem abundè demonstravimus. Cæterùm Civitas magna dominans subditis destitui non potest. Cessat enim dominium, ubi subjectio, servitus nulla est. Hinc adeò Spiritus Dei Babyloni Magnæ subditos, Bestiam, quæ Meretricem portat, septem capitibus constantem, in septem collibus habitantem, & decem cornuum, seu Regum totidem potentia suffultum Apoc. XVII. 3. 7. 8-18. tribuit. Esse autem Bestiam hancce Populum magnum animalem, seu multitudinem hominum, Christi nomen oretenus confitentium, at de cætero non tam Christo Domino, quàm Clero dominanti, seu Civitati magnæ parentium, quæ post Romam Ethnicam ad Christum conversam habeat septem capita, seu totidem Provincias Rectoribus suis obnoxias, & loco certo septem montibus superstructo adstringi velit; denique sub septimo capite seu octavo Rege habeat cornua decem, totidémque Reges, cum Rege illo octavo conspirantes, & ad tempus Agnum, Christum, fideles & electos, oppugnantes, donec ab Agno victi odium internecinum adversus Meretricem concipiant, & ejusdem finali excidio illud denique expleant; superiùs *Differt. iij.* 32-40. liquidò comprobavimus.

Civitas Magna subditis non caret. Babylonis M. subditi sunt Bestia, Populus magnus.

II. Quòd si igitur Hierarchiam seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem subditum habere ejusmodi populum, qui Bestiæ Babyloni Magnæ parentis numeros omnes impleat, ampliùs, cæteris paribus, eum Babylonem Magnam

Hierarchia Romana subditam esse Bestiam septicipitem, Syllogismo.

generali demonstratur. Propositionis nexus.

gnam esse, constabit. Atqui habere, Syllogismo sequenti demonstramus:

Quicunque cœtus subditum sibi habet Imperium Romanum Pseudo-Christianum, à Romano Ethnico ortum, Israëli carnali haud absimile, per sanguinis Christi professionem coloratum, & sanguinis Sanctorum, blasphemiarúmque reum; sub Imperatore Constantino M. septem dynastiis, totidémque rectoribus distinctum; quarum quinque post Phocam ceciderunt, una, Imperium Græcum stetit, supervenientibus in occidente Regno Italico & Germanico, quod decem Regibus sociatis pro Papa adversus Christum unicum Ecclesiæ Caput decertavit, & ab eodem denique victum est: Ille subditam sibi habet Bestiam, quæ fuit, non est, ex abysso ascendit, in interitum ibit, coccinea est, plena nominibus blasphemiæ, septem capita, montes seu Reges habet, quorum quinque ceciderunt, alius est, alius nondum venit, superveniente octavo, qui ex septem est; & decem cornua habet una cum Bestia cum Agno belligerantia, & ab eodem vincenda; adeóque cæteris paribus, est Babylon Magna.

Atqui Hierarchia, seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans subditum sibi habet Imperium Romanum Pseudo-Christianum, à Romano Ethnico ortum, Israëli carnali haud absimile, per sanguinis Christi professionem coloratum, & sanguinis sanctorum, blasphemiarúmque reum, sub Imperatore Constantino M. septem dynastiis, totidemque Rectoribus distinctum, quorum quinque post Phocam ceciderunt, una, Imperium Græcum stetit, supervenientibus Regno Italico & mox Germanico, quod decem Regibus sociatis pro Papa adversus Christum unicum Ecclesiæ caput decertavit, & ab eodem denique victum est.

Ergo

Ergo Hierarchia ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans ſubditam ſibi habet Beſtiam, quæ fuit, non eſt, ex abyſſo aſcendit, in interitum ibit, coccinea eſt, plena nominibus blaſphemiæ, ſeptem capita, montes ſeu Reges habet, quorum quinque ceciderunt, unus eſt, alius nondum venit, ſuperveniente octavo, qui ex ſeptem eſt, & decem cornua habet, unâ cum Beſtia cum Agno belligerantia, & ab eodem vincenda; adeóque cæteris paribus, Babylon Magna eſt.

Propoſitionis nexus arctiſſimus eſt, quippe definiti & definitionis ταυτότητι *identitate* nixus. Beſtia enim, qualem Propoſitio Prophetiæ ipſius verbis deſcribit, Imperium Romanum Pſeudo-Chriſtianum, quale eadem Propoſitio deſcribit, definitur, uti verborum Prophetiæ, & eventus harmonia docet, id quod partim *Diſſert. iij.* 32-40. demonſtravimus, partim procedente tractatione Σ. Θ. ampliùs demonſtraturi ſumus.

III. Aſſumtionem quoad ſingulas partes probatum imus. Etenim *Primò* Babyloni Magnæ, Civitati Magnæ, Meretrici Apoc. XVII. 3. 7. 8. tribuitur θηρίον *Beſtia*, eandem portans, adeóque eidem ſubdita, ſuper qua Mulier ceu dominans rectrix, ſedet. Cum Beſtia S. literæ Pſalm. XLIX. 21. LXXIII. 2. Eccl. III. 18. 2 Pet. II. 12. Jud. verſ. 10. hominem imagine & Spiritu Dei deſtitutum, adeóque ψυχικὸν ſeu θηριώδη *animalem* comparat. Quò pertinent ארבע חיון רברבן *quatuor beſtiæ grandes* è mari aſcendentes, quas Daniel cap. VII: 3. vidit. Inter eas verſ. 7. quarta דחילא ואמתני ותקיפא יתירא *formidoloſa, terribilis, & fortis valde*, haud dubiè Imperium Romanum tum Ethnicum, tum Chriſtianum ſignificat. *Beſtiam* illam, quæ Babylonicam meretricem portat, Imperium Romanum non Ethnicum, ſed Chriſtianum ſeu Chriſti nomen profeſſum notare *Diſſert. iij.* 20-27. clarè ſatis comprobavi.

Aſſumtio per ſingulas partes probatur. Beſtia hominem animalem, & latè patens Imperium ſtylo Scripturæ ſignificat.

IV. An-

Atqui Hierarchiæ R. subest Imperium latissimè patens, Romanum, quà Pseudo-Christianum,

IV. An igitur probatione ampliore rem indigere putabimus? Numquid enim non Hierarchiæ, seu Clero Ecclesiæ Romanæ dominanti Imperium Romanum Christianum aliquando universum, atque etiamnum majore sui parte in spiritualibus & temporalibus paruit, parétque? Quomodo, quibus temporum periodis, quibus denique machinationibus sibi Imperium illud Pontifices Romani subjugaverint, adeóque Imperatorem, Reges, Principésque Vasallos & feudatarios suos effecerint, Historia Papatus, Periodum Ecclesiæ Romanæ quartam, quintam & sextam enarrans, κατὰ λεπτὸν edisseruit. Proxima etiam Sectio, imperiúmque quod Romanus Pontifex in Orbem Christianum universum sibi vendicat & gessit hactenus, geritque, tradet.

quod, ceu animale meritò cum Bestia comparatur.

V. Imperium Romanum primò fuit Ethnicum, mox verò Christianum, Constantini M. auspiciis, licet jam tum permixtum hominibus hypocritis & animalibus, qui Christum ore quidem professi, pilum, non animum mutàrunt, ex quibus tot hæretici facti sunt: tandem Christianum ψευδωνύμως, quando Clero Romano dominanti succubuit, ejus in spiritualibus & temporalibus potestatem supremam agnovit, sedem Romanam ceu fidei & mysteriorum omnium magistram & dominam respexit, modum & colendi Dei, & regendorum hominum ab eadem ceu αὐθεντικῶς, & ex plenitudine quadam potestatis, dominante recepit, & ex Imperante serviens reddita, non tam verè Imperium, utpote in Pontifices translatum mansit, quàm clientum & Vasallorum Pontificis, Imperatoris scilicet sui novi, evaserunt, quodcunque nomen præ se tulerint. Atque isthoc qui in se, temporum calamitate, & tremendo quodam Dei judicio, admiserunt, non utique spiritu Dei agitati, sed suis ratiociniis, & consiliis carnalibus moti in se id admiserunt, & eadem ratione se populum magnum anima-

animalem non tam divina, quàm humana authoritate fretum, eligentem id dicere & facere, non quod Spiritus Dei in Verbo præscripsit, sed quod Ecclesia, hoc est, Papa, Clerus dominans dicendum faciendúmque præscripsit; adeóque humanum nomen, humanas erroneásque opiniones sequentem prodidit. Quod dictum velim citra ullam injuriam eorum, qui vel olim, postquam Clerus Romanus Imperium, Populúmque tantum sibi subjecit, in ditione licet habitantes ea, quam Clerus sibi subjecit, Christo Domino Ecclesiæ unico intemeratam fidem servaverunt; vel hodiéque intemeratam servant. Quos cùm solus Deus compertos habuerit, habeátque, nos de personis judicium nobis arrogamus nulli, Deo committentes servos suos, cui soli Domino stantque, cadúntque. Ad animum heic revocari velim ea, quæ *Dissert. iv.* 3. 4. &c. eam in rem copiosiùs dicta sunt.

Bestia quo sensu fuerit, non sit, ascensura ex abysso & in interitum itura sit?

VI. Quæ porro Bestiæ Babyloni parenti, Spiritus Dei, ratione *ortus & interitus*, habitus externi, oris, capitum & cornuum tribuit, eadem populo, qui sub Cleri Romani dominantis jugum missus est, competere, probandum nunc etiam fuerit. Bestiæ igitur primò *ortus & interitus* sic Apoc. XVII. 8. describitur: *Bestia quam vidisti, fuit, & non est, etiamsi est, & ascensura est ex abysso, & in perditionem itura.* Ante omnia imago quædam seu Civitas & Respublica præterita indigetatur, cum qua partim convenit, partim non convenit. Imaginem illam esse vel Draconis, seu Diaboli, populo Romano persecutore induti, qui thronum & potestatem suam Bestiæ cessisse Apoc. XIII. 2. dicitur, vel Israëlis carnalis veteris *Dissert. iij.* 32. 33. ostendimus. *Fuit* igitur Bestia hæc sive in Dracone, ratione ejusdem potestatis & throni, secundum quam imago fuit Bestiæ: sive in carnali Israële, qui circumcisus, populi Dei nomine insignitus, in cultus Divini exercitio seden-

tibus in loco, quem Deus elegerat, subjectus fuit. *Non est* quatenus populus ille magnus similis licet vel Draconi, vel Israëli illi carnali, nec Draco tamen est, qui gentes ad crassam idololatriam seduxit, cùm populus ille crassam idololatriam deseruit; nec carnalis ille Israël, jure scilicet, quia in N. T. status ille & politia Ecclesiæ non obtinet amplius, quæ in V. T. obtinuit, neque Ecclesia Christiana vel Dominis religiosis, vel certo loco affixa ampliùs est. *Etiamsi est*, similis scilicet eatenus & Draconi & Israëli carnali. *Et ascensura est ex abysso*, hoc est, ex multitudine gentium, si Draconis typus spectetur, vel alia omni, quàm Cœlesti origine, si Israëlis carnalis typus valeat, utpote quæ (Bestia) non utique Divina origine & institutione nitetur, cùm Deus ejusmodi Ecclesiam, cujus caput terrestre sit, & quæ certam fixámque sedem in mundo eligit, ut ab ea jus & fas omne arcessat, non instituerit, sed aliunde caput suum proferet. *Et in perditionem itura*, cùm in religione præsertim stabile nihil sit, quod Deum authorem non habet, & plantatio omnis, quam Cœlestis ille Pater non plantavit, eradicari debeat, Matth. xv. 13.

Imperio Romano Pseudo-Christiano, à Dracone seu Imperio Romano Ethnico thronum & potestatem accipienti, id competere, probatur.

VII. Quemadmodum hæc magno illi populo, Christi nomen professo, & Clero Ecclesiæ Romanæ dominanti subjecto, congruant, equidem dicere nihil attinet. Rem ipsam authorem habemus. Populus ille Christianus Romano Pontifici se subjiciens, Draconi utique, Imperio Romano Ethnico potestatem ac thronum suum acceptum refert. Quem Imperatores Romani Ethnici thronum, quam potestatem eximiam habuêre, eam in se Constantinus M. transtulit, & ad posteros propagavit, donec Imperium R. Christianum primò in Spiritualibus, mox etiam in temporalibus Clero Romano subjectum, ita thronum potestatémque suam afflixit, ut penes illud nomen & umbra, & penes Clerum dominantem res ipsa non obscurè residere

residere cœperit. *Fuit* igitur Imperium R. Christianum in Dracone, quoad communem potestatem thronúmque, licet abdicatum iterum, & *non est*, per omnia Draconi similis, quia nec crassæ idololatriæ, uti Draco, litavit, sed desertis gentium Numinibus Christo nomen dedit, quanquam & populus ille Christianus multos hypocritas, homines animales, bestiales, uti etiam Eusebius *de vita Constantini lib. iv.* 54. testatur, in sinu suo retinuit, & procedente tempore in aliud idololatriæ genus collapsus est, nec thronum & potestatem reapse retinuit, sed inanibus quidem retentis, vim imperii transmisit. *Tametsi est*, nomine Romanum illud vetus Imperium, at re serviens, & clientalaris populus. *Ex abysso* verò idem *ascendit*, sive quia ex turba gentium magnáque multitudine populorum, Italorum, Gallorum, Hispanorum, Anglorum, Germanorum, Græcorum, Æthiopum &c. conflatum fuit, quod in se Constantinus M. recepit, Romanum Imperium; sive quia Imperium R. Christianum se progressu temporis Clero, non Divino utique consilio, sed carnalibus ratiociniis mancipavit. Sed & *in interitum* migraturum idem perspicuè prædictum Dan. 11. 44. 45. VII. 25. 26. reperimus.

Imago ejusdem in veteri Israële carnali ostenditur.

VIII. Neque minus Populus ille magnus Christi nomen professus, at Clero Romano subjectus, ad amussim factus est Israëlis veteris carnalis. *Fuit* igitur etiam sic Populus ille, hoc est, imaginem quandam in veteri Republica Israëlitica conspicuam habet. Sicut enim in veteri Test. erat carnalis Israël, Pontifici & Sacerdotibus subjectus, cum iisdem certo loco cultum exercentibus communionem habens, & ab iisdem jus & fas omne repetens: ita populus ille Christi nomen professus, & Clero dominanti subjectus, Pontifici & Sacerdotibus Romanis Sacramento dixit, religionem, cultúmque omnem certo loco, Romæ scilicet, ubi Papa & Senatus Sacerdotum purpureus residet, ad-

det, adſtrinxit inde ſacra, Ceremonias, jus & fas omnē velut ex tripode ac arceſſivit, & hodiéque arceſſit. Notiſſimum equidem eſt, Papatûs hyperaſpiſtas, Bellarminum, alióſque Politiam ſeu Hierarchiam, & Monarchiam ſuam Eccleſiaſticam ad modulum Hierarchiæ Iſraëliticæ ita effingere, ut argumento etiam ab Hierarchia illa petito Pontificiam ſtabilire conentur: atque eoſdem inſuper pertendere, communionem cum Sede Romana adeò neceſſariam eſſe, ut ſine ea ſalutis compos reddi nemo queat. *Et tamen non eſt*, jure ſcilicet, quod Reſpublica illa Iſraëlis carnalis fuit. Neque enim ex Divina inſtitutione eadem ratio Politiæ Eccleſiaſticæ Iſraëliticæ & Chriſtianæ eſt. Nuſpiam enim Chriſtus vel inſtituit, ut in Eccleſia ſit Pontificis & Sacerdotum Collegium, caput terreſtre, doctores cum authoritate docentes, & legiſlationem & juriſdictionem exercentes, quibus propter eorum nomen, aut neſcio quam ſucceſſionem ſit parendum; vel certam aliam ſedem aut locum in mundo elegit, unde interpretatio verbi ſui, aut ratio & credendi, aut leges, certúmque judicium peti debeat. Licet igitur talia facto in Populo illo Pontifici R. parente obtineant, at jure non obtinent, neque Deo, ſed Pontifici, juxta vaticinium Danielis VII. 25. tempora mutanti accepta referenda ſunt. *Et tamen eſt* populus ille, hoc eſt, quia præ ſe fert nomen Chriſti & verbum ejus, atque in medio ejus erunt Sancti, de reliquis ſperantes, quod ibidem fideles & Sancti ſint (uti ſanè ante Reformationem in communione illa externa Sancti, afflicti & captivi licet plures fuerunt) iccirco propter hanc ſpem ſanctorum, & externam illorum communionem, commixtionémque, quia ſic Regnum Dei in medio ipſorum erat, *Eccleſia* & *Populus Dei* vocabatur. Quomodo etiam Antichriſtus, licet ad Eccleſiam non pertinens, ſed Beſtiæ inequitans, in Eccleſia tanquam Templo Dei ſedere, & ad tempus Ec-

cleſia

clesia cum Bestia in externa communione commisceri debuit. Quia verò populus ille Clero ita subjectus non est, adeóque Divinam institutionem non habet: iccirco *ascendit ex abysso*, institutionem suæ subjectionis & cultus omnis non à Deo, sed ab hominibus, ipso quin etiam Sathana repetit, ac propterea etiam *iturus est in interitum*, cùm Societatem & Rempublicam ejusmodi, quæ incunabula sua ad Deum authorem & fundatorem non refert, certa pernicies denique maneat.

IX. Bestiam talem, *quæ fuit, & non est, quaquam est, admiraturi habitantes in terra, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ à fundatione mundi* Apoc. XVII. 8. dicuntur. Duo igitur eodem tempore, & in eadem externa communione futura erant hominum genera, puta κατοικούντων ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ θαυμαζομένων τὸ θηρίον, *habitantium in terra, & admirantium Bestiam*; & eorum, quorum γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς ἀπὸ καταβολῆς κόσμου *scripta sunt in libro vitæ nomina à fundatione mundi*: adeóque reprobi & electi homines Bestiæ, & homines Ecclesiæ in eodem externo cœtu. *Habitantes in terra & admirati Bestiam* sunt, qui vocati & audientes verbum Bestiam, seu Ecclesiam externam qualem descripsimus, in pretio habent, eique humano nomini se subjicienti se se in interna & externa communione adjungunt; *Scripti verò in libro vitæ à fundatione mundi*, qui in externa communione juncti licet, electi tamen ab æterno, Bestiam; hoc est, Ecclesiam talem in pretio nullo habent, sed potiùs per illam scandalizantur, & propter abominationes multiplices suspirant.

Duo genera hominum, Bestiam admirantium, & nullo loco habentium.

X. Talis scilicet erat status Populi illius, qui inde à Pontificia tyrannide in spiritualibus & temporalibus inducta, usque ad separationem, quæ per Reformationem instituta est, Ecclesiæ (parentis puta, non dominantis) nomine venit. Erant in externo Ecclesiæ illius gremio duo

Eadem genera Imperio Romano Christiano conveniunt.

 homi-

hominum genera, admirantes Bestiam, adeoque homines Bestiæ, & eandem non admirantes, prædestinati ab æterno, homines veræ Ecclesiæ. Illi relicto Dei verbo, humanæ authoritati se subjicientes, ad nutum Cleri dominantis se composuerunt, errantem multitudinem sectati, Papæ, seu supremi in terris Domini seu oracula & jussa universa ἀδιακρίτως receperunt, humanas traditiones, voluntarios cultus, superstitiones varias adoptârunt, denique se non Dei sed Papæ suo quærentis Spiritu quaquaversum duci flectique passi sunt. Hi verò in externo illo Ecclesiæ corpore, veluti carcere quodam detenti, septíque licet ob temporum infelicitatem, infirmitatibus non paucis, per gratiam tamen æternæ prædestinationis, seu scriptionis in libro vitæ, se se pro viribus impollutos à grassantibus abominationibus gesserunt, publica Ecclesiæ in pejus quotidie degenerantis mala deplorârunt, Agni, Cœlestis illius Ducis signa secuti, verbo Dei in præcipuis constanter adhæserunt, veram justitiam & salutis viam extra se in Christo unico salutis & fidei Principe ac Salvatore quæsiverunt, denique ejus rei gratia reliquæ multitudinis, Cleri dominantis maximè ludibria, contumelias, odia, & subinde etiam novissima supplicia alacri animo perpessi sunt, quorum non contemnendam ex quolibet hominum, Imperatorum, Principum, Nobilium, plebejorum genere, nubem, Testium Veritatis Catalogi produnt, & ampliorem etiam dies Domini, qui ad dextram statuet plures, quos ad sinistram in mundo Bestia statuit, manifestabit.

Bestia habitus externus coccineus, quidem Imperio aptatur.

XI. Habitus externus Bestiæ Apoc. XVII. 3. nomine θηρίου κοκκίνου *Bestiæ Coccineæ* exprimitur. Coccineus Color paludamenti Imperialis color erat. Imperatoris igitur & Imperii Romani, sed servientis jam Mulieri, utpote super Bestiam sedenti status adumbratur. Tum coccineus ille color hieroglyphicum esse potest populi, qui vel per pro-

feſſionem fidei in Chriſtum ſanguine ipſius coloratus eſſe videtur, vel reus etiam eſt ſanguinis coccinei Chriſti & Sanctorum. Utrumque quomodo populo illi, Clero dominanti ſubjecto, competat, obſcurum nemini eſſe poteſt. Externa enim profeſſione nomen dedit Chriſto per paſſiones & effuſionem ſanguinis pro fidelibus conſummato, quem ipſe Clerus dominans in ore habuit. Vel ſola *Cruciatæ militiæ* numeroſiſſima coliors, quæ ſanguinis Chriſti in cruce profuſi ſymbolum in corpore geſtavit, ejus rei indicium præbet. Tum ſanguinis Chriſti & Sanctorum reus peragitur idem, cùm Chriſtum in ſanctis, Pontificiæ factioni reclamantibus, & Chriſto Domino ſuo fidem inviolatam præſtantibus, nunquam non perſecutus eſt atrociter, cujus rei experimenta non pauca Hiſtoria Papatûs repræſentavit, Scriptoréſque Eccleſiaſtici longè plurima commemorant.

XII. Beſtiæ *os* diductum narratur in blaſphemias. Dicitur enim Beſtia Coccinea γέμυσα ὀνομάτων βλασφημίας, *plena nominibus blaſphemiæ*. Apoc. XVII. 3. Et ὄνομα *nomen* quidem in ſacris fidei & adorationis objectum, ſeu id, quod adoratur & in quo fiducia collocatur, non ſemel denotat. Cui enim confidimus, credimus, paremus, ſervimus, eum fiduciæ, obſequij, ſervitutis, ſpei, omniumque actionum noſtrarum authorem ὀνομάζομεθα *nominamus*. Ita Chriſtus exaltatus dicitur ὑπεράνω παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένυ *ſupra omne nomen quod nominatur*. Phil. II. 9. Et ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα κυρίυ *quiſquis nominat nomen Domini*, abſtinere ab iniquitate jubetur. 2 Tim. II. 19. Neque etiam ὄνομα ἕτερον *nomen aliud ſub Cœlo datum eſt hominibus in quo oporteat nos ſalvari*, quàm Chriſti Act. IV. 12. Nomen igitur *Blaſphemiæ* ſeu *nomen blaſphemum* eſt, cùm in cultu, fide, adoratione, alius quàm Deus, Chriſtus *nominatur*, aut pro verbo Dei habetur, quod Dei non eſt, aut cultus adſtrin-

Os Beſtiæ in blaſphemias diductum.

gitur

gitur ad locum certum, quem Deus non elegit, זכר השם *memoriam nominis* sui non posuit. Nominatio talis citra nominis Divini, quod alii Deus dare non vult, manifestam detractionem, adeóque iniquissimam blasphemiam contingere nulla potest. Sicut igitur qui cum Agno sunt, dicuntur *ὄνομα πατρὸς αὐτοῦ nomen Patris ejus* in frontibus gerere, hoc est Patrem colere, adorare, venerari solum Apoc. XIV. 1. dicuntur. Ita Bestia, & qui cum ea sunt nomen ejus, quem colunt, adeóque *χάραγμα signaturam* Apoc. XIII. 16. in manibus, frontibusque suis gerunt.

Imperii Romani Pseudo-Christiani blasphemiæ.

XIII. Populum illum, qui Clero dominanti succubuit, ejusmodi *nominibus blasphemiæ* scatere, manifestum est. Alium enim in cultu suo, quàm solum verum Deum, nominat, Sanctos in Cœlo, reliquias, imagines Sanctorum in terra, hostiam in Sacramento, atque in omni re, quæ credenda est, Papam ceu Prophetam, doctorem infallibilem, fidei regulam & principium unicum. Penes nos, qui à Metropoli nostra Romani vocamur, solos, ita populi insaniunt, & Regnum Dei, apud nos Christus est, nos sumus Ecclesia Catholica, nostro, aut Metropoleos nostræ nomine fideles omnes vocari debent. Solius Papæ nostri nomen in Ecclesia recitari debet, Romana Ecclesia nostra deficere nequit, æterna, inconcussa erit, quomodo etiam Hieronymus *quæst.* 11. *ad Algas:* jactantiam de Roma æterna inter blasphemias refert. Taceo, quòd particeps ille populus est blasphemiarum omnium quas Magistri & Domini ejus adversus nomen Dei, & tabernaculum ejus, & habitantes in Cœlo evomunt de quibus in loco uberiùs. Non aliam enim fidem, non etiam religionem, quàm ab illis fidei dominantibus jussam, imperatam amplectuntur. Denique sicut Romani veteres gentiles blasphemiarum rei habentur meritò, eò quòd Romam suam *Deam*, Imperatores *Deos*, *Divos* suos (quos etiam aris, Templis, sta-

tuis

tuis honorârunt) locum in quo Imperatorum dicta promulgabantur, *Theopompium*, eò quòd Deorum inibi oracula funderentur, insigniverunt: ita Romani illi Christiani Ecclesiam suam Divinam ob assistentiam immediatam Spiritûs Dei, Pontificem Deum, ejus oracula Divina jactantes, non minùs rei horribilium blasphemiarum sunt.

Bestiæ capita septem, totidémque montes & Reges tribuuntur.

XIV. Bestiæ eidem κεφαλὰς ἑπτὰ *Capita septem*, Angelus Mystagogus Apoc. XVII. 3. 9. tribuit, atque mox eadem explicat per ὄρη ἑπτὰ *montes septem*, quibus ita Romam ἑπτάλοφον septicollam indigitari, ut simul etiam statuantur monimenta seu symbola tum septem dynastiarum, Regionum, Provinciarum, quibus universa ditio Romana, ceu sedes propria Mulieris & Bestiæ continetur; tum septem βασιλέων Rectorum, seu Regum Capitaneorum in montibus seu Provinciis illis imperitantium, *Differt. ij.* 36. abundè demonstravimus.

Roma septimontia est; sub Constantino M. in certas dynastias, seu Provinciarum capita distributa; ejúsque Imperio statim sub eodem Constantino hypocritæ, homines animales multi se sociarunt.

XV. Tria heic cognoscere juvat. *Primò* Romam omninò esse ἑπτάλοφον *Septicollem*, seu *septimontiam*, quod *Differt. j.* 38. abundè confirmavimus. De eo qui plura desiderat, Rosinum & Dempsterum *Antiquit. R. lib. j.* 2. consulat licet. *Secundò* Romanum Imperium, uti in partes suas divisum semper fuit, ita à Constantino M. nova quadam Provinciarum seu Dynastiarum divisione ita distinctum esse, ut Seculari divisioni illi, etiam Ecclesiastica inhæserit, & ubi Provinciarum plurium corpus aliquod Imperatoris Vicarius rexit, ibidem etiam Ecclesiæ Primus residens Ecclesiam per subjectos Episcopos gubernaverit. Constantinus nempe sub tempus ipsum Nicæni Concilii hunc in Imperio Romano regendarum Provinciarum morem introduxit, ut plures Provincias in unum corpus redactas, uni administrandas dederit. Is *Vicarius Præfecti Prætorio*, administratio verò ejus διοίκησις *Diœcesis* vocabatur. Inde nomen plurium Provinciarum numero indi-

tum, quas ille unus Vicarius sub se habebat. Plures autem Vicarii uni præfecto suberant, cujus & vices gerebant. Fueruntque primitùs in toto Imperio Romano constituti Præfecti Prætorio quatuor, additi mox plures. Atque eam divisionem Ecclesia ita secuta est, ut suos quoque Rectores, Patriarchas, Metropolitanos, Episcopos in distinctis Imperii partibus habuerit. *Tertiò* post Imperium Romanum Constantini operâ ad Christum conversum, non defuisse hypocritas multos, qui in Imperatoris potiùs, quàm Dei & Christi gratiam, Christum Dominum suum confessi sunt, ac de cætero ingenium geniúmque suum animalem, bestialem non exuerunt. Cujus rei testem habemus Eusebium in vita Constantini M. *cap.* 54. ubi Constantini M. humanitate abusos esse multos, inprimis εἰρωνείαν ἄλεκτον τῶν τὴν ἐκκλησίαν ὑποδυομένων, καὶ τὸ Χριστιανῶν ἐπιπλάστως σχηματιζομένων ὄνομα, *fraudulentam simulationem eorum, qui callidè in Ecclesiam irrepebant, & Christianorum nomen falsò, ac specietenus præferebant.* Additque, insitam Imperatori humanitatem ac bonitatem, & fidei morúmque sinceritatem eò ipsum adduxisse, πιστεύειν τῷ σχήματι τῶν Χριστιανῶν εἶναι νομιζομένων, ἔννοιαν τ' ἀληθῆ περὶ αὐτὸν πεπλασμένῃ ψυχῇ σώζειν προσποιουμένων, *ut crederet fictæ in speciem pietati hominum illorum, qui pro Christianis habebantur, & qui sinceram erga ipsum benevolentiam callida mente simulabant.* Quales fuerint plerique illi, statim subortæ hæreses, Christi Domini personam oppugnantes, & hominis arbitrium dignitatémque exaltantes, nec non affectati in Ecclesia gradus, aliáque satis manifestârunt.

Montes septem Romæ, quâ tales, & quâ monimentum

XVI. Quibus animadversis Prophetiæ applicatio facilior erit. Populus ille magnus, qui Bestiæ nomine venit, non alius quàm Romanus esse potest, quia ejus capita dicuntur *montes septem*, in quibus Mulier sedet, quæ Romæ

Septi-

Septimontiæ, seu septem montibus insidentis periphrasis est. Neque tamen de illis montibus cuncta dici possunt, quæ de septem montibus Apocalypsis dicit. Montes ergo septem totidem dynastiarum, totidemque Regum, Bestiæ capitum monumentum esse possunt. Scripturam enim per *ὄρη montes*, Imperia, partésque Imperii significare *Differt. iij.* 36. comprobavimus. Simplicissimus proin sensus esse potest, initiò habituram Bestiam, seu magnum illum populum, septem grandes orbis terræ partes, in quibus sedeat, sive totidem gentibus constituram, & in iisdem totidem Reges, qui in montibus, seu Orbis terræ partibus illis Bestiæ sint capita. Habuit autem statim sub Constantino M. suas Romanus populus dynastias, Provinciarum capita, Reges, seu Rectores tum Politicos, puta Vicarios Imperatoris, Prætorio Præfectos, tum Ecclesiasticos, Patriarchas, Primates, cujusmodi esse possunt, v. g. Patriarchæ seu Primates Hierosolymitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus, Romanus. Habuit quoque Gallia & Hispania suos in Synodis Primates. Atque iisdem etiam in partibus, ceu totidem montibus & dynastiis Præsides & Rectores Politiæ, Imperatoris vicarii & velut Exarchi locum obtinuerunt. Qui septem illi Reges Capitanei, seu Rectores in totidem Imperii partibus non ineptè constitui possunt. Tametsi verò sub Constantino M. & post eum iisdem in locis vera Ecclesia fuit, à Patriarchis & Episcopis veris gubernata, negari tamen nequit, hypocritarum magnam colluviem ei permixtam fuisse, quod Eusebium etiam testantem audivimus, atque insuper ita degeneràsse populum, ut successu temporis in externo ejus corpore major pars (Sanctorum enim veram Ecclesiam semper excipimus) Babylonis Magnæ Clitellarium veluti jumentum facta fuerit.

totidem dynastiarum, Regúmque seu Rectorum earum competunt.

XVII. Id ipsum verò Angelus porro testatur, cum *Septem montes illos*

Mulier seu Hierarchia Ecclesia Romana sub Phoca Imperatore insedit.

v. g. dicit, ***in Montibus Mulierem sedere***, innuens haud dubiè, fore aliquando tempus, ut Mulier Babylonica exorta, septem illos montes occupet, in iisdem regnet, & imperitet. Quod factum eo tempore est, quo Romanus Episcopus à Phoca Imperatore Oecumenicus seu Universalis Episcopus declaratus, adeóque Constantinopolitano etiam, reliquisque Patriarchis & Primatibus universis, ceu illorum dominus Rectórque, prælatus est. Tam sanè Mulier in montibus illis sedit, reliquósque etiam Reges Capitaneos sibi subjugavit, quanquam non diutinum illud in septem montes simul occupatos imperium fuit.

Quinque Reges ceciderunt, unus fuit, alius nondum venit, Octavus ex septem oriturus. Impletum id per incursiones barbarorum populorum, stans Imperium Græcum, Regnum Italicum & Germanicum in Occidente superventurum.

XVIII. Quippe οἱ πέντε ἔπεσαν, καὶ ὁ εἷς ἐστιν, ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθε, καὶ ὅταν ἔλθῃ, ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι, ***quinque*** (Reges) ***ceciderunt, & unus est, alius nondum venit, & cum venerit, paulisper eum oportet manere***, inquit Angelus v. 10. significans, non fore stabilem statum Bestiæ & Meretricis in illis septem montibus, quod eventus ipse abundè probavit. Mox enim non tantùm Persæ magnis incommodis Rempublicam affecerunt, occupata Mesopotamia & Assyria, in minorem Asiam usque progressi, uti Paulus Diaconus *Lib. xvij.* Zonaras *tomo iij.* Beda *de ratione temporum*, aliique narrant: Sed etiam Germania, Gallia, Hispania, bonáque Italiæ pars à Phoca defecerunt: Sub Heraclio Phocæ successore Persæ iidem Africam suæ ditionis fecerunt, Scythæ Europam lacerarunt, Saraceni Heraclio militantes, cùm stipendiis fraudarentur, maxima multitudine defecerunt, & Mahumede duce per Syriam grassati, Damascum occupârunt, Ægyptum vastârunt, Arabiam subruerunt, Africam universam, & Lybiam ac Hispaniam prope totam subjugârunt: Bulgari Thraciam vastârunt, & Imperii vires non parùm attriverunt: Mauritani totis viribus in Hispaniam irruerunt, & suæ illam ditionis fecerunt: denique Longobardi Italiam ingressi mirè affixerunt,

runt,

runt, atque in ea Regnum erexerunt. Tunc igitur *quinque* Reges, Vicarii, Prætorio Præfecti, Exarchi Romani Imperatoris, adeòque totidem *montes, capita* Beſtiæ *ceciderunt, unus erat* nempe Græcus ſeu Conſtantinopolitanus, ægrè Imperii reliquias illas ſuſtinens, *alius nondum venerat*, Imperii in Occidente pars, Regnum Italicum, mox tamen erectum, neque ſtabile illud tamen. Nam *cùm venerit, oportet ipſum parumper manere.* Neque enim Reges Italici, à Papis adverſus Caroli M. filios excitati, diu manſerunt, uti ex Sigonii *de Regno Italiæ* Scriptis libris liquet. Succeſſit enim iis, ceu Regi *Septimo, Octavus,* ſeu poteſtas octava, quæ Romæ imperavit, ſed Regnum ipſum extra ditionem Romanam geſſit in Germania, cujus Majeſtatem etiam vicini, cum eodem ſubinde conſpirantes, comiter reverentur. Qui ipſe tamen eſt ex *ſeptem*, quia eſt in Italia & Roma, quæ in ſeptem montibus cenſetur, licet propagines & ſtolones ultra ſeptem iſtos montes porrectos habeat. Atque in *Octavo-Septimo* illo Rege, ſeu Dynaſtia, Beſtiæ judicium abſolvetur. Sequitur enim: Καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγει, *& in interitum vadit.*

XIX. Reſtant Beſtiæ cornua. De quibus ita Angelus Apoc. XVII. 12. &c. *Decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt, qui Regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem ut Reges unam horam accipiunt cum Beſtia. Hi unam ſententiam habent, & potentiam & poteſtatem ſuam Beſtiæ tradent. Hi cum Agno belligerabunt, & Agnus vincet eos, quia Dominus Dominorum eſt, & Rex Regum* &c. Beſtiæ capita à cornibus eatenus diſtingui, quòd illis amputatis Beſtiam interire neceſſum ſit, his verò reſectis manere eandem nihil prohibeat: ſingula etiam cornua illa decem non capitibus ſingulis, ſed uni, ultimo ſcilicet, Octavo-Septimo affigenda eſſe; Reges illos cum Octavo illo capite non perpetim, ſed *una hora*, hoc eſt,

simul eodem tempore regnaturos, ut Bestiæ patronos, & cum eadem potestatem habentes: denique ita armaturos & defensuros Bestiam, ut ab ea in rebus fidei dissentire liceat nemini; *Differt. iij.* 39. ostendimus.

Prophetiæ & complementi ordo. Bestiæ cornua decem Reges sunt.

XX. Hæc quemadmodum eventu ipso repræsentata sint, historiæ evidentia ambigere non sinit. Principalis Bestiæ potestas est in Imperatore, cujus sedes est potissimùm Germania. Cum eo alii Reges politicam potestatem habentes sociantur. Ordo igitur & prophetiæ, & historiæ ejusmodi est. *Bestia*, seu magnus ille populus Romanus, ab initio *Capita*, *Reges* Capitaneos, dynastias *septem* habet, puta, Constantinopolitanam, Hierosolymitanam, Alexandrinam, Antiochenam, Romanam, Gallicam, Hispanicam, quibus singulis, ceu totidem Provinciarum Imperii capitibus plures Provinciæ suberant. Post occupatos à meretrice, seu insessos montes, Capita, Reges illos, sub Phoca Imperatore, mox per irruptiones populorum barbarorum & exoticorum, Persarum, Saracenorum, Bulgarorum, Mauritanorum, Longobardorum *cadunt Reges quinque*, Hierosolymitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hispanus, Gallus. *Unus est*, Constantinopolitanus, seu Græcus, Imperator scilicet ipse Orientalis, cum barbaris infeliciter diu satis confligens. *Septimus venit*, Regnum Italiæ, cui Pontifices ipsi favebunt, & *paulisper manet*. Postea *venit Octavus*, cohærens cum reliquis Italiæ Regibus, suo tamen modo novus, Germanus scilicet, auspicia in Othone I. Saxone sortitus. Sed & hunc ipsum oportet in exitium vadere. Antea verò quàm id eveniat, cum Bestia, Populo, qui Romani nomen obtinet, & Meretricem portat, erunt *cornua decem*, seu totidem præter propter *Reges*, ex Imperii Romani ruinis exorituri, *qui* tempore Prophetiæ *Regnum nendum acceperunt*, sed potestatem ὡς βασιλεῖς *ut Reges*, puta non pleno jure & absolutè regnantes,

gnantes, sed vasalli, fiduciarii Papæ, Meretricis Regnum in ipsos Reges terræ obtinentis, *unam horam accipientes cum Bestia*, hoc est, certo tempore una cum Bestia Octavi mentis, & Regis ejus regnantes; *qui unam sententiam habent, & potentiam potestatémque suam Bestiæ tradent*, conjungent cum Bestia, & per Bestiam tradent Meretrici super Bestia sedenti, imperanti, in spiritualibus & temporalibus dominanti, quam unà cum populo Romano πανσϑενῇ & extremis viribus, cum Agno, Christo & Euangelio ejus *belligerantes*, acerrimè defendent.

XXI. Næ hospes in orbe sit, qui de Prophetiæ successu multùm hæsitaverit. Signa erexit Agnus, Christus, non semel *in vocatis, electis & fidelibus suis*, qui pro ipso adversus Babylonem pugnärunt usque ad sanguinem. Id verò factum cumprimis illustri modo per præconium Euangelii à fidis Pastoribus & doctoribus post initium Seculi quinti supra decimum susceptum, detectásque ab iisdem Thaidis Babylonicæ fraudes. Non deseruit Babylonem, Meretricem Romanus populus, succinctus potentia decem cornuum, hoc est, Regum plurium, saltem non pauciorum, quàm decem (hoc enim ad terribilitatem & potentiam Bestiæ amplificandam sufficit) qui viribus Romani populi suas sociärunt, & ζυμφερῇ ἀρετῇ suo quisque loco Papatum asseruerunt, Agnum oppugnärunt. *Pugna cornuum cum Agno, Reformationis tempore maximè.*

XXII. Quod si calculum ponere, & numerum decem Regum, Bestiæ cornuum, inire lubet (quanquam id præcisè necessarium non est, cùm constet, Scripturam numero signato ac certo pro incerto & vago uti) non penitùs id ἐκ τῶν ἀδυνάτων erit. Constat inprimis, agi de Regibus tributariis & vasallis Papæ. Non enim simpliciter βασιλεῖς, sed ὡς βασιλεῖς, *tanquam Reges*, adeóque precarii, fervientes, appellantur. Legat igitur, qui volet, Epistolas Hildebrandi, qui primus aperto Marte temporalem in Reges & Impera- *Cornua seu Reges decem, Papæ vasalli; ex Hildebrando aliisque enumerati.*

peratores potestatem affectavit. Is feuda sua profitetur *Lib. viij.ep.ult.* Hispanias, Gallias, Saxoniam, Hungariam; *Lib ij.ep.* 13.63.70. Russiam; ibid. *ep.* 74. Dalmatiam; *Lib.vij. ep.*4. Corsicam; *Lib.v.ep.*4.& *L.vj.ep.*12. utriúsque Siciliæ Regnum. Imperatorem ipsum à Papa investituram accipere; tralatitium est. Ad nutum Papæ Venetos arma movisse, Baronius *tom. ix. A.* 726.*n.* 28. docet. Thusciam & Liguriam Mathildis dono Romanæ sedi dedisse perhibetur. Majoricam & Minoricam eidem Hildebrandus *Lib.* 1. *ep.* 378. vindicat. Sardiniam ad jus Papæ pertinere Innocentius III. *de Præscript. L. si diligenti* affirmat. Danorum Regem Hildebrandus. *lib. ij. ep.* 51. invitat, ut se, Regnúmque suum sibi committat. Lusitaniæ duces Regium titulum à Papa Alexandro III. habuisse Innocentius III. *lib.* 1. *ep.* 100. 441. 448. 449. testatur. Angliæ Regem Innocentius IV. teste Matthæo Paris *ad A.* 12. 13. audacter vasallum, imò mancipium suum vocat. Ex his Reges Bestiæ cornua, R. Pontifici addictissimi nullo negotio colligi decem possunt, puta Rex Hispaniarum, Lusitaniæ, Angliæ, Daniæ, Franciæ, Germaniæ, Hungariæ, Poloniæ utriusque Siciliæ, Principes & Principatus Italiæ.

Reges decem qui Reformationis tempore cum Bestia pro Hierarchia Ecclesiæ Romana adversus Christum unicum Ecclesiæ Caput decertarunt.

XXIII. Quia tamen mentio est Regum, qui *μίαν ὥραν una hora*, certo tempore potestatem cum Bestia accipientes, belligeraturi cum Agno, & ab eodem vincendi erant, proclive erit etiam censum instituere Regum decem, qui Reformationis tempore opem Bestiæ, & per eam Meretrici ipsi sustentandæ tulerunt. Uno quippe eodémque tempore potestatem suam Bestiæ & imagini ejus dederunt Germania, Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, Hungaria, Dania, Suecia, Bohemia. Quantis viribus in *Germania* Carolus, in *Hispania* idem Carolus, & mox filius ejus Philippus II. in *Gallia* Franciscus I. in *Anglia* & *Hibernia* Henricus VIII. in *Scotia* Maria, in *Hungaria* Ludo-

Ludovicus, eique ſuccedaneus Ferdinandus; in *Dania* Chriſtiernus; in *Suecia* Sigiſmundus; in *Bohemia* Ferdinandus, alii pro Clero Romanæ Eccleſiæ dominante pugnârunt? In omnibus idem regnabat Spiritus, conſilium idem fervebat, nempe ad tranquillitatem ſtatus, religionem & pietatem uſurpari ſuetam, auctoritate legibúſque humanis conſtituendam, neque permittendum cuiquam eſſe, ut diverſum à reliquis ſapiat. Cúmque invenirent in mundo *Beſtiam* habentem nomen *Eccleſiæ Catholicæ*, & in qua hucuſque vera Eccleſia Sanctorum cum Eccleſia malignantium, Beſtiæ & Agni aſſeclæ, commixti egerunt, facilè animum induxerunt, ut pro ea, quam Eccleſiam Catholicam reputabant, depugnarent, & ſeducti, aſſuetíque avitis erroribus, cum ipſo Agno, inſcii & communi errore abrepti, voluntariáque ſuperſtitione faſcinati, ſacro bello decernerent.

XXIV. Diſtingui hic poteſt conflictus Beſtiæ & cornuum ejus cum Sanctis, à conflictu eorundem cum Agno. Jam pridem enim à Beſtia & cornibus ejus oppugnari cœperant Sancti quando videlicet ii errores, ſuperſtitiones, peccata in externo Eccleſiæ cœtu invaleſcentia reprehenderunt, iiſdemque animosè ſe oppoſuerunt. Hac enim de cauſa illi hæreſeos damnati, & multi eorum morte puniti ſunt. Interim Imperatores non nulli, & Reges multi Papæ authoritatem Regnúmque concutere & retundere non formidarunt. Ubi verò planè maſculum illorum robur elanguit, atque illi ſeu vitio ſuo, ſeu rebus adverſis fracti, faſces ſuos Papæ inſoleſcenti ſubmiſerunt, tum demum Agnus ipſe directè impeti cœpit, & ſubſervitum eſt Papæ, ſe caput Eccleſiæ infallibile jactanti, & hæreſeos damnanti eos omnes, qui negare ſuſtinerent, ullius verbum præterquam Chriſti in Eccleſia audiendum, aut pertimeſcendum eſſe. Hoc quidem poſt Concilium Conſtantienſe apertè fa-

Beſtiæ & cornuum conflictus cum Sanctis, & cum Agno diſtinguitur.

ctum est. Licet enim paulò post in Basileensi Concilio definitum esset, Concilium esse supra Papam, facilè tamen Eugenius in Conciliabulo Florentino seorsim instituto, & successores ejus, cumprimis Julius & Leo in Concilio Lateranensi adversus Pisanum, aliquid contra Papam ausum, congregato, definitionis illius fulmen cusa definitione contraria, ne à sententia Papæ ad Concilium appellare fas cuiquam sit, extinxerunt. Cùmque non obstantibus Papalibus ejusmodi ψηφίσμασι Lutherus à Leone X. damnatus ad Concilium provocâsset, & Papæ denique authoritatem in controversiam vocâsset, Christumque unum solum Ecclesiæ Caput & Dominum vindicâsset, tum demum Bestia cum cornibus suis Papæ suppetias tulerunt, Leoni Lutherum damnanti strenuè inservierunt, & Lutheranos passim, maximè propter hoc doctrinæ caput, neci dederunt. Quid in Germania passim, Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Portugallia, Hungaria, Bohemia, alibíque factum sit, historiarum monumenta, Martyrúmque fasti, testatum abundè faciunt.

Reges ab Agno vincuntur.

XXV. Quem verò, inquies, Bestiæ & cornuum ejus conflictus ille cum Agno successum nactus est? Respondeat Angelus ipse v. 14. Et *Agnus vincet eos*, (decem Reges) quia *Dominus Dominorum est, & Rex Regum, & qui cum ipso vocati, & electi & fideles.* Neque hoc oraculum eventus destituit. Vicit Sathanum Christus, & cessit ira gratiæ. Nunquam enim Sancti, vocati, electi, alii præterquam Christo se subjecerunt. Est autem quædam victoria non vinci. Simul etiam quando Christi authoritas à Bestia & cornibus ejus oppugnata est, palmæ instar sub pondere illo surrexit, à jugo Babylonis liberata, ex eadem exivit. Pax enim post conflictationem multiplicem ei data est primò in Imperio Germanico, dein in aliis etiam Regnis, in quibus ipsimet Reges Meretricem agnoscere, & flagran-

flagrantes, adeóque sancto perfectóque odio odisse cœperunt. In Anglia enim post Eduardum & Johannam Grajam Elisabetha Ecclesiæ se addixit tota. In Scotia Mariæ Jacobus VI. successit, & Regnum à Babylonis tyrannide liberavit. In Suecia in locum Sigismundi persecutoris, qui Poloniæ Rex factus est, Carolus patruus ejus subiit, doctrinæ Euangelicæ addictus. In Dania & Norwegia Christierno Fridericus successit, Euangelicam veritatem ipse quoque amplexus. Taceo, quod in Gallia quoque, Hungaria, Bohemia, Polonia, Belgio Hispanico Euangelicis pactorum vi religionis libertas concessa est; & apud quosdam effectum est, si non ut veritatem amarent, tamen ut meretricem odio haberent, ejusque carnes comederent: qua de re in loco pluribus agendum fuerit.

XXVI. Concludimus, Hierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem, Bestiam septicipitem, septimontiam & δεκακέρατον habere sibi obnoxiam parentémque, adeóque cæteris partibus, Babylonem Magnam esse. Ὅπερ ἔδει δεῖξαι. *Argumentum concluditur.*

DISSERTATIONIS VIII.

SECTIO TERTIA,

QUA

Hierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem sibi, Imperii ecclesiastici & spiritualis titulo, summum & merè terrenum in Reges & populos terræ Imperium vendicare asseritur, tertiumque argumentum concluditur.

BREVIARIUM.

I. *Hierarchia Papalis ita Regnis mundi præest, ut in ea sibi spiritualis & Ecclesiastici titulo merè terrenum Imperium vindicet,*

II. *quod conspicuum Babylonis M. Criterion est.*

III. *Probatio innexa Syllogismo, cujus propositio est ἀνξαγώνιος, assumtio uberiùs demonstratur.*

IV. *Tyrannorum differentia. Babylon, Papa Mysterii obtentu, adeòque fraude Imperium quæsivit.*

V. *Regnum Dei in mundo essentiale & Oecumenicum distinguitur: Illud Deus in Civitate mundana per homines administrat.*

VI. *Secularis potestatis radix est immediata Dei institutio, & delegatio quorundam cæteris dominantium. Reges proin & Principes mundi à Deo immediatè dependent. Scholasticorum elenchus.*

VII. *Solis*

VII. *Solis terram illustrantis immediatè, & potestatis Secularis similitudo.*

VIII. *Christus Rex temporalis nunquam fuit.*

IX. *Proin etiam suis in Ecclesia Ministris Regnum temporale nunquam delegavit.*

X. *Regnum Christi œconomicum potestate legislatoria & & judiciali constat. Solus ille Ecclesiæ Caput est.*

XI. *Neque in Cœlum digressus potestatem dominantem ulli homini communicavit.*

XII. *Nullus proin homo per modum Capitis, sive interno, sive externo in ecclesiam influxu, eandem regit.*

XIII. *Ecclesia ante, & post Christi in Cœlum ascensum eadem, non similis duntaxat, quoad regimen ejus est.*

XIV. *Christus ad gloriam evectus homines ministros duntaxat instituit, dominum neminem, & pari potestate omnes.*

XV. *Quin dominationem quamvis in Ecclesia vetuit.*

XVI. *Claves Ecclesiæ dedit Regni Cœlorum, non terrarum.*

XVII. *Ecclesiæ universæ potestas tum spiritualis, tum ministerialis est.*

XVIII. *Temporalis potestas ecclesiastica essentialiter nec subjecta, nec subordinata est.*

XIX. *Potestas, & subjectum potestatem habens distinguitur.*

XX. *Bellarminus duplicem subordinationem distinguens refellitur.*

XXI. *Hierarchici in explicanda potestatis secularis subordinatione sibi parùm constant.*

XXII. *Solis & Lunæ similitudine subordinationem frustra Pontifices ipsi explicare conantur.*

XXIII. *Frustra etiam Bellarminus similitudine Spiritus & Carnis.*

XXIV. *Bonifacii viij. pro potestatis ecclesiasticæ in civilem imperio imbelles ratiunculæ.*

XXV. *Potestatis utriúsque civilis & ecclesiasticæ dominantis limites omnes Papa perrupit.*

XXVI. *Supremam in Spiritualibus potestatem indulgente Phoca, rapuit. Argumenta ex Gregorio M. eidem opposita.*

XXVII. *Baronii figmentum de nomine Episcopi universalis à Gregorio oppugnato, elisum.*

XXVIII. *Florentinæ Synodi de potestate summa Papæ in Spiritualibus definitio.*

XXIX. *Absolutæ potestatis Christo neutiquam subjectæ plenitudinem Papæ tribui, probatur.*

XXX. *Idem ex supremæ Majestatis indiciis, potestate legislatoria,*

XXXI. XXXII. *& judiciali summa Papæ tributa conficitur.*

XXXIII. *Extensio potestatis Pontificiæ ad subjectionem creaturæ omnis.*

XXXIV. *Potestati absolutæ Papæ commentum infallibilitatis in quæstionibus juris & facti mirè velificatur.*

XXXV. *Distinctionum infallibilitatis Papæ fucus.*

XXXVI. *Papæ doctoris publici & privati distinguendi criteria nulla suppetunt.*

XXXVII. *Prætextu potestatis in spiritualibus supremæ, potestatem supremam etiam in temporalibus Papa sibi rapuit; imò illam propter hanc sibi vendicavit.*

XXXVIII. *Quadruplex potestas Papæ temporalis distinguitur. Prima est in patrimonium Petri, seu statum Ecclesiasticum: Secunda in Regna homagio Ecclesiæ obstricta: Tertia in omnes reliquos Imperatores, Reges, Principes & populos.*

XXXIX. *De potestate temporali Papæ, directa ea, an indirecta sit, Theologi, Canonistæ & Politici disceptant; Politici utrámque inficiantur.*

XL. *Theologi indirectam, ratione potestatis spiritualis temporali dominantis, Canonistæ directam propugnant.*

XLI. *Theologos Papæ in temporalibus potestatem verbis indirectam, re directam tueri, probatur tum sententia Bellarmini, quæ discutitur:*

XLII. *tum quia potestatem ei supremam & legislatoriam,*

XLIII. *& judicialem, secundùm quam exercere judicia civilia,*

XLIV. *& personas Regum Principúmque judicare possit, vendicant.*

XLV. *Theologi nonnulli, directam Papæ in temporalibus potestatem tribuentes, inducuntur.*

XLVI. *Bellarmini assertiones nonnullæ, ex quibus eum reapse directam Papæ potestatem agnoscere evincitur, erutæ.*

XLVII. *Baronii assertiones similes.*

XLVIII. *Pontifices ipsos summam & directam in temporalibus potestatem sibi arrogare, probatur, primò, quia gnathones in tantum culmen cathedram suam extollentes æquo animo admittunt. Secundò, quia indirectam sibi potestatem tribuentibus indignantur. Tertiò, quia Canonistas, aliósque gnathones nullis hactenus censuris notant.*

XLIX. *Quartò quia Pontifices etiam rem ipsam definiunt, posthabitis distinctionibus asserentes, suum esse utrumque gladium.*

L. *Quintò quia absolutam & directam in temporalibus potestatem exercent: uti liquet tum ex historia Bonifacii viij.*

LI. *tum*

LI. *tum ex actibus variis exercitæ erga Reges varios potestatis civilis:*

LII. *qui etiam Jurisconsultis Pontificiis, Rousselio inprimis recensentur:*

LIII. *tum ex imperio, quo hactenus erga Imperatores, Reges & Principes usus est. Et primò quidem in Imperatorum constitutione & coronatione.*

LIV. *Eo animo Imperatores à Papa coronari, ut sui juris & beneficii eosdem faciat, probatur ex historia Friderici Barbarossæ.*

LV. *Ludovici Bavari.*

LVI. *Ferdinandi I.*

LVII. *nec non ex dogmatis Pontificiis, qualia sunt, quòd authoritate Papali Imperium ab Orientalibus ad Occidentales translatum sit, Electorum Romani Imperii institutio Papam authorem habeat, & vacantis Imperii administratio ad Papam redeat:*

LVIII. *denique ex juramento, quo Imperatores sibi Papa devincit.*

LIX. *Regum etiam constitutionem & coronationem ad se Pontifices traxerunt, ut eorundem sceptra sibi subjicerent.*

LX. *In Imperatoribus Regibúsque constituendis eodem jure Papa utitur, quo Romani Imperatores Ethnici olim usi sunt, quod Pontificiæ dominationis arcanum meritò habetur.*

LXI. *Qua in constituendis Imperatoribus & Regibus, eadem in deponendis iisdem potestate Papa, Excommunicationis peregrino fine usurpatæ subsidio, utitur.*

LXII. *Initium factum ab Imperatoribus Orientalibus:*

LXIII. *promotum Gregorii vij. & succedentium tempore etiam ad Occidentales. Excommunicatorum & depositorum,*

torum à Papa Imperatorum septem, Regúmque plurium exempla.

LXIV. *Excommunicatos Reges & Principes quo loco Papa habeat, ex Urbani II. decreto, & Pauli IV. bulla, aliisque ostenditur.*

LXV. *In eosdem omnia, quæ in privatos licere, quin occidi etiam eos, si vi Regnum retineant, posse, iidem pertendunt.*

LXVI. *Causa abdicandorum ita Principum sola hæresis à Perronio, ab aliis longè plures recensentur.*

LXVII. *Quarta Pontificis potestas est in Clerum universum quoad temporalia æquè ac spiritualia. De exemptione à Civili potestate Cleri decreta Bonifacii VIII. Conciliorum Constantiensis & Tridentini.*

LXVIII. *De eadem sententia Suarezii & Bellarmini proposita, obitérque perstricta.*

LXIX. *Dei verbo exemplis V. & N. T. Imperatorum Christianorum legibus, Reipublicæ utilitati quàm maximè illa adversatur.*

LXX. *Querelæ Pontificum de violatis Ecclesiæ libertatibus iniquitas. Bullæ Cœnæ Domini adversus Imperatores, Reges &c. crudelitas.*

LXXI. *Gersonis rationes, quòd ob temporalia nemo excommunicari possit, Pontificiis oppositæ.*

LXXII. *Potestatem, quam Spiritualis, & Ecclesiasticæ jurisdictionis prætextu Papa extra territorium suum usurpat, esse imperium merè terrenum, evidenti argumento, quod Ecclesia jurisdictionem propriè dictam nullam habeat, conficitur,*

LXXIII. *& argumentum concluditur,*

LXXIV. *atque Papæ Innocentii IV. ipsius consensu amplius firmatur.*

Hierarchia Papalis ita Regnis mundi praeest, ut in ea sibi spiritualis & Ecclesiastici titulo merè terrenum Imperium vindicet,

I. ierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem in Civitate Magna præesse populo magno, quem Bestiæ nomine. Prophetia insignit, hactenus apertæ veritati dedimus. Superest ad argumenti tertii, quo eandem Hierarchiam Babylonem M. esse astruimus, plenam apodixin membrum tertium, quo demonstrandum deinceps est, Hierarchiam seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem ita Populo Magno, Imperio Romano Pseudo-Christiano, Regnisque compluribus præesse, ut in ea summum sibi, Spiritualis & Ecclesiastici titulo, merè terrenum imperium, dominiúmque vendicet.

quod conspicuum Babylonis M. Criterion est,

II. Etenim Babylonis Magnæ conspicuum criterion Prophetia statuit, quòd Regnum in populos, Regna multa, Bestiam Regibus sociatam pluribus, gerit. Propterea enim Mulier illa, magna Meretrix καθημένη ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν *sedere super aquis multis* Apoc. XVII. 1. 15. ἐπὶ θηρίον κόκκινον *super Bestia coccinea*, septicipite; septimontia, & δεκακεράτῳ, ibid. v. 3. & Bestia βαστάζειν αὐτὴν *portare illam*, v. 7. Mulier *in septem montibus sedere*, v. 9. dicitur. Sedet autem super aquis multis, super Bestia coccinea, ut earum Domina & rectrix. Sicut jumenti insessor ejusdem Dominus & rector est. Hinc adeò Mulier illa jactabunda in corde suo dicit, Apoc. XVIII. 7. Sedeo Regina, ut sessione Regiam potestatem significari, dubitari non possit. Vicissim Bestia Mulierem eam portat, ut ὑποζύγιον ἄφωνον *animal subjugale mutum* 2 Pet. II. 16. adeóque Mulieris Imperio obnoxium. Apertè verò v. 18. Mulier definitur *Civitas illa Magna* ἡ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς *quæ Regnum habet in Reges terræ*, ubi Civitatis Magnæ genuina & formalis proprietas statuitur, *imperare Regibus terræ*. Cùmque Regnum illud Civita-

tis

tis Magnæ ita declaretur, ut ei subjiciantur Reges seu Principes politici, adeóque imperio politico illud contradistinguatur, Ecclesiasticam indigitari, hoc est, merè temporale licet, Ecclesiastici tamen & spiritualis prætextu tituló que fucatum, consequitur, quod ipsum etiam *Differt. iij.* 18. uberiùs confirmavimus.

III. Ejusmodi Imperium sibi Hierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem in Reges & populos terræ, ipsamque adeò Bestiam sibi subditam arrogare & gerere, sequenti syllogismo conficimus:

Quicunque Cœtus in Principe suo supremam in spiritualibus potestatem sibi arrogat, ejusque prætextu & titulo summum, atque illud merè terrenum & temporale in Reges & populos terræ imperium gerit, ille Ecclesiasticæ & Spiritualis potestatis titulo Regnum in Reges & populos terræ terrenum obtinet, & ceu Regina super aquis multis, ipsaque Bestia sedet; adeóque cæteris paribus, est Babylon Magna.

Atqui Hierarchia, seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans in Principe suo, Papa, supremam in Spiritualibus sibi potestatem arrogat, ejúsque prætextu & titulo summum, atque illud merè terrenum & temporale in Reges & populos terræ imperium gerit.

Ergo Hierarchia, seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans in Principe suo, Papa, Ecclesiasticæ & Spiritualis potestatis titulo Regnum in Reges & populos terræ terrenum obtinet, & ceu Regina super aquis multis ipsaque Bestia sedet, adeoque cæteris paribus, est Babylon Magna.

Hierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ heic non simpliciter, sed *in Principe suo* Papa, disertè nomino, quia is ceu Monarcha, solus, summæ potestatis in Hierarchia illa subjectum, Hierarchici verò reliqui omnes, quisque suo

 loco

Probatio innexa Syllogismo, cujus propositio est ἀνεξαγώνιον, assumtio uberius demonstratur.

loco & gradu, dominationis instrumenta, & Papæ Domini sui respectu, subditi & vasalli habentur. Quo sensu intellecta Propositio dubitationem omnino nullam habere potest, neque de ejus nexu, puto, sanus quisquam ambiget. Neque etiam *Assumtio* magis revocari in dubium potest, quam supra *Dissert. vij.* 60-64. obiter jam astruximus. Inpræsentiarum tamen uberiorem argumento lucem fœneraturi, de Pontificis potestate consentanea ei, quam Prophetia Babyloni tribuit, paulò differendum fusiùs fuerit.

Tyrannorum differentia. Babylon. Papa Mysterii obtentu, adeóque fraude Imperium quæsivit.

IV. Solent tyranni non tam fraude, quàm aperta vi sibi ad dominationem iniquam gradum munire. Quidam tamen & fraude & vi, arte & Marte, vulpina & leonina indole usi, ad eandem grassantur, uti impostor insignis Muhammed, & Prophetam Divinitus missum se mentitus; & aperta vi dominationem rapuit. Babylon Magna, ejusque Princeps Papa *Mysterii* titulo, fraude potiùs, quàm aperta vi, in populos & Reges terræ imperium affectavit; atque illud fraude & malis artibus quæsitum vi retinet, licet *Ecclesiastici, spiritualis* Regiminis fuco perpetim illitum. Primò igitur potestatem Spiritualem, ecclesiasticam soli Christo eximiam, invasit, sibique sine juris tabulis vindicavit. Tum potestatis illius prætextu & titulo, non tam Politici, quàm Ecclesiastici Principis axioma præ se ferens, adeóque transmissis inanibus vim imperii intuitus, in Reges & populos, terræ imperium merè terrenum erexit. Id quibus gradibus & modis processerit, Historia Papatus distinctis periodis in aprico statuit. Sicut igitur olim Zopyrus apud Babylonios amicum ementitus, arte perfecit, quod frustra Marte Darius tentavit: ita Papa mysterii obtentu id assecutus est, quod aperto Marte nemo alius, quantumvis potentia, robore & sapientia præpollens, assequi potuisset unquam.

V. Du-

Regnum Dei in mundo essentiale & Oeconomicum distinguitur: Illud Deus in Civitate mundana per homines administrat.

V. Duplex omnino in mundo est potestas dominans, Regnum duplex, unum *essentiale* Dei Patris, Filii, & Spiritus S. quo is mundum à se creatum potenter, providentérque gubernat: alterum, *Oeconomicum* Christi, quod is secundum οἰκονομίας gratiæ, singulari modo, qua θεάνθρωπος, administrat. Illud Deus Triunus in civitate mundana per homines, suos in mundo vicarios & delegatos, liberè, sapientérque ita administrat, ut potestatem eminentem, quâ subditos partim sapienti vigilantique directione, partim vi armata in officio contineant, iis conferat. Non tantùm enim natura, quæ hominem progignit ζῶον πολιτικὸν *animal civile, sociale*, & alios quidem virtute dominandi, & supremam etiam puppis partem occupandi; alios propensione ad serviendum in imis etiam quandoque subselliis, instruit, imperandi parendique ordinem in humano genere sancit; sed etiam verbum Dei illum clarissimis verbis confirmat, explicans scilicet, quæ sit illa natura, quæ hominem πολιτικὸν civilem esse voluit, & civitates instituit, adeóque alios imperare, parere alios jussit. *Non est potestas*, ita S. Paulus Rom. XIII. 1. 2. *nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Qui igitur potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Manifestum igitur est, Deum ipsum naturæ humanæ propensionem ad dominandum vel parendum ita implantâsse, ut, ubicunque potestas rectrix & gubernatrix apparet, eam immediatè à Deo non aliunde esse, constet. Qui author est totius naturæ humanæ, idem ordinis adeò necessarii, non alius quisquam author esse potuit. Christus ipse Joh. XIX. 11. in potestate Pilati idem innuit, respondens ipsi: *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi data esset desuper.* Scitè proin S. Augustinus *contra Faust. lib. xxij. 78.* ait, *æterna lege juberi, ut ordo naturalis conservetur.*

Secularis potestatis radix, est immediata Dei institutio, & delegatio quorundam cæteris dominantium. Reges proin & Principes mundi à Deo immediatè dependent. Scholasticorum elenchus.

VI. Radix igitur & Origo Secularis potestatis universæ est immediata Dei institutio, & delegatio quorundam cœteris dominantium, uti & natura & Dei verbum arguunt. Falsique adeo sunt Theologi Scholastici, aliique, qui Reges & Principes immediatè à Deo pendere negantes, potestatem omnem dominantem, toti equidem Reipublicæ corpori, & communitati à Deo immediatè concessam, at deinceps à communitate, cui illa velit tribui, asserunt; ita ut verum, proximum & immediatum subjectum potestatis secularis sit multitudo, cui immediatè illam Deus communicarit, Principibus tamen tradendam, sive uni, Monarchicè; sive pluribus, Aristocraticè; sive toti multitudini, Democraticè; quod Bellarminus *de Laicis cap.* 6. sustinet. Atqui potestas hæc non in universum duntaxat considerata, sed etiam in particulari, prout est in hoc, vel illo statu, immediatè à Deo est. Quicunque enim in quolibet statu eam actu exercet, loco & vice Dei, ceu ab ipso immediatè delegatus, non multitudinis delegantis eam exercet, adeóque proximè & immediatè eam à Deo habet. Multitudo quippe naturaliter regi, non regere debet, próin naturaliter regenda, non rectiva est. Secus si foret, Reges non Divino, sed merè humano jure regnarent, neque verum esset, quod de se Divina Sapientia profitetur Prov. VIII. 15. 16. בי מלכים ימלכו *Per me Reges regnant, & Principes justitiam decernunt, per me Principes dominantur, & Principes & omnes judices terræ.* Frequentissimi quinetiam casus sunt, quibus multitudo rectori cuipiam justè prorsus, invita & repugnans, subjicitur. Quòd verò aliquando multitudo se ad eam regiminis formam redigit, quæ ei maximè placet, non aliud id arguit, quàm esse in multitudine potestatem deputandi, vel eligendi personam, seu personas, à quibus regatur. Deputatis verò jam & electis Deus immediatè potestatem politicam

ticam

ticam concedit, cujus poteſtatis verum & immediatum ſubjectum non eſt multitudo, ſed Rex, Senatus, populus, prout ipſa multitudo uni ex his formis ſubeſt.

VII. Sicut igitur lumen, quo terra illuſtratur, meritò dicitur immediatè eſſe à Sole, etiamſi priùs, ſaltem naturâ, idem lumen recipiatur in multis inferioribus ſphæris & elementis, quæ terram immediatè illuminant, cùm lumen ubicunque eſt, proximè & immediatè ſoli Soli acceptum referatur, utpote qui ſolus lumen efficit, licet aër illud deferat, & terræ applicet: Sic poteſtas ſecularis ſumma, in quocunque demum ſit, immediatè à ſolo Deo eſt, licet ab hominibus & per homines applicetur, quia ab ipſo ſolo efficitur, eſt, quod eſt, & poteſt. Communitas enim perſonam eligens, quæ ſumma poteſtate utatur, non tam poteſtatem Divinam, utpote quam ipſa non habet, perſonis, quàm perſonas poteſtati Divinæ applicat, quia non poteſtas, ſed perſonæ poteſtatem accepturæ determinatio à Deo ei conceſſa eſt.

Solis terram illuſtrantis immediatè, & poteſtatis Secularis ſimilitudo.

VIII. Regnum temporale Chriſtus, qua Mediator & homo, neque in terris his adminiſtravit, neque exaltatus ad dextram Dei adminiſtrat. Neque enim recipiendum eſt dogma, quod Canoniſtæ & Theologi nonnulli pontificii, quorum argumenta Paulus Comitolus Jeſuita, libro contra ſeptem Theologos Venetos edito, colligit, tuentur, ſtatuentes ſcilicet, Deum Patrem ex ſingulari privilegio filium Chriſtum, cùm mortalis adhuc in terris degeret, totius mundi Regem & Dominum, etiam in temporalibus, eſſe voluiſſe. Quod inſulſum dogma disertæ ipſius Chriſti proteſtationi repugnat, rigidè negantis, Regnum ſuum eſſe *ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ex hoc mundo* Joh. XVIII. 36. Sicut nempe ipſe Chriſtus non erat de hoc mundo Joh. XVII. 14. Sed Dominus de Cœlo 1 Cor. XV. 47. ita nec ejus Regnum erat de hoc mundo, neque ipſe Regno Cœleſti, ſpirituali deſtinatus, oc-

Chriſtus Rex temporalis nunquam fuit.

tus, occupatúsque totus, temporale vel affectare vel administrare pensi quicquam habuit. Atque id aperta veritate convicti, Jesuitæ alii, Maldonatus & Bellarminus confiteri nobiscum coacti sunt. Quorum ille sic *in Matth. cap.* 27. scribit: *Sunt qui Christum quodammodo invitum facere volunt Regem, hæreticósque eos putent, qui temporalem etiam Regem fuisse negant, cùm ipse in judicio interrogatus palam responderit: Regnum meum non est de hoc mundo; id est, non est mundanum, non est terrenum, non est temporale, sed Cœleste & spirituale.* Pluribus deinceps probat, Christi Regnum, Beatorum societatem & fidelium congregationem, seu Ecclesiam, licet in mundo sit, non tamen esse de mundo, quia originem ejus ex Cœlo habet, cùm ejus caput Christus de Cœlo descenderit & fides, quæ Ecclesiæ forma sit, charitas, quæ ejus vinculum, & spes, quæ prœmia illa promittat, de Cœlo dentur. Consentanea Bellarminus *de Rom. Pont. lib. v.* 4. scribit.

Proin etiam suit in Ecclesia Ministris Regnum temporale nunquam delegavit.

IX. Quòd si temporale Regnum Christus, quà Mediator, homo, dominus Ecclesiæ, habuit & administravit nunquam; suis etiam in Regno suo merè spirituali, ecclesiastico ministris illud delegare, commendare nunquam voluit, neque illi non delegatum, commendatum in se recipere, citra horrendi raptus crimen potuerunt. Palam proin est, eos, qui se Christi in Regno ejus spirituali, Ecclesiâ, Ministros, quin & vicarios profitentur, atque interea terrenum, temporale Regnum affectant, vel gerunt etiam, non Civitatis Christi, sed Babylonis Magnæ genuinos asseclas esse. Quanquam si maximè Christus, quà Mediator, Regnum temporale in mundo gessisset, gererétque adhuc, parum in eo præsidii Papa, Ecclesia, quoad temporalia haberet. Etenim Regnum tale Christus administrâsset, & administraret adhuc, vel ut Deus, vel ut filius naturalis Dei, vel ut Mediatoris Regio officio præditus, vel

tus, vel ut homo ſuper omnia exaltatus, vel ut Redemptor, qui ſanguinis ſui pretio id acquiſiverit. Atqui in his omnibus nec hæredem, nec Proregem ullum in terris inſtituit. Nam nec Principes nec dominos proprio ipſorum jure ſpoliavit; & Apoſtolis non aliud quàm ſpirituale, in ſpiritualibus, miniſterium commiſit.

Regnum Chriſti oeconomicum poteſtate legiſlatoria & judiciali conſtat. Solus ille Eccleſiæ Caput eſt.

X. Regnum Chriſti Oeconomicum, ut ad illud accedam, *νομοθεσίᾳ* & *δικαιοκρισίᾳ*, poteſtate dominante & legiſlatoria & judiciali abſolvitur. In his enim *τὸ κύριον* ſeu jus Majeſtatis Chriſti Regis conſiſtit. Et poteſtas quidem legiſlatoria habet *συστοιχείων* gubernationis externum verbum; ceu ſceptrum quoddam dominationis ejus, & internam Spiritus operationem. Verbo externo Chriſtus Rex ac Dominus noſter ſubditis ſuis fidei ac vitæ præcepta impartitur, quorum repagulis circumſepti in officio contineantur. Interna Spiritûs operatione ſpiritualem motum ac ſenſum germanis membris, ceu myſticum eorundem caput infundit. Sicut autem caput naturale primum, præcipuum & dominans membrum in corpore humano eſt, ſenſus tum internos tum externos genuino vigore inſtruit, & movendi virtutem ſpiritûſque in reliqua corporis membra diffundit: ſic caput hoc myſticum in Eccleſiæ corpore *ἀναλόγως* eadem præſtat. Nam & ordinis dignitate, & perfectionum amplitudine, & vegetandi virtute ſupra omnia membra ſua infinitis modis Chriſtum eminere, S. Scriptura perſpicuè Pſal. VIII. 7. 8. Matth. XXVIII. 18. Rom. XII. 5. 1 Cor. XII. 6. 27. Epheſ. I. 22. 23. IV. 12. 15. 16. Col. I. 18. III. 11. teſtatur. Etſi enim partes quaſdam officii ſui, reſpectu miniſterii externi, cum ſervis ſuis, tanquam inſtrumentis, æquabili inter eos authoritate communicavit, tamen dominii partem ullam, nedum univerſalem univerſi ſui gubernationem, tam non in plures, nedum in unum quempiam contulit, quàm non ea ſe ipſe abdicavit.

Poteſtas denique judicialis eidem tributa, poteſtatem coërcendi refractarios, ſtudium ac zelum juſtitiæ ferventiſſimum, & ſapientiam eximiam, ad cujus normam judicium format, complectitur.

Neque in Cœlum digreſſus poteſtatem dominantem ulli homini communicavit

XI. Sicut porro Chriſtus in mundo adhuc degens, adeóque in terris corpore ſuo ſuperſtes, Regnum ſuum miniſterio Apoſtolorum & diſcipulorum rexit: ita in ſacrarium cœleſte digreſſus idem Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, Paſtorum, & Doctorum miniſterio regere pergit. Poteſtatem dominantem utramque tum legiſlatoriam, tum judiciariam exercuit in terris ſolus, neque ulli Miniſtrorum ſuorum communicavit, quod ne ipſi quidem Hierarchici ire inficias auſint. Ingreſſus in Cœlum, neque abſens tamen Spiritu & verbo ſuo, neque corpore mortuus eſt; ſed corpore in throno Regio magnificentiæ conſidens, Spiritu & verbo corpori ſuo conjunctiſſimus, ſuccedaneum Proregem, venientem in partem dominii, vel vicarium delegata poteſtate herili & dominica utentem, inſtituit prorſus nullum. Neutro enim, ceu immortalis & Eccleſiæ præſentiſſimus indiget. Vivit adhuc & regnat in Eccleſia, & poſt ejus in Cœlum aſcenſionem, æquè ac ante eam, *multi unum corpus ſumus* in Chriſto (non in quoquam capite vel domino alio, puta Petro, Pontifice) *ſinguli* (ne Petro quidem excepto) *alter alterius membra;* non Chriſti (quanquam verè Chriſti membra omnes ſumus quoad κτήσιν poſſeſſionem) ſed *alter alterius*, quoad uſum communem, ut conſtet planè neminem fidelium aliam ad alios, quàm membri *ζυσσώμυ concorporei*, relationem habere, capitis verò prorſus nullum Rom. XII. 5. Quinimò Regnum iſthoc & poteſtas dominans, quoad exercitii ſaltem vigorem Chriſto Domino à Patre poſt aſcenſionem in Cœlum & glorificationem donatum eſſe, S. Paulus Epheſ. 1. 19-22. ajens, Deum Patrem

trem Christum ad dextram suam collocantem, dedisse Ecclesiæ κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα *Caput super omnia*, testatur. Quomodo igitur exaltatus ad Dextram Dei successorem habet in Regno, quod tum demum efficacissimè auspicatus est? Sed & Regnum actuale Christum ἀμέσως per se ipsum sine vicario & successore ullo exercere, idem S. Paulus testatur, dicens: καὶ αὐτός ἐστιν ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, *& ipse* (non alius) *est illud* (nota emphasin articuli) *caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse* (non alius, adeóque solus) πρωτεύων *Primatum tenens* Col. I. 18. Quin & Regimen isthoc totum esse spirituale, corporalis præsentiæ ἀδιαστάτου neutiquam indigum, mox v. 19. 20. declarat, ajens: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem* (potestatis, Spiritûs, dominii, principatûs, operationum, perfectionum) *inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pace facta per sanguinem crucis ejus per ipsum, sive quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt.* Perspicuè idem I Cor. XII. 4. 5. 6. &c. asserit: *Divisa sunt charismata*, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα *Spiritus autem idem* (non alius in capite Christo, alius in alio capite, cùm Spiritus idem non sit, nisi in uno capite) *Divisiones ministrationum sunt, & idem Dominus. Divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et v. 12. *Sicut corpus unum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.* Ubi manifestè Christum aliquid unum facit simul cum tota ecclesia, ita ut Christus & Ecclesia sint unicum corpus integrum, ex capite unico, & pluribus membris conflatum. Et prosecutus similitudinem, omnibus ministris varia officia, quæ supra διαιρέσεις χαρισμάτων, διακονιῶν, ἐνεργημάτων, *divisiones gratiarum, ministeriorum, operationum*, vocaverat, ita

applicat, ut dominantem poteſtatem, etiam poſt aſcenſionem Chriſti in Cœlum tribuat nemini. Quod enim eodem capite v. 21: dicit: *Caput non poteſt dicere pedibus, non indigeo vobis*, proclive probatu eſt, non intelligi caput regens, & in membra ſpiritu ſuo influens, quale ſolus Chriſtus eſt, & quale pedibus ad dominandum & influendum neutiquam indiget, ſed membrum corporis, in quo ſunt excellentiora chariſmata, atque caput ejuſmodi in corpore Eccleſiæ non unicum illud, ſed multiplex.

Nullus proin homo per modum capitis, ſive interno, ſive externo in eccleſiam influxu, eandem regit.

XII. Agnoſcunt Hieromonarchici, neque Petrum habuiſſe, neque Papam ullum habere internum gratiæ & dominii influxum, quo præſint Eccleſiæ, eamque regant. Hunc enim ſoli Chriſto competere. Ita eorum coryphæus, de Turre-cremata *de Eccl. lib.* 1. *c.* 23. *ad.* 4. Sed præter internum influxum cum Thoma Aquinate ſtatuit alium externum, externæ gubernationis, ei ſimilem, quo caput externis ſenſibus, præſertim viſu, hominem in actibus exterioribus dirigit. Cæterùm quàm id dilutum ſit, nemo non videt. Præterquam enim quòd poteſtas quam Papa ſibi ceu caput Eccleſiæ & vicarius Chriſti arrogat, cum oculo corpus dirigente nihil commune habet, neque viſus inſuper, neque auditus, neque ullus ſenſus eorum, qui in capita radicantur, dici ipſum caput poſſunt. Etiam caput, quà excellentius corporis membrum, ab oculo S. Paulus 1 Cor. XII. 21. diſtinxit. Oculus ſcilicet, auris &c. ſunt membra, licet in capite, capiti tamen contradiſtincta, quæque non regunt, dominantur, ut caput, ſed à capite reguntur. Caput verò, quà caput nullum aliud officium habet, quàm ut interno influxu totum corpus regat, miſſo in nervos & per nervos in membra, ipſúmque etiam oculum ſpiritu, qui cuilibet membro congruentem motum impertitur.

XIII. Sed

XIII. Sed fortè Hierarchicorum hypobolimæum in Ecclesia caput obtrudentium πρῶτον ψεῦδος illud est, quòd statuunt, Ecclesiam, seu gubernationem ejus post Christi discessum non esse eandem, quæ fuit primitiva, Christo in terris degente, sed aliam eidem similem, proin etiam non eadem, per unicum caput Christum, sed simili, per Papam, ceu succenturiatum Atlantem gubernandam esse. Quasi scilicet Christi, non mortui utique, sed viventis adhuc, imò δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου *potentiam vitæ indissolubilis* (Hebr. VII. 16) habentis, corporalis præsentia, vel absentia gubernationem ipsam variet. Non dicam, eosdem corporis Christi in ciboriis, hostia, præsentiam corporalem jactare, & in ea præsentia religionis suæ arcem collocare. At nos in sacrarium ἀχειροποίητον illum receptum, indéque ad finem usque mundi corpore suo non rediturum profitemur. Absentia tamen illa non magis idoneam causam præbet vicario capiti, quàm olim typici Pontificis, in typico Sacrario agentis, aut Mosis in monte cum Domino loquentis, mora, ejusmodi subrogationem ratam, Deóque gratam effecisset. Si Rex terrenus, peregrè proficiscens is esset, qui nihilominus momento quolibet, secretâ viâ aliquâ, ministris suis animo & consiliis adesse, eósque singulis momentis instruere, & per illos totam Regni gubernationem expedire, perinde ac si corpore præsens foret, posset, nullo utique eo casu Prorege indigeret, sed suum ipsemet Regnum nihilo secius gubernaret, ipsiúsque adeo sola absentia corporalis ne minimam quidem gubernationis varietatem induceret. Par ratio est Christi, corpore suo absentis, at Spiritu, consilio, gratia Ecclesiæ suæ, corpori suo, à qua non re avelli, sed ratione duntaxat, & κατ' ἐπίνοιαν distingui potest, conjunctissimi, qui proin animo, Spiritu, monitis, consiliis, inspirationibus salutaribus Ecclesiæ militanti perpetuò præsens, unus Pastores,

Ecclesia ante, & post Christi in Cœlum ascensum eadem, non similis duntaxat, quoad regimen ejus est.

ministros suos, præsentissimus regit, moderatur, ut verus Princeps, quem omnes solum Principem dominúmque suum agnoscunt, & sequuntur.

Christus ad gloriam evectus homines ministros duntaxat instituit, dominum neminem, & pari potestate omnes.

XIV. Neque postremum illud est, quòd Christus eos, quos in terris Ecclesiæ suæ præfecit, Ministros omnes, pari potestate servientè, Monarcham, Hierarchiam, Dominum nullum instituit. Etenim Apostolos ipsos universos jussit esse ἐργάτας *operarios*, quales sunt in messe Luc. x. 2. Joh. IV. 34-38. Piscatores hominum Matth. IV. 19. testes resurrectionis Christi Act. I. 22. præcones verbi Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Pastores, doctores Ephes. IV. 11. Legatos 2 Cor. VI. 20. quæ, aliáque ejusmodi, curam, ministerium, œconomiam, non dominium, imperium, significant. Etiam claves Regni cœlorum, non ut Dominis, sed ut servis & œconomis à Deo Apostolis promissæ, datæque sunt, cùm claudere & aperire nisi ex mandato Christi non potuerint, neque aperuerint clauserintque proprium quippiam, & sui peculii sed id, quod alienos thesauros & opes, sicut Christo Domino placitum est, condit, promitque, atque id ipsum non unius cujuspiam πλεονέκτημα sit, sed æqua potestate Apostolis cunctis, & eorum in communi munere successoribus competat. Nam Apostolos quidem in omni officio ac munere Apostolico, omnique dignitate & potestate inter se pares, & omnino æquales fuisse abundè constat, cùm & Ecclesia omnibus ex æquo fuerit commendata Matth. XXVIII. 19. Joh. XX. 21. & æquè omnes à Christo instructi, edocti, Spiritu S. repleti fuerint. Act. II.4. & Apostolum nullum aliis præstare, vel majorem esse, disertè Christus Matth. XVIII. 1. 2. &c. Marc. IX. 33. Luc. IX. 46. &c. negaverit. Præclarè proin S. Cyprianus *de Simplic. Prælat.* sic ἰσότητα illam Apostolorum: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, quia tu es Petrus &c. tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et idem*

idem ait post resurrectionem: Pasce oves meas; Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut me misit Pater, & ego mitto vos &c. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem, sua authoritate disposuit, Hoc utique erant & cæteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Si igitur Apostolorum omnium munus merè ὑπηρετικὸν *ministeriale* & serviens fuit, & æquabilis potestas dignitas & existimatio omnium fuit, multò magis eorum, qui post Apostolorum tempora Ecclesiæ præsunt, munus ministeriale, & potestas dignitásque æqualis censenda fuerit.

XV. Dominationem verò in Ecclesia quibuslibet interdictis Christus vetuit. Ad ipsos enim Apostolos sic locutus est Luc. XXII. 25. *Reges gentium dominantur iis, & qui potestatem habent super eas, benefici vocantur,* ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· *Vos autem non sic.* Quibus verbis manifestè Christus excludit ab Ecclesia, quà talis est, omnem dominatum, forensem jurisdictionem & præfecturam ejusmodi, quæ præfecturas seculares quoquo modo imitetur. Neque enim Christus vel de Tyrannis loquitur, utpote qui εὐεργέται *benefici* non sunt; vel apud S. Matthæum cap. XX. 25. usus vocabulo κατακυριεύειν injustum duntaxat imperium intelligit. Potius ea voce imperium Regum cum violentia, seu vi coactiva erga refractarios conjunctum describitur, & ab Apostolis removetur. Et quicquid sit, κυριεύειν, & κατακυριεύειν promiscuè ab Euangelistis usurpatur; cùm illa voce Lucas, hac S. Matthæus usus fuerit, & illa etiam κυριότης *dominatio*, quæ εὐεργεσίαν *beneficentiam* comitem habet, adeóque minimè tyrannica Apostolis interdicitur. Fratres quippe, qui Christo interdicti hujus occasionem præ-

Quin dominationem quamvis in Ecclesia vetuit.

præbuerunt, non utique tyrannidem, sed potestatem duntaxat eminentiorem affectarunt. Et τὸ κατακυριεύειν apud LXX. Interpretes non semel in potiorem partem accipitur. Veluti Genes. I. 28. Psalm. LXXII. 8. Psalm. CX. 2. ubi ipsi Christo domino tribuitur. Similiter etiam καταχοιρανεῖν annotante Eustathio idem sonat quod κοιρανεῖν *in Homer. Il.* I. 318. & *Odyss.* ά. 247.

Claves Ecclesiæ dedit Regni Cœlorum, non terrarum.

XVI. Quid quòd Salvator optimus Apostolis, ceu servis & Oeconomis, totique Ecclesiæ dedit κλεῖδας βασιλείας τῶν οὐρανῶν, *claves Regni Cœlorum*, non utique Regni terrarum Matth. XVI. 19? *In criminibus enim*, ita præclarè Bernhardus *lib. j. de consid. ad Eugen. cap.* 6. Eugenium Papam admonet, *non in possessionibus est potestas vestra, quoniam propter illa, & non propter has accepistis claves Regni Cœlorum. Sequitur, quænam tibi major videtur potestas peccata remittendi, an prædia dividendi? Habent hæc terrena & infima judices suos Reges & Principes terræ; quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Cur major vis esse Domino, qui interpellatus à quodam dicente: Dic fratri meo, ut dividat hæreditatem, respondit: Quis me constituit judicem inter vos?* Scilicet judice S. Paulo 2 Tim. II. 4. οὐδεὶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, *nemo, qui militat Domino, implicatur Seculi hujus negotiis*, curis, imperiis temporalibus.

Ecclesia universæ potestas tum spiritualis, tum ministerialis est.

XVII. Quid verò multis? Ecclesiæ totius, quæ à Christo capite, Rege & Domino unico διατελικῶς regitur, potestas ab eodem delegata est merè tum Spiritualis tum ministerialis. *Spiritualis*, tum quia Ecclesiæ finis solus & proprius est, ut fideles, qui ipsa Ecclesia sunt, æternam supernaturalem beatitudinem consequantur: tum quia media salutis, Christi redemtio, remissio peccatorum, justificatio fides, pœnitentia, prædicatio verbi, Sacramentorum dispen-

diſpenſatio, merè Spiritualia ſunt, neque cum rebus temporalibus commercii quicquam habent: tum quia ipſius Chriſti Domini & Regis Eccleſiæ unici, poteſtas, quam in Eccleſiam ceu corpus ſuum myſticum exercuit, merè ſpiritualis fuit, neque de hoc mundo extitit Joh. XVIII. 36. tum quia non aliam, quàm animarum curam & κηδεμονίαν concernit: tum quia omnia Chriſti præcepta, cujuſmodi ſunt, *Docete, ſolvite, ligate, remittite, retinete, baptizate, hoc facite*, ſpirituali objecto coërcentur: tum quia obedientia Eccleſiæ præpoſitis debita, iis in rebus conſiſtit, in quibus à Chriſto præpoſiti ſunt, præpoſiti autem ſunt in animarum cura, *invigilantes ſcilicet, quaſi rationem pro animabus reddituri*. Hebr. XIII. 7. 17. tum denique quia pœnæ, quas irrogat Eccleſia, non utique corporales & ἀναγκαστικαὶ coactivæ ſunt, ſed ſpirituales, conſiſtentes in denuntiatione mali à Deo infligendi potiùs, quàm malum ipſum ex poteſtatis plenitudine infligentes, adeoque etiam à vi coactiva remotæ prorſus, cùm vel ipſa excommunicatio, nedum pœnitentiæ præſcriptio corporali vi & coactione ab Eccleſia, quâ talis eſt ſucipi nequeat. Sed & *Miniſterialem* eſſe omnem Eccleſiæ poteſtatem, abundè jam probavimus, atque ulteriùs inde liquet, quia omnis poteſtas Eccleſiæ data Chriſto in converſione infidelium, juſtificatione impii, regeneratione & renovatione naturæ corruptæ inſervit, neque inſervit aliter, quàm verbum gratuitæ reconciliationis cum Deo ſcriptum conſervando, prædicando, interpretando, per ſigilla externa gratiæ obſignando, remiſſionem peccatorum credentibus annuntiando, iram Dei incredulis & impiis quibuſvis denuntiando. Quòd ſi verò Eccleſiæ Miniſtris verbum gratiæ ita prædicantibus, explicantibus, peccatorum remiſſionem fidelibus promittentibus, cæteráſque demandati officii partes obeuntibus, fiat hominum ad Deum vera converſio,

sio, non utique Ecclesiæ Ministri effectus ejus causæ principes sunt, sed mera organa, per quæ Deus pro lubitu, dans incrementum plantationi & rigationi hominum operatur 1 Cor. III. 7. Præclarè sic eam in rem S. Augustinus in *Psalm.* 35. loquitur: *Justitia tua sicut montes Dei. Qui sunt montes Dei? qui dicti sunt nubes, ipsi sunt & montes Dei, magni prædicatores montes Dei. Et quomodo, quando oritur sol, priùs luce montes illustrat, & inde lux ad humillima terrarum descendit: sic quando venit Dominus noster Jesus Christus, priùs radiavit in altitudinem Apostolorum, priùs illustravit montes, & sic descendit lux ejus ad convalles terrarum, & ideo dicit in Psalm.* 120. (121) *v.* 11. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Quid ergo? Montes tibi dabunt auxilium? Non. Audi sequentia. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Hactenus ille.

Temporalis potestas et ecclesiastica essentialiter nec subjecta, nec subordinata est.

XVIII. Potestas porro temporalis & Ecclesiastica ita comparatæ sunt, ut neutra alteri vel dominetur, vel serviat, nulláque inter eas essentialiter consideratas subjectio, dependentia, colligatio intercedat secus quàm Hieromonarchici, Secularem Ecclesiasticæ subjicientes, pertendunt. Atque id olim etiam Gelasius, quamvis Papa, perspicuè asseruit, utpote qui invectus in Anastasium Imperatorem quòd se ille aliquando in absolutionem Petri Episcopi Alexandrini Ecclesiastica censura icti ingessisset, sic *tomo de anath. vinc.* potestatem utramque disparavit: *Fuerint hæc ante adventum Christi, ut quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter Reges existerent, & pariter Sacerdotes. Quod Sanctum Melchisedec fuisse, sacra prodit historia. Quod in suis Diabolus quoque imitatus est, utpote qui semper, quæ Divino cultui convenirent, sibimet tyrannico Spiritu vendicare contendit, ut pagani, Imperatores iidem, & Maximi Ponti-*

Pontifices ; *dicerentur. Sed cùm ad verum ventum est* (Christum) *eundem Regem & Pontificem, ultra sibi, nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex Regale fastigium vindicavit. Quamvis enim membra ipsius, id est, veri Regis atque Pontificis, secundùm participationem naturæ magnificè utrúmque in sacra generositate sumpsisse dicantur, ut simul Regale genus & Sacerdotale subsistant* 1 *Pet.* ij. 6. *Attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis, dignitatibus distinctis officia potestatis utriúsque discrevit, volens suos medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum, Imperialibus dispositionibus uterentur: quatenus Spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus: & ideo militans Deo minimè secularibus negotiis se implicaret* 2 *Tim.* ij. 2. *ac vicissim non ille rebus Divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus: ut & modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus: & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.* Totidem ferè verbis, utramque potestatem isthanc Nicolaus I. licet totus Spiritu Monarchiæ tumens, *Epist. lib.* 1. *cap.* 8. distinxit. Duo igitur Pontifices illi non temporalem potestatem Ecclesiasticæ subjecerunt, sed utramque personis, dignitatibus, officiis, actibus disparárunt rectissimè; ad testimonium dicendum citati meritò adversus ἱερομοναρχομανῶν Pontificem alterum, Bonifacium VIII. qui in Extravagante *Unam Sanctam*, definiens, *Spiritualem & materialem gladium esse in potestate Ecclesiæ, hunc pro Ecclesia, illum ab Ecclesia exercendum: illum sacerdotis, hunc manu Regum & militum, sed ad nutum & pati-*

 entiam

entiam Sacerdotis, subjicit: *Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem Spirituali subjici potestati.*

Potestas, & subjectum potestatem habens distinguitur.

XIX. Distincta quidem sunt potestas, & subjectum potestatem habens, ita ut subjectum habens potestatem politicam Ecclesiæ, & vicissim habens potestatem Ecclesiasticam seculari subjici possit, debeátque. Sed potestates ipsæ ita discretæ sunt, ut neutra alteri subjici, neutra in alterius fines involare possit, debeátque. Et frustra omnino subordinationem politicæ potestatis Hierarchici fingunt. Dignitas quippe & officium, quod est in subordinato, non potest non esse in subordinante, cùm ab eo in subordinatum derivetur. Hinc adeò Princeps se violatum putat, cùm ministri ejus subordinati in officiis exequendis impediuntur; & Papa, spreta legati sui authoritate, se ac sedem suam Apostolicam contemni queritur. Atqui res omnes & personæ præsupponuntur esse liberæ, nisi contrarium probetur.

Bellarminus duplicem subordinationem distinguens refellitur.

XX. Bellarminus *contra Barcl. cap.* 2. nequicquam ictum hunc exire conatur, distinguens subordinationem duplicem, quarum altera eo modo intelligatur, ut potestas, quæ est in subordinato, derivetur à subordinante, qualis sit potestas vicarii, Legati, judicis sive præsidis, ab eo derivata, cujus aliquis vicarius Legatus, judex est: altera verò ita intelligatur, ut una non derivetur ab altera, sed ob id duntaxat alteri subjiciatur, & subordinetur, quia finis unius subjicitur & subordinatur fini alterius; qualis sit subjectio & subordinatio variarum artium, sculptoriæ, oratoria, astronomicæ, & similium, ad artem regendi populos, quæ Regia & architectonica dicitur. In priori subordinatione potestatem subordinantis includere potestatem subordinati, in posteriore non item: ac potestatem secularem Ecclesiasticæ subordinari posteriori, non priori modo,

modo, asserit. *Quemadmodum*, inquit, *ars Regia non includit artem Sculptoriam, neque Sculptoria derivatur à Regia, & tamen ars Regia imperat Sculptoriæ, eámque subjectam & subordinatam habet, & potest ac debet Rex sculptori jubere, ut non sculpat statuas obscœnas, ne corrumpatur juventus, neque ex auro vel argento, ut ea metalla serventur ad usum magis necessarium; neque statuas suas nimis magno pretio vendat, ad coërcendam avaritiam: sic ars Ecclesiastica regendi animas, quæ est ars artium, & præcipuè residet in Papa, non includit necessariò artem Regiam, neque necesse est, ut omnia Regna deriventur ab Ecclesia, & tamen quia finis ejus est vita æterna, ad quam subordinantur omnes alii fines, subjecta & subordinata est illi ars politica regendi populos, & potest ac debet summus Pontifex Regibus imperare, ut non abutantur potestate Regia.* Cæterùm apertam sic fallaciam Bellarminus committit, artem cum subjecto habente artem confundens turpiter. Artis equidem cujúsque finis subordinari fini artis superioris rectè dicitur, illius scilicet, quæ sit architectonica; sicut finis frœnifactoriæ subordinatur equestri, quæ illi modum frœna faciendi præscribit. At inter artem Regiam gubernandi populos, & artem sculptoriam talis subordinatio nulla est; neque finis artis sculptoriæ, fini artis Regiæ ullo modo inservit. Alioquin ars Regia, tanquam indigens, ut ipsa perfectè exerceatur, arte sculptoria, eidem modum efficiendi statuas, ut commodè artis Regiæ regendi populos fini per statuas ejusmodi consequendo inserviant, præscribere deberet. Non igitur potestati Regiæ ars sculptoria, sed sculptor, seu habens artem sculptoriam subjicitur, quia sculptor, ceu subditus Regis circa usum vel abusum artis suæ Regi parere tenetur, non circa artem ipsam, utpote quam imperio suo præcipiendo, ut tales vel tales statuas efficiat,

 quibus

quibus Regia ars finem suum consequi possit; vel etiam admissos errores ostendendo arte sua, & corrigendo, non dirigit. Pari igitur ratione potestati ecclesiasticæ subjicitur & subordinatur is, qui potestatem politicam habet, & vicissim potestati politicæ is, qui Ecclesiasticam habet: sed neutra potestas alteri subjicitur & subordinatur ullo modo, quin potiùs utraque ex ipsius etiam Gelasii & Innocentii confessione supra posita, dignitate, officio, & actibus prorsus inter se discretæ sunt.

Hierarchici in explicanda potestatis secularis subordinatione sibi parùm constant.

XXI. Et sanè ipsimet Hieromonarchici subjectionem illam secularis potestatis explicare nequeunt. Vel enim talis est per derivationem, vel per subalternationem, vel per subordinationem, vel propter eminentiam dignitatis in spirituali supra secularem. Non fieri per ***derivationem*** ipsimet confitentur. Neque etiam per ***subalternationem*** fieri potest, quia subalternata potestas omnia principia sua *in* subalternante habere deberet. Quis autem dixerit secularem potestatem principia sua, saltem analoga, habere supernaturalia, quæ habet naturalia maximè propria sibíque sufficientissima. Sed & ***subordinationem*** heic locum habere non posse, supra asseruimus. Frustra certè Contarenus ***tract. de potestate Pontificis***, & Molina ***tract. 2. disp. 21. de just. & jure***, subordinationem heic fingunt, qualis est inter architectonicam atque eidem famulantes. Sublata enim architectonica, corruunt omnes subordinatæ, sicut sublata arte equestri simul frœnifactoria ruit. At sublata Ecclesiastica potestate non ilico secularis tollitur. Imò prior est politia quàm Ecclesia, quia juxta Optatum ***Lib. ij.*** Ecclesia est in Republica, non Respublica in Ecclesia. Denique nulla hic subjectio locum habet propter ***eminentiam dignitatis*** in Spirituali supra secularem, quia quod dignius & excellentius est, non statim imperium & jus habet in id, quod ignobilius & minùs dignum est. In humanis

nis præſertim, ubi nobiles plebejos anteire dignitate, ſine ullo tamen in hos imperio, poſſunt.

XXII. Fruſtra igitur planè Romani Pontifices, in propria cauſa favorabiles ſibi ipſis judices, ſimilitudine ſolis & lunæ ſubordinationem illam explicare conati ſunt. Ques inter ſic Innocentius III. *Lib.* 1. *Epiſt.* 401. *&c. Solitæ, de major. & obed.* cauſam expedit. *Porrò*, inquiens, *ſicut Luna lumen ſuum à ſole ſortitur quâ revera minor eſt illo, quantitate ſimul & qualitate, ſitu pariter & effectu, ſic Regalis poteſtas, ab auctoritate Pontificiali, ſuæ ſortitur dignitatis ſplendorem, cujus conſpectu quantò magis inhæret, tantò minori lumine decoratur: & quò plus ejus elongatur aſpectu, eò plus proficit in ſplendore.* Scitè profectò, acutè & eleganter, ſi res ita haberet, & ambitioni Papali veritas aſtipularetur. Sed docebunt nos, qui ædilitatem gerunt ſine ſuffragiis, quo pacto Nero, Domitianus, Trajanus, Hadrianus, Antoninus, Marcus Aurelius, Commodus, aliique gentiles, veri & legitimi Imperatores utique à Romanis Pontificibus habuerint poteſtatem, ſi ſicut Luna ſplendorem à Sole, ita Imperator à Pontifice ſuam poteſtatem acciperet? Quòd ſi Imperatores Ethnici non à Pontificibus, ſed immediatè à Deo ſuam habuerunt poteſtatem, cur Chriſtiani Principes ab iis eam accipere debuerunt? Unde conſtat eos vel accepiſſe, vel accipere debuiſſe? Atqui ſolus Deus ille Sol eſt, à quo immediatè omne poteſtatis ſuæ lumen ſicut Eccleſia, ita etiam Reſpublica fœneratur. Illud quoque bellè dictum, Principes politicos, quò ſunt Romano Pontifici propiores, eò ad inſtar Lunæ minori pollere poteſtate, quò verò remotiores, eò majori. Etenim ſi *de jure* hoc Innocentius intellexit, cedò tabulas, commiſſionem, diplomata! Si *de facto*, ceu alter Cajaphas, vatem Papa geſſit. Verè enim generatio Papæ, ceu ſummi Monarchæ, fuit corruptio, aut fal-

Solis & Lunæ ſimilitudine ſubordinationem fruſtra Pontifices ipſi explicare conantur.

aut saltem depressio maxima Principum hujus seculi. Ubi enim sunt tot Duces, tot Reguli, Romæ vicini, Beneventanus, Spoletanus, alii? Quò tandem dejectus, & Roma, ipsáque Italia exactus est Romanorum, nomine & voce duntaxat nunc, non re & facto Imperator? Persa & Indus, Hispanus, Gallus, Anglus, alii, quia remotiores adhuc splendent, neque ita, ut viciniores, absorpti extinctíque sunt. Sol hic jam verè sol, & solus lucere cupit, & splendore suo omnes utriusque hemisphærii stellas, lampadas scilicet tam spirituales, quàm temporales, tam Regum solia, quàm Episcoporum Cathedras non modò præstringere, sed planè extinguere satagit. Nec contentus suo in diem dominio, jam etiam nocti præesse conatur, ac ne Luna vel stellæ splendeant, ipse vim naturæ facit; ipse, tellure interposita, &, ut interjaceat, per vim sedibus suis convulsa, hoc est, terrena potestate per nefas arrepta, perpetuam eis eclipsin minatur.

Frustra etiam Bellarminus similitudine Spiritus & Carnis.

XXIII. Neque plus roboris habet potestatis Ecclesiasticæ cum spiritu seu anima, & politicæ cum carne comparatio, quam sic Bellarminus de Rom. Pont. *lib. v. cap.* 6. 7. urget: *Ecclesiastica & Civilis potestas nonnisi unum corpus constituunt unámque societatem, non aliter quàm Spiritus & Caro in homine unam personam faciunt. Sed Ecclesiastica potestas, quæ est tanquam anima & spiritus, est principalis pars, quoniam sibi scopum proponit salutem æternam. Altera potestas est tanquam caro collata ad Spiritum, duntaxat temporalem Reip. pacem pro fine suo habet. Ergo spiritualis potestas est suprema, & potest civili imperare.* Equidem similitudine Spiritus & Carnis Ecclesiasticam & civilem potestatem etiam S. Patres nonnulli, Gregorius Nazianzenus inprimis *Orat.* 15. *ad subditos timore perculsos*, usi sunt, eo scilicet sensu, quòd Ecclesiastica dignior sit & præstantior civili, quod ultro largi-

largimur. Sed eadem turpiter Jesuitæ abutuntur, ut Papæ, spirituali scilicet, Principum carnalium dorso pro libitu inequitanti potestatem vindicent. Quorum proin sensu alienissima comparatio est. An enim sicut Spiritus vitam corpori, & cuilibet ejus parti impartitur: ita spiritualis potestas civili propriam functionem & administrationem præscribit? An, sicut corpus sine anima consistere nequit, temporalis etiam potestas sine Ecclesiastica consistere non potest? An sicut Spiritus & corpus efficiunt unum quid, hominem puta, & hoc illi essentialiter subordinatur: ita etiam Ecclesiastica & civilis potestas unum quid per se efficiunt? & una ad alteram essentialiter refertur? An denique sicut Spiritus in corpus directè agit, ecclesiastica similiter in civilem, eam movendo, regendo, præceptis legibúsque informando, directè agit? Hoc sanè Bellarminus, aliique Papicolæ non pauci, affirmare non sustinent. Si Scripturæ (Eph. IV. 15. 16.) similitudinem admittimus, nos omnes non nisi unum corpus sumus, cujus caput Christus, Spiritu suo unicuique membro idoneam vim largitur.

XXIV. Ficulnea folia Bonifacius VIII. in Extravagante *Unam Sanctam* pro Ecclesiasticæ potestatis in civilem imperio affert. Cujusmodi sunt, *quòd Christus Petro dixerit Joh. xxj. 15. Pasce oves meas: adeòque non quasdam duntaxat, sed universas pascendi munus injunxerit: quòd Luc. xxij. 38. idem Apostolis dicentibus; Ecce gladii duo, non responderit, nimis esse, sed satis, innuens in Ecclesiæ potestate esse gladios duos spiritualem & temporalem: quòd Matth. xxvj. 52. idem Petro dicens, converte gladium tuum in vaginam, in potestate ejus etiam temporalem gladium esse declaraverit: quod S. Paulus scribens Rom. xiij. j. Non est potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt, significaverit ordinem esse inter gladios, adeòque gladium temporalem esse sub gla-* *Bonifacii viij. pro potestatis ecclesiasticæ in civilem imperio imbelles ratiuncula.*

dio spirituali ordinatum, & tanquam inferiorem reduci per alium in suprema: quòd denique (1 Cor. 11. 15.) spiritualis homo dijudicet omnia, adeóque etiam Papa Spiritualis Imperatorem. Ita scilicet Dei omnipotentis verbum obtorto collo rapi oportuit, ut immensæ Pontificis cupiditati, & impotenti desiderio imperandi Regibus serviret. Taceo, quòd S. Petro dicta, Papa auferat non pretio, sed vi. Quis ποιμαίνειν *pascere* idem esse, quòd imperare Regibus & Principibus mundi, eos pro libitu deponere, habiles, inhabilésve reddere, calcibus ferire, denique παμβασιλικῶς regnare dixerit? Sunto Reges & Principes oves Pastorum Ecclesiæ in spiritualibus. Ast iidem pastores sunt Regum & Principum etiam oves in temporalibus. Cúmque & discipuli Christi quæsiverint, & Christus responderit de *duobus gladiis* non diversi generis, sed materiali utroque; & Petrus gladium ejusmodi materialem tractans, à Christo objurgatus fuerit, extrema utique impudentia, ne dicam impietas est Bonifacii, seu Malifacii hujus, duos inde gladios diversissimi generis, quorum unus alteri dominetur, conflantis, & sibi utrumque vindicantis, quin & eosdem non contra hostes Christi, sed contra Christum ipsum & membra ejus stringentis. Tum & putidissimum est cavillum in voce τεταγμέναι *ordinatæ*, quæ non potestatum diversarum vel subordinationem vel connexionem quamcunque, sed eminentis, adeóque supremæ potestatis cujusvis in terris, & temporalis quidem, utpote quæ sola gladio munita est Divinam ordinationem & deputationem notat. Denique nec Papa est πνευματικὸς *spiritualis* ille homo, cui dijudicandi omnia facultatem Apostolus committit, nec si esset, solus esset, nec ἀνάκρισις illa judicium supremum sive in spiritualibus sive in temporalibus, sed discretionem spiritualium, & per Spiritûs S. gratiam significat.

XXV. Ad

Potestatis utriúsque civilis & ecclesiasticæ dominantis limites omnes Papa perrupit.

XXV. Ad liquidum hactenus perduximus, duplicem esse in mundo potestatem unam in temporalibus dominantem, quam per vicarios suos, summas in terra potestates Deus exercet, alteram in spiritualibus dominantem, soli Christo, Regi & capiti Ecclesiæ summo eximiam, ministerialem quin etiam, Ecclesiæ commissam: potestatis civilis radicem esse immediatam institutionem & delegationem, Dei, adeóque Reges & Principes à Deo solo, & *ἀμέσως immediatè* dependere: Christum solum unicumque Ecclesiæ caput & Regem esse: Ecclesiæ post ejusdem in Cœlum ascensum gubernationem eandem esse, quæ fuit primitiva, Christo in terris adhuc degente: potestatem Ministrorum Ecclesiæ quorumvis merè & spiritualem & ministerialem esse, procul omni dominatione & Monarchia, vel hierarchia visibili: Utramque denique & civilem & Ecclesiasticam potestatem ita distinctam esse, ut neutra alteri vel dominetur vel pareat, adeóque temporalis etiam Ecclesiasticæ nullo modo vel subordinetur vel subjiciatur. Quemadmodum verò Hierarchia Papalis repagula, limitésque sacros omnes, supremam sibi in Spiritualibns æquè ac temporalibus potestatem malis artibus quæsitam nefariè exercendo, perruperit, in propatulo est.

Supremam in Spiritualibus potestatem indulgente Phoca, rapuit. Argumenta ex Gregorio M. eidem opposita.

XXVI. Et supremam quidem in spiritualibus potestatem Phocæ Imperatoris indultu Bonifacius III. Romanæ sedi primus asseruit: dum se Romanæ sedis Episcopum, *Universalem* & *Oecumenicum* Episcopum declaravit. Quem titulum nemo acriùs, nemo frequentiùs, vehementiúsque, quàm post Pelagium II. cujus verba Historia Papatûs ff. 36. repræsentat: ipse Gregorius M. Romanus & ipse Episcopus, paulò ante adversus Constantinopolitanum impugnavit, Deo sine dubio detegente molitionem Sathanæ, & per os ejus, cujus successores huc contenderunt, Antichristianam superbiam damnante. Passim ille

nomen *universalis Episcopi*, tanquam *profanum*, *superbum*, *stultum*, *elationis titulum*, acerbè traducit & configit. Operæ pretium est argumentorum arietes, quibus *Epist. lib. iv. ep.* 32. 34. 36. 38. Oecumenici tituli isthoc monstrum validissimè concussit, ὡς συλλήβδην repetere. Pertendit igitur *primò*, si unus Episcopus vel Patriarcha *universalis* dicatur, cæteris Episcoporum & Patriarcharum nomen derogari. Quæ ratio manifesta est. Omnis enim Episcopi illa διακονία est, ut secundùm regulam Christi se typum Ecclesiæ exhibeat, reddens rationem & fraternitati & Christo, & cum eadem fratres veros admittat, falsis anathema dicat, denique in commune consulat de iis, quæ ad εὐταξίαν pertinent. Si autem unus est universalis Episcopus, erit idem singularis, & reliqui omnes erunt ἀλλοτριοεπίσκοποι, denique servi unius. Atqui Christus dedit *pastores & doctores*. Hoc verò, ita Gregorius, vel de omnibus intelligendum est, vel de uno. Si prius, ille universalis igitur non habet vocationem à Christo. Si posterius, cœteris Episcopis & Pastoribus esse non dabitur, quia plures esse universales, non possunt *Secundò*, ait, pacem & viscera universalis Ecclesiæ hoc superbo nomine turbari. Ubi proponit Paulum, ad dilacerationem corporis dominici, per quam membra illius se aliis quodammodo capitibus sociabant toto animo cohorrescentem. Quid si enim quis urgeat ἰσοτιμίαν & paritatem omnimodam à Christo institutam? Numquid propterea excommunicari poterit? Et qua conscientia id fiet? Necessum hîc erit contentiones, schismata suboriri, & turbari cuncta. *Tertiò*, gratiæ communiter omnibus effusæ contradici, arguit, libertati puta Christianæ, à qua est, ut quivis Christianus sit Libertus Domini, humanæ Cathedræ, vel authoritati nulli in spiritualibus mancipatus. *Quartò*, Paulus (1. Cor. 1. 12.) ita ille, *membra Dominici corporis certis ex-*

tis extra Christum quasi capitibus & ipsis Apostolis subjici particulariter evitavit: tu (ita Johannem Constantinopolitanum alloquitur) *quid Christo, universalis Ecclesiæ capiti in extremi judicii es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris universalis appellatione supponere? Petrus Apostolus primum membrum Sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Johannes quid aliud quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite omnes sunt membra Ecclesiæ.* Unum igitur caput deseri, si universalis Episcopus agnoscatur, atque hoc amplius Apostolica dignitate, ipsúmque Petrum eam potestatem non accepisse, arguit. Non erant quidem Apostoli certarum plebium Episcopi, sed μέριμναν πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν *solicitudinem pro omnibus Ecclesiis* habebant. 2. Cor. XI. 28. 29. Nemo tamen illorum ad se unum omnia revocavit, imò eorum quivis aliis suum θεμέλιον & κανόνα *fundamentum & Canonem* integrum inviolatúmque reliquit. Epistola 36. sic loquitur: *Ille qui in eleemosynis, orationibus atque jejuniis videbatur occupatus, ex eo in quo sedebat cinere, ex ea, quam prætendebat humilitate, jactantiam sumpsit: ita ut universa sibi tentet adscribere, & omnia, quæ* (NB) *soli uni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis ejusdem Christi sibi studeat membra subjugare.* En, judice Gregorio universalis Episcopi titulus, soli uni capiti Christo cohæret, & qui eum sibi arrogat, Christi membra sibi subjugare studet. *Quintò*, imitationem hanc esse Diaboli, qui omnibus præesse, nemini subesse voluit, adeóque titulum illum totum Luciferianum esse, astruit. *Quis*, inquit, *in tam perverso vocabulo, nisi ille imitandus proponitur, qui despectis Angelorum legionibus, secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere: ut & nulli subesse, & solus omnibus præesse videre-*

videretur? Qui etiam dixit: In Cœlum conscendam: supra astra Cœli exaltabo solium meum &c. Agnoscit manifestè in Ecclesia neminem esse oportere, qui solus præesse, judicare, à nemine judicari, & cæteros omnes sibi subesse velit. *Sextò*, elationem illam, characterem Antichristi esse, innuit. *Omnia* inquit, *quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ propè est, & quod dici nefas est, Sacerdotum est præparatus exitus: quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, ut ducatum præbeant humilitatis.* Sed & *Ep. lib. vj. ep.* 30. ad Imp. Mauritium, sic animi sui sensa pandit: *Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur, quia sicut perversus ille, Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super cæteros sacerdotes se extollit.* Et passim *elationis* nomine utens, manifestè ad Antichristum ὑπεραιρόμενον, *efferentem se supra omne, quod Deus aut venerabile dicitur*, alludit. *Septimò*, titulum illum superbiam meram redolere, & Christi Sanctorúmque humilitati repugnare, graphicè passim admonet. *Octavò*, ex verbis Christi Matth. XXIII. 8. 10. *Vos autem nolite appellari Rabbi* &c. argumentum depromit. *Quid ergo,* inquit ad Constantinopolitanum, *frater charissime, in illo terribili examine venientis judicis dicturus es, qui non solùm pater, sed etiam generalis pater in mundo vocari appetis?* Quæ sanè feriens prægnánsque ratio est. *Nonò*, Scandalum Johanni Gregorius graviter objicit. *Ecce*, inquit, *ex hoc nefando elationis vocabulo Ecclesia scinditur. Fratrum omnium corda ad scandalum provocantur. Numquid mente excidit, quod veritas dicit: Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut su-*

ut suspendatur mola asinaria in collo ejus &c. Addit, contra charitatem isthoc militare, utpote quæ quærat quæ sua, cùm ita se supra alios efferens, aliena quærat. *Decimò*, tandem eo argumento Johannem premit, quod nec Episcopi Romani antehac, nec Sanctorum quisquam hactenus eo vocabulo usus fuerit. *Ut cuncta*, inquit, *brevi cingulo locutionis astringam, Sancti ante legem, Sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam universalem vocare voluit.* Et Sedis ipsius Romanæ exemplum his verbis urget. *Numquid non, sicut vestra sanctitas novit, per venerandum Chalcedonense Concilium hujus Apostolicæ sedis Antistites, cui, Deo disponente, deservio, universales oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus unquam, tali vocabulo appellari voluit: nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne, si sibi in Pontificatûs gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegâsse videretur.* Non tantùm igitur à Constantinopolitana, sed à Romana etiam sede Universalis Episcopi axioma, disertè removet. Tantùm abest, ut decantatum illud: *Tu es Petrus &c. Tibi dabo claves Regni Cœlorum: Pasce oves meas* &c. Constantinopolitano Gregorius occinat. Quòd verò de Synodi Chalcedonensis decreto, quo Romano honor tituli *Universalis* Episcopi oblatus sit, idem Gregorius dixit, aliquid sibi præter veritatem indulsit. Nullum enim Decretum proferri potest, nullum scriptum publicum, adeò ut Baronius *ad A.* 451. librarii fraudem suspicari cogatur.

XXVII. Solemnia planè hîc insanit Baronius, qui ad *A.* 595. *num.* 36. &c. distinguit significationem nomins *universalis* & *œcumenici* Episcopi. Ut *primò* significet unum solum singularem Episcopum, præter quem alius nemo sit, & cui Episcopi cœteri omnes subsint ut filii, non ut fratres: *Secundò* *Baronii figmentum de nomine Episcopi universalis à Gregorio oppugnato, elisum.*

cundò eum denotet, qui cœteris duntaxat supremineat, & curam gerat totius Ecclesiæ, sed generalem ita, ut particulares Episcopos non excludat. Priore sensu intelligendum esse Gregorium, rectéque ita eum id nominis, ut vanum scelestum & sacrilegum execrari. Altero autem sensu nunquam putâsse damnandum. Illo Johannem se pro universali Episcopo venditâsse; hoc verò Romanum Episcopum meritò se universalem nuncupare, non improbante Gregorio. Atque isthoc etiam Bellarmini, aliorúmque κρησφύγετον est, ridiculum planè & falsum, si quod aliud. Nam & Papa, Episcopus Romanus, se pro Universali & Oecumenico venditat priore sensu, quia licet reliquis Episcoporum nomen nondum ademerit, rem tamen abstulit, dum negat eos esse Episcopos cum plena, propria, primaria, & ab ipso Christo immediatè accepta potestate, adeóque eos pro ministris & vicariis, mancipiisque suis habet, uti supra probavimus: & Gregorius id nominis execratus est in quovis, sive Constantinopolitano, sive Romano Episcopo, posteriore, ac multò magis priore sensu, tum quia id reprehendit, quod sibi Johannes arrogavit; qui nunquam id sibi arrogavit, quòd solus esset in orbe Episcopus, reliquis sibi Patriarcharum, Metropolitanorum Episcoporum titulos constanter retinentibus, uti vel ex solo corpore juris Græco-Romani colligere est, ubi idem ille Constantinopolitanus Episcopus Johannes se πατριάρχην οἰκουμενικὸν *Patriarcham Universalem*, Antistitem verò Deabolis Dyrrachii Metropolitanum, fratrem dilectum συλλειτουργὸν *comministrum*, & θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον *Episcopum religiosissimum* insignit. Quippe sub Constantinopolitani ditione Archiepiscopi, Episcopi fuerunt, æquè ac sub Romani, etiam tum, cùm se Oecumenicum vocabat: tum quia Gregorius in Epistolis supra laudatis Oecumenicum describit eum, *qui omnibus dignior appareat, nulli subsit, omnibus præ-*

præſit ſolus, Imperatori ſe præponat, & omnia Chriſti membra ſibi ſubjiciat, qualia utique ſuo Oecumenico Papæ Romani vendicant: tum denique, quia teſtibus etiam Pomponio Læto in Phoca, Sabellico *Enneadis viij. lib.* 6. Blondo *Dec.* 1. *lib.* 9. aliiſque, hoc utrumque inter Conſtantinopolitanum & Romanum Epiſcopum certamen interceſſit, non uter ſolus in orbe Epiſcopus maneret, ſed uter eſſet caput omnium Eccleſiarum, ſive Princeps omnium Pontificum: tum denique quia id ipſum, quod ſibi Conſtantinopolitanus arrogavit, à Phoca Romano tributum fuit, fatente Baronio *ad A.* 606. ubi ſic ille: *Quid ergo ſuo edicto contulit Romanæ Eccleſiæ Phocas? Nihil planè, niſi quod declaravit, ſua ſententia indebitè uſurpari ab Epiſcopo Conſtantinopolitano Oecumenici nomen, quod Romanæ duntaxat deberetur Eccleſiæ.*

XXVIII. Ex Gregorii igitur dictis παλαιολιαίοις Papatum à Phoca parricida inauſpicatò in Eccleſiam introductum, αὐτοκατάκριτον & ἑαυτοντιμωρούμενον habemus. Cæterùm quàm immenſum tyrannidis in Eccleſiam Dei Chaos hoc uno *Univerſalis*, ſeu *Oecumenici* nomine occultetur, abundè procedente tempore in hunc uſque diem patefactum eſt. Et in Synodo quidem Florentina decretum conditum eſt in hæc verba, quæ ſunt in literis Unionis Eugenii Papæ Seſſione ultima: Ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν, καὶ τὸν Ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ πρωτεῖον κατέχειν, αὐτόν τε Ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτηρητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάσης τῆς Ἐκκλησίας κεφαλὴν, καὶ πάντων τῶν Χριστιανῶν πατέρα τε καὶ διδάσκαλον ὑπάρχειν, καὶ αὐτῷ ἐν τῷ μακαρίῳ πέτρῳ τοῦ ποιμαίνειν, καὶ διιθύνειν, καὶ κυβερνᾶν τὴν καθολικὴν Ἐκκλησίαν ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πλήρη ἐξουσίαν παραδεδόσθαι. *Definimus, ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem terræ tenere primatum:*

Florentinæ Synodi de poteſtate ſumma Papæ in Spiritualibus definitio.

matum: & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verè Christi vicarium, totiúsque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem & doctorem existere: & ipsi in beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Quod quidem Eugenii in propria causa testis judicisque decretum non ita pridem Valerianus M. Capucinus, jussus Divino aliquo testimonio Pontificium Vicariatum comprobare, nomine *sacrarum literarum Spiritu S. moderante consignatarum* venditare miser non erubuit.

Absolutæ potestatis Christo nequaquam subjectæ plenitudinem Papæ tribui, probatur.

XXIX. Sic igitur juxta Hieromonarchicos, Papa est universalis seu Oecumenicus Episcopus, ut sit Christi in terris Vicarius, qui sic vice Christi in Ecclesia fungatur, ut caput etiam ipse dicatur totius militantis Ecclesiæ. Quod etsi fateantur non æquo aut jure, aut gradu cum ipso Christo, quem solum hoc nomine in Scripturis venire non ignorant eum habere, tamen sic amplificant postea, ut facilè appareat, dicis tantùm causa Christum præferri, & *πλήρη ἐξουσίαν plenam potestatem*, uti Eugenius dicebat, seu absolutam plenitudinem potestatis, uti loqui etiam amant, eidem tribui. Etenim *primò* Papam sic *ἀνυπεύθυνον* faciunt, uti nulli prorsus potestati, quæcunque illa tandem sit, civilis aut Ecclesiastica obnoxium esse velint, ne tum quidem, cùm officio minimè fungitur. *Si Papa* (ita apud Gratianum *dist.* 40. legere est) *suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos, hujus culpas isthic redarguere præsumit Mortalium nullus, quòd cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur*

datur à fide devius. Et rurſus *cauſa* 9. *q*. 3. *Nemo judicabit primam ſedem juſtitiam temperare deſiderantem. Neque enim ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à Populo judex judicabitur.* Ex quibus verbis Gloſſator concludit, tum à Concilio Papam non poſſe judicari, tum Pontificis ſententiæ ſtandum eſſe, quamvis totus in aliquo contra eum ſententiaret. Præterea ne accuſari quidem de homicidio vel adulterio eundem poſſe, idem Gloſſator ad caput *Non nos diſt.* 49. diſertè notat. *Et cauſa* 9. *q*. 3. hic canon habetur: *Aliorum hominum cauſas Deus per homines voluit terminari: ſed ſedis iſtius Præſulem ſuo, ſine quæſtione reſervavit arbitrio. Voluit enim Petri Apoſtoli ſucceſſores Cœlo tantùm debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam habere conſcientiam.* Licet verò à Concilio ſaltem eum judicari poſſe, cenſeant nonulli, ipſe tamen Papa judicium iſthoc validè contemnit, vel declinat, & gnathones ejus, veluti Hieronymus Albanus *lib. j.* de *poteſtate Concilii*, Caranza *Controv.* 4. alii pernegant, ullum reperiri poſſe criminis caſum, in quo univerſalis Eccleſiæ Paſtor judicari ab ullo Epiſcoporum Concilio poſſit. Nam etiam quod de hæreſi excipit canon *Si Papa*, ſupra allatus, hodie nova ſtropha, aſſerta ſcilicet Papæ in jure & facto infallibilitate, redditum inutile eſt. Adeo in pejus populus quotidie vergit. *Secundò* Papæ ab omni poteſtate ita exempti, omnes reliquos abſque ulla prorſus exceptione ſubjiciunt. Sic enim in Extravagante de Majoritate & obedientia, capite *Unam ſanctam* definitam legimus. *Si deviat terrena poteſtas, judicabitur à ſpirituali poteſtate. Sed ſi deviat Spiritualis poteſtas, minor à ſuo ſuperiori: ſi verò ſuprema, à ſolo Deo, non ab homine judicari poterit, teſtante Apoſtolo: Spiritualis homo judicat omnia, ipſe verò à nemine judicatur.* Et mox: *Subeſſe*

Romano Pontifici omnem humanam Creaturam declaramus, dicimus esse de necessitate salutis. Apud Gratianum *causa* 9. *q.* 3. *Aliorum* sic legere est: *Patet Sanctorum voce Pontificum dignitatem sedis hujus factam toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur.* Neque in Spiritualibus duntaxat, sed in secularibus etiam negotiis Papæ subesse sine discrimine omnes severè iidem sanciunt, uti infra comprobabimus. *Tertiò* Papæ ψηφίσματα, decreta, sententias ejusmodi esse, ut contra eas ne hiscere quidem cuiquam liceat, iidem pertendunt. Ita enim apud Gratianum *Dist.* 19. legere est: *Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius Divina voce Petri firmatæ: Et Causa* 19. *q.* 4. *Nemini de sedis Apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum, videlicet propter Ecclesiæ Romanæ primatum Christi munere in beato Apostolo Petro Divinitus collatum.* Quin & jugum molestissimum ab eodem impositum, æquo animo ferendum esse, sic *Dist.* 19. *cap. In memoriam*, decernitur: *Licet vix ferendum ab illa Sancta sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.* Denique ne quid ad insolentiam reliqui fiat, Glossator in caput *Quanto personam, de Translatione Episcopi in Decretalibus*, γυμνῇ κεφαλῇ intima Papatûs scrinia reserans, asserit, *Papam habere cœleste arbitrium, & ideo naturam rerum mutare, substantialia unius rei applicando alii. Et de nullo posse aliquid facere, & sententiam, quæ nulla est, facere aliquam: in his quæ vult ei esse pro ratione voluntatem, nec esse, qui ei dicat, cur ita facis? Posse enim supra jus dispensare, & de injustitia facere justitiam, corrigendo jura & mutandam demum plenitudinem obtinere potestatis.*

XXX. Cùm

XXX. Cùm duo ferè ſint, ex quibus τὸ κύϱιον Majeſtas, ſeu ſuprema nullique obnoxia poteſtas Reipublicæ cujuſvis dominantis à Politicis diſcernitur, puta νομοθετικὴ & δικαιοκϱιτικὴ *legiſlatoria* & *judicialis* poteſtas ſumma, quibus etiam Chriſti in Eccleſiam poteſtatem dominantem *ſupra ʃʃ. x.* definivimus, utramque Curiam Romanam Papæ non in orbis partem vel particulam quampiam, uti dominantes hujuſmundi ſolent, ſed in univerſum orbem, ſaltem Chriſtianum & in ſpiritualibus minimùm, ſummam vindicare, adeóque abſolutum & ἀνυπεύθυνον Monarcham à Deo ipſo ſupra naturæ vim conſtitutum eum venditare, in propatulo eſt. Ad νομοθετικὴν ſeu *legiſlatoriam* illam ſummam poteſtatem omnium, quæ ſalutarem fidem & mores concernunt, infallibilis & ſuprema conſtituendi definiendíque facultas, de qua abunde ſupra *Diſſ. vij.* 9. 10. &c. egimus; pertinet: imò id, quod dictavit Gregorius VII. *abſque Papæ autoritate nullum librum, nullúmque Capitulum canonicum haberi:* quod Nicolaus I. non dubitavit profiteri, ſucceſſores verò ejus in ipſum Gratiani decretum receperunt: *Vetus & Novum Teſtamentum non niſi ex Pontificum conſtitutione à Chriſtianis recipi meruiſſe.* Neque immeritò ad eandem retuleris & illud, quòd Bellarmino aliiſque prodentibus, diſpenſat Pontifex in votis & juramentis, quæ Deus ipſe juſſit reddi, quorum ſolutio de jure Divino eſt: quòd Conciliorum, quamvis Oecumenicorum, decreta omnia à ſuo nutu Papæ ſuſpendunt; quòd denique *ſecundùm plenitudinem poteſtatis de jure ſe poſſe ſupra jus diſpenſare*, gloriatus quondam Innocentius III. eſt.

Idem ex ſupremæ Majeſtatis indiciis, poteſtate legiſlatoria,

XXXI. Ad δικαιοκϱισίαν ſeu *judicialem* poteſtatem Magiſtratuum conſtitutio, & judicum atque judiciorum ordo referri ſolet. Utramque in orbis univerſi Eccleſia ſupremam ſibi Papa arrogat. Et *Magiſtratuum* Eccleſiaſtico-

& judiciali ſumma Papæ tributa conficitur.

rum *constitutionem* quod attinet, notissimi sunt Gregoriani dictatus, *quòd solus R. Pontifex jure dicatur universalis. Quòd ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare: Quòd Legatus ejus etiam inferioris gradus omnibus Episcopis præsit in Concilio, & adversus eos sententiam dopositionis dare possit: Quòd illi soli liceat pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonia Abbatiam facere, & è contra, divitem Episcopatum dividere, & inopes unire: Quòd illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare: Quòd absque Synodali conventu possit Episcopos deponere & reconciliare: Quòd de omni Ecclesia, quocunque voluerit, clericos valeat ordinare.* Quorum omnium communis hæc sententia est, quod omnes Magistratus Ecclesiastici (tales quippe sunt Episcopatus, Canonicatus, Abbatiæ) quoad institutionem & administrationem universam sint juris arbitriique Papalis. Quo quidem prætextu, proximis ante Concilium Constantiense & Basileense Seculis, nihil ferè horum non reapse exercuerunt, donec alibi atque alibi frenata aliquantum est intolerabilis illorum licentia, ita tamen, ut quicquid ejus remissum est, Curia Romana, quasi ex gratia concessum beneficium atque privilegium interpretetur. Quid quòd Episcopi in Conciliis etiam nonnisi Magistratuum & consiliariorum vice fungi creduntur. Hinc enim Leo X. in Concilio Lateranensi edixit, *solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tanquam authoritatem super omnia concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere.* Quam potestatem, quotiescunque potuerunt, strenuè exercuerunt, in Concilio inprimis Tridentino, in cujus statim exordio Papæ disertis verbis per Legatos Patribus eandem inculcarunt. Plura de Papæ in Episcopos quosvis

quosvis imperio & jurisdictione *Dissert. viij. Sect. j.* 40. 41. diximus.

XXXII. Sed & *judicandi* potestatem supremam & ἀνυπεύθυνον sibi Papa eximiam facit. Quod iidem dictatus Hildebrandini arguunt, quibus inter alia cautum est, *quòd sententia Papæ à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit: quòd à nemine ipse judicari debeat; quòd nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem: quòd majores causæ cujuscunque Ecclesiæ ad eum referri debeant.* Igitur etiam jus omne absolvendi à peccatis pœnitentes uni sibi ac primò competere Papa gloriatur, eóque nomine partem quidem ejus Presbyteris atque Episcopis, ceu subdelegatis judicibus committit, partem verò, quæ videlicet multum vel majestatis vel quæstus habet, soli sibi curiæque suæ exercendam reservat. Atque illud absolvendi, seu clavium jus ita interpretatur, quasi potestas sit quædam non indicandi & declarandi ex Dei verbo Divinam mentem, sed propria quædam & principalis authoritas judicandi, adeóque simpliciter vel absolvendi vel condemnandi, & eo quidem effectu, ut in cœlo eandem sententiam Deus ipsemet approbare debeat. Similiter animas ex igne purgatorio liberare, arbitrii Papalis est. Quamobrem etiam tam varias, & tam multas per cereas agni imagunculas, rosaria, grana, medalias, corollas, & id genus infinita alia, indulgentiarum species animarum liberandarum gratia passim terrarum liberali manu Papa constituere solet. Vanus verò hic conatus, vana jactantia fuerit, nisi simul ipsi etiam Angeli & Dæmones ad nutum Papæ illius imperiis sententiisque obedire cogantur, hactenus scilicet, ut animas jubente Papa, vel Angeli in Cœlum sublevent, vel dæmones in tartara detrudant. Sic enim etiam quondam Clemens VI. in Bulla Jubilæi disertè *Angelis Paradisi* imperavit, ut *animam* illius (quem-

(quem scilicet ipse à peccatis suis immunem & absolutum pronuntiaverat) *à purgatorio prorsus absolutam ad Paradisi gloriam introducant.* Licet verò à concepta ejusmodi formula deinceps Papæ abstinuerint, reapse tamen jus isthoc in Angelos & dæmonas, judicii scilicet sui ministros, satellites, lictorésque, suo sacrarum clavium usu, sibi arrogant, atque exercent. Et quidni hoc sibi tribuant, cùm quilibet sacerdos pœnitentiarius, si Theophilo Remundo Jesuitæ fides est, *cacodæmones pro satellitibus, beatas mentes pro ministris* habeat?

Extensio potestatis Pontificiæ ad subjectionem creaturæ omnis.

XXXIII. Potestati huic in spiritualibus immensæ & principali, & velut Divinæ Majestati vicariali, omnes omnino homines, non tantùm sacris dedicatos, quorum personas & res, sacramentis etiam devinctas, omnique aliorum imperio exemtas soli Pontifici obnoxias esse pertendunt, sed sacrorum eorundem prætextu, quosvis etiam homines, Reges, Principes, ac summas quásque potestates ita subesse, ut absque subjectione hac æternæ & temporalis salutis compos esse nemo mortalium queat, iidem sciscunt. Neque enim Pontifices non nulli, Pontificiæ sedis obedientiam ad æternam salutem consequendam simpliciter necessariam esse, dissimularunt. Jam olim Gregorius VII. dictavit. *Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ*, hoc est, Curiæ Papæ. Bonifacii quoque Octavi decantatum illud, *subesse Romano Pontifici omnino esse de necessitate salutis*, in ipsum jus canonicum receptum est. Sed &, Pio IV. auctore, in publicam, juratámque fidei professionem hæc transierunt: *Sanctam Catholicam Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco: Romanóque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, & Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.* Iisdem vestigiis insistens Paulus V. initio hujus

hujus seculi, cùm Jacobus Angliæ Rex subditis suis Pontificiis securitatis publicæ causa juramenti formulam proposuisset, qua solùm illud negabatur, ita Regem potestati Pontificiæ esse subjectum, ut per eam Regnum ipsi jure auferri aut subditi juramento fidelitatis solvi possint, Brevi, quod vocant, Apostolico, transmisso pronuntiavit, *hujusmodi juramentum salva fide catholica & salute animarum præstari non posse cùm multa contineat, quæ fidei & saluti apertè adversentur.*

XXXIV. Accedit commentum calidum callidúmque infallibilitatis, quam in potestate utraque tum legislatoria tum judiciali exercenda, Pontifici, ceu summo in terris Numini, post Concilium maximè Tridentinum (nam ante illud, exceptis Curialibus & Canonistis nonnullis, plerique alii, Ecclesiæ seu Concilio generali ipso etiam Papa superiori, infallibilitatis isthanc dotem vindicârunt) cùm alii, tum Jesuitæ, Cœli Pontificii Atlantes, tribuere nulli erubescunt. Postquam enim ad triarios istos res Papæ devenerunt, usque adeò in consensum Pontificia infallibilitas vertit, ut Suarez *disp.* 5. *de fide sect.* 8. *n.* 4. asserere non dubitaverit, *docere ita hoc tempore omnes Catholicos.* Alii verò oppositum dogma errorem esse hæresi proximum pronuntiant. Olim tamen timidè satis, & suspenso veluti gradu Jesuitæ heic incesserunt. Bellarminus enim *de Rom. Pontif. lib. iv.* 2. visus est utcunque agnoscere, Primò, *posse Pontificem, etiam ut Pontificem, errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipuè pendeant;* Secundò, *posse Pontificem, ut privatum Doctorem, errare etiam in controversiis juris universalibus, tam fidei, quàm morum.* Cæterùm, uti errores solent quotidiè in pejus proficere, non passi sunt Papolatræ Jesuitæ his limitibus distinctionum Bellarminionarum, utpote infirmo admodum tibicine

Potestati absoluta Papæ commentum infallibilitatis in quæstionibus juris & facti mirè velificatur.

nixarum, se constringi. Neque enim tantùm hæreseos accusare audent, quotquot infallibilitatem Papæ in quæstionibus juris in dubium revocant, etsi Bellarminus eorum sententiam propriè hæreticam esse negaverit, *cùm adhuc*, inquit, *videantur tolerari ab Ecclesia, qui illam sequuntur;* sed etiam vehementer se opponunt iis, qui cum Melchiore Cano *Loc. Comm. lib. v.* 6. statuunt, *Papam posse errare in quibuslibet quæstionibus facti, cujuscunque momenti illæ sint, veluti in canonizatione Sanctorum, & approbatione certorum ordinum.* Quin occasione definitionum Anti Jansenitic arum ab Innocentio X. insigni ignorantiæ fratre, cusarum eò tandem vesaniæ Jesuitæ processerunt, ut in thesibus die 12. Dec. A. MDCLXI. Lutetiæ in Collegio Claromontano propositis & propugnatis, ausi sint asserere, *Christum Ecclesiæ suæ regimen ita Papis commisisse, ut ipsis eandem, quam habebat ipse infallibilitatem, concesserit, quoties ex cathedra loquerentur.* Unde hanc conclusionem elicuêre: *Datur ergo in Ecclesia Romana Controversiarum fidei judex infallibilis, etiam extra Concilium generale, tum in quæstionibus juris, tum facti.* Historiam thesium illarum à Jesuitis assertarum, à sanioribus Galliæ Theologis, ipsáque Sorbona & Curia suprema Parisiensi oppugnatarum, fusè Historia Papatus §§. CCLXXVI. CCLXXXVIII. edisserit.

Distinctionum infallibilitatis Papæ fucus.

XXXV. Paradoxum isthoc Pontificiæ in quæstionibus vel juris vel facti, vel utrisque infallibilitatis, frustra distinctionum quarundam sophisticarum pigmento incrustare Papolatræ satagunt, veluti cùm infallibilem esse, *quâ Pontificem, Doctorem publicum*, non *quâ Doctorem privatum, & particularem personam*, asserunt. Siccine ex eodem ore manabit dulce & amarum, calidum & frigidum? Et qua publicus doctor non nisi ex Deo, quà privatus etiam ex Diabolo Papa loqui poterit? Ac duplici etiam corde,

ex cujus

ex cujus abundantia modò bonum, modò malum proloquetur, præditus erit? Non malè ipse Bellarminus: *Potest quidem Deus ex corde hæretico extorquere veræ fidei confessionem, sicut verba posuit quondam in ore asinæ Bileam: at violentum erit, & non secundùm morem Providentiæ Dei, suaviter omnia disponentis.* Verùm *ἴσα ἄνισα* sunt, cùm asina Bileami non locuta fuerit præter animi sensum, uti cor hæreticum veræ fidei confessionem edens loqui deberet. Tum confessio ejusmodi extorta quasi fidiculis, cujus nulla forte exempla proferentur, non satis conveniret personæ summi capitis, & Monarchæ ex cathedra, velut tripode quodam pronuntiantis, cùm hîc, si uspiam alibi, ex cordis abundantia os loquatur.

XXXVI. Quid verò multis? Personæ & Doctoris publici Papæ discernendi criteria nulla Papolatris suppetunt. Nam quòd Papam tum loqui ut publicum doctorem, adeóque Prophetam, cùm *ex Cathedra* loquitur, pronuntiat & definit; iidem asserunt, neutiquam illi se expediunt. Non dicam parùm constare iis, quid sit ex Cathedra loqui. Etenim ad id, ut *ex Cathedra* aliquid Pontifex definiat, quidam satis esse credunt, si delectorum Cardinalium sententia fuerit ante explorata: alii Collegium omne Cardinalium advocandum censent: alii neutrum necessarium existimant, dum intelligentes alii in consilium advocati fuerint. Factum inde, ut cùm nuper in causa Jansenitica nonnulla Innocentius X. delectis tantùm Cardinalibus adhibitis definivisset, Jansenitæ rite & ex cathedra definita illa esse, pernegaverint, Jesuitæ contra definitiones illas, ceu sacro-sanctas adoraverint. Hæ omnes sententiæ quando cœperint, quæ earum sit probabilior improbabiliórque, quæ periculo magis minusve vacet; imò quantoperè dissidium isthoc Romanum Ecclesiam in varias partes distrahat, heic agitare nihil attinet. Ritè expensis singulis cathe-

Papæ doctoris publici & privati distinguendi criteria nulla suppetunt.

cathedra illa, seu potestas definiendi infallibilis erit scrinium pectoris Papæ, adeóque Papa privatus doctor, proprióque motu & voluntate placita Oracula fundens. Cardinales enim sapientésque alii in consilium adhibiti, cùm infallibiles ipsi neutiquam censeantur, decretis Pontificiis infallibilitatem conferre non poterunt. Quid quòd omnes Bullæ Pontificis, etsi meræ bullæ sint, omnes Epistolæ decretales, omnia ejusdem Brevia Apostolica, Monitoria, Definitiones, Rescripta, Literæ Apostolicæ sub annulo Piscatoris expediuntur, ad exercitium potestatis clavium pertinent, & à sede Apostolica manant, adeóque actus Cathedrales sunt? Quòd si igitur ex cathedra infallibiliter agit, infallibilis erit in istis omnibus, nihilque amplius supererit, de cujus infallibilitate dubitari, vel disceptari queat. Præterea quilibet Papa, inde ab eo quo, electus, coronatus, consecratus, adoratus est, momento censetur sacram illam Petri sedem, seu Cathedram insidere. Nullum proin temporis momentum excogitari potest, quo extra illam quæri aut concipi possit, adeóque quo aliquid extra Cathedram agat, statuátque. Quantò rectiùs ipsa Glossa in capite *à recta*, animadvertente etiam Silvestro Prieria in *Summa*, voce *Ecclesia sect.* 3. scribit: *Ecclesia, quæ errare non potest, dicitur non Papa, sed congregatio fidelium, quæ scilicet tenet fidem, quam Petrus cum aliis populis docuit. Et hæc dicitur Ecclesia Romana, & fides Ecclesiæ Romanæ, sive sint Romæ sive alibi.* Imò ipse Papa Johannes XXII. Extravag. *quia quorundam* (quam non condidit utique nisi delectis Cardinalibus adhibitis, adeóque non minùs forte quàm nuper bullam suam Innocentius ex cathedra protulit) disertè in hæc verba, adversus Franciscanos nonnullos antecedentium Paparum definitiones in subsidium causæ suæ advocantes, prorupit: *Quòd autem, quod in prædicta ratione præmittitur (vide-*

(videlicet, quòd illa, quæ per clavim ſcientiæ in fide ac moribus à Summis Pontificibus ſemel ſunt definita, eorum Succeſſoribus non licet revocare in dubium, nec contrarium affirmare: licet ſecus ſit, ſicut dicunt, in iis, quæ per clavim poteſtatis per Summos Pontifices ordinantur) prorſus ſit contrarium veritati, patet ex ſequentibus evidenter. Rationes deinceps ſubjungit, nonnullas, ſanè prorſus inanes.

XXXVII. Hactenus fuit poteſtas quam in ſpiritualibus ſibi ſummam & irrefragibilem Papa in quoſvis arrogat. Prætextu poteſtatis illius Papa tectus ſcilicet ligandi ſolvendíque ſpecie, peccata remittendi exiſtimatione, titulo clavium Petri, adminiſtratione Eccleſiæ univerſæ, ſuprema denique in cunctis Eccleſiæ cauſis poteſtate, ſibi poteſtatem ſupremam etiam in temporalibus adſcivit, ceu appendicem prioris, ſed ita ut facilè appareat, hanc illi eſſe πλείω aut certè περὶ πλείονος τὰ πάρεργα τῶν ἔργων. Vilis enim admodum foret Papatus Oecumenicus, hoc ſive præſidio ſive ſatellitio non communitus, ſtipatúſque. Neque enim minùs lætabile quicquam iis accideret, quàm ſi res rediret non dicam ad Petros, Linos, Clementes, Melchiades, Silveſtros, quibus nihil tutius fuit ſpeluncis, nîl catacumbis certius, ſed ad ſecuriores iſtis elatioréſque Damaſos, Julios, Liberios, Leones, qui ſupra cæteros Epiſcopos immane quantum elati licet, tamen & Imperatorem adhuc dominum ſuum agnoſcebant, & ex eorundem nutu in temporalibus toti pendebant. Illuſtrem illam ſervitutem, ſanctitatis nomine decoratam nemini Pontifices poſteriores inuiderent. Sic enim Romæ, ſi uſpiam alibi, pietas laudatur & alget. Itaque freti dicto Apoſtolorum Luc. XXII. 38. *Ecce duo gladii, hîc*, induxêre ſibi in animum, aliiſque perſuaſêre, duas eſſe poteſtates, Spiritualem & ſecularem, atque utramque in Pontifice copulari, immemores

Prætextu poteſtatis in ſpiritualibus ſuprema, poteſtatem ſupremam etiam in temporalibus Papa ſibi rapuit; imò illam propter hanc ſibi vendicavit.

mores scilicet tum illius, quod sapienter olim Synesius monuit: Συνάπτειν τὴν βασιλείαν τῇ ἱερωσύνῃ, ἐστὶ συγκλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα. *Regnum jungere sacerdotis, est inglomerabilia conglomerare*: tum decantatæ etiam gnomæ inclyti illius Pontificis Gelasii, asserentis: *ante adventum Christi figuraliter adhuc in carnalibus actibus constitutos pariter Reges & Sacerdotes fuisse. Atque id in suis quoque Diabolum imitatum esse, ut pagani Imperatores iidem & maximi Pontifices dicerentur Sed cùm ad verum ventum est Regem Jesum Christum, eundémque Pontificem, ultra sibi nec Imperatorem Pontificis nomen imposuisse, nec Pontificem Regale fastigium sibi vendicare.* Sed deinceps alius Pontificibus fuit θυμὸς ἐν στήθεσι. Quippe jam olim Innocentius III. in publico sermone, quem de coronatione Papali tertium habuit, in hæc verba prorupit: *Ecclesia sponsa non nupsit vacua, sed dotem mihi tribuit absque pretio pretiosam, spiritualem plenitudinem, & latitudinem Imperialem, magnitudinem & multitudinem utrorúmque. In signum spiritualium contulit mihi Mitram, in signum temporalium dedit mihi coronam; Mitram pro sacerdotio, Coronam pro Regno; illius me constituens in vicarium, qui habet in vestimento & femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.* En Babylonem magnam, quæ Regnum in Reges terræ habet! quæ ceu Rectrix & domina Bestiæ septicipiti & δεκακεράτῳ, aquísque seu populis multis insidet.

Quadruplex potestas Papa temporalis distinguitur. Prima est in patrimonium Petri, seu statum Ecclesiasticum;

XXXVIII. Quadruplex omnino temporalis potestas est, quam sibi Papa non tam pretio, quàm vi rapuit. *Prima* in Provincias eas, quas *Patrimonii Petri* & *Ecclesiastici Status* titulo per Legatos Cardinales, aliósque gubernatores ita solus regit, ut nihil in eos juris vel Imperatori, vel Regibus, Principibúsque aliis competat. *Secunda* in Regna & Principatus, quos feudali nexu obstrictos, vel tenet

tenet vel prætendit. *Tertia* in reliqui Orbis universi Imperatores, Reges & Principes. *Quarta* denique in obnoxium sibi clerum Ecclesiæ universum. Et *Primam* quod attinet, Pontifex Cæsaris manubiis ditatus, ejusque jugum cervicibus suis excutiens, in medio Italiæ regit urbem Romam, totumque Latium, magnam partem Hetruriæ, Umbriæ, Ducatus Spoletani, Perusiæ, Bononiæ, Ferrariæ, Flaminiæ, Agrum Picenum, & partem Samnii. Quibus accessit Urbini Ducatus, quem Duce Urbinate pulso, Leo X. Laurentio Mediceo cognato suo tradidit. Ravennam, Imolam, Faventiam, Forum Julii, Serviam & Bononiam Julius II. bello recuperavit. Avenionensem Comitatum Clemens VI. à Johanna Neapolitana emptum, ditionis Pontificiæ fecit. Ad *Secundam* pertinent Regna homagio Ecclesiæ obstricta, & à Pontifice prætensa, cujusmodi in Urbis Romæ Registris Regnum *Neapolitanum, Siciliæ, Arrogoniæ, Sardiniæ, Hierosolymæ, Angliæ, Hiberniæ & Hungariæ* numerantur. *Neapolitanum* & *Siciliæ* Regna ita Pontifici obnoxia sunt, ut Hispaniarum Rex utriúsque respectu Pontificis Vasallus, eidem feudalem servitutem in hunc usque diem præstet. Cùmque *Hierosolymitanum* Regnum olim per Fridericum primum Siciliæ Regem Regno Siciliæ unitum fuerit, eodem Papa jure illud quoque ad se pertinere asserit. *Arragoniam* sui juris esse pertendit idem, ea ratione fretus, quòd Petrus II. Arragoniæ Rex Innocentio III. indulgenti, ut posthac Arragoniæ Reges non Romæ, sed in proprio Regno, Archiepiscopo Tarraconensi, ceu Pontificio Legato coram Coronom acciperent, censum aliquot auri pondo promiserit. *Sardiniæ* Regnum suum esse nexu mancipióque asserit, eò quòd Pontificis quondam ope & consilio Januenses & Pisani insulam illam Saracenis extorserint, atque illa per Calixti II. investituram Pisanis, atque mox Jacobo

Secunda in Regna homagio Ecclesiæ obstricta: Tertia in omnes reliquos Imperatores, Reges, Principes & populos.

Jacobo Regi Arragoniæ, Bonifacio VIII. investiente, obtigerit. Sed & *Angliæ Hiberniæque* Regnum in censu feudorum Papalium habetur, eo quod A. MCCII. Johannes Angliæ Rex excommunicatus à Papa, ut sacrorum communionem recuperaret, Regna sua, S. Petri denarium pollicitus, eidem feudataria fecerit, & homagium Ecclesiæ Romanæ præstiterit. Bullam authenticam Innocentii III. eam in rem in Vaticano haberi gloriantur. Denique & *Hungariæ* Regnum in albo Pontificiorum feudorum numeratur, eam scilicet ob causam, quòd & Lancellotus, Hungariæ Rex obsequium Papæ solenniter quondam promiserit, & Stephanus Regis Hungariæ nomen à Pontifice impetraverit, & Ludovicus II. ob injuriam Legato Pontificio factam excommunicatus, absolutionem obtinuerit ea lege, ut quotannis centum argenti marcas, servitutis auctoramentum, pensitet. Præterea Hildebrandum olim alia quoque Regna veluti Hispaniam universam, Galliam, Saxoniam, Russiam, Dalmatiam, Corsicam, Majoricam, Minoricam, Daniam, in feudorum Ecclesiæ Romanæ censu collocâsse, superiori diatriba *S. xxij.* ex ejusdem epistolis comprobavimus. Taceo, quòd aliorum etiam Regum sceptra Pontifici mancipare, adeóque ipsum Imperium Romanum, cæteráque Regna omnia Papæ feudali nexu devincta esse, ejusdem parasitastri, reclamantibus licet cordatioribus quibúsque, asserere non verecundantur. Nota sunt Gregorii VII. Urbani II. cum Henricis, Hadriani IV. & Rolandi, post Alexandri III. dicti, cum Friderico I. Innocentii III. cum Philippo, Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. cum Friderico II. Bonifacii VIII. cum Alberto Imperatore & Philippo Pulchro Galliæ Rege, certamina haud equidem vulgaria, quibus Pontifices ipsimmet Imperium Romanum sui juris & beneficii facere omnibus viribus annixi sunt. *Tertia* potestas

teſtas eſt in omnes reliquos ſive Imperatores, ſive Reges, ſive Principes, quotquot vaſallos ſeu feudatarios ſuos eſſe, pronuntiare apertis verbis ſemper & ubique ſuſtinent. Cum Gregorio quippe VII. *Epiſt. lib. vij.* 6. ſtatuunt, *Deum B. Petro omnes Principatus & poteſtates orbis terrarum ſubjeciſſe, jùſque ligandi & ſolvendi in Cœlo & terra contradidiſſe:* Prætextu enim *ſtatu Eccleſiæ*, diſciplinæ Eccleſiæ in *excommunicationis* cenſura, doctrinæ Eccleſiæ de *meritis operum* Eccleſiæ, authoritatis in *remittendis peccatis* & *officiis* cuique ſuis exponendis, ſolvendis hominibus religione *ſacramenti* alligatis, & poſtremò ſolennitatum Eccleſiæ in *coronis Cæſarum capitibus imponendis*, gemmas eas Papa collegit, quibus triplicem mundani Regni ſui coronam (quam *Regnum* vocari Platina *in Paulo II.* Guicciardinus *Hiſtor. libr. ix.* teſtantur) exornavit, ſeque non Principem duntaxat, sed Principum terrarum Principem, Regem Regum, Dominúmque Dominantium conſtituit.

De poteſtate temporali Papæ, directa ea, an indirecta ſit, Theologi, Canoniſtæ & Politici diſceptant; Politici utrámque inficiantur.

XXXIX. Quia verò in dubium revocare Hieromonarchici non potuerunt, quin temporalis poteſtas ſit etiam in Imperatoribus, Regibus & Principibus, hinc quæri in ipſo Papatu cœptum eſt quomodo ſit in Papa, directè an indirectè, ſeu uti aliis verbis alii exprimunt, per ſe, an per accidens: tum, in utro major, in Papa, an in Imperatore, Regibus & Principibus? Eſtque pro variis ſententiis variè pronuntiatum, prout alii aliis plus minúſve Papæ vel Regibus addicti, adulatíque ſunt. Triplicia autem facta ſunt caſtra, puta Theologorum, Canoniſtarum, & Politicorum. Et Politici quidem Romanum Pontificem jure Divino, ſive Chriſti inſtitutione ullum habere rerum temporalium dominium, poteſtatem vel juriſdictionem ullam, ſive directè dicas ſive indirectè, ſive abſolutè ſive reſpectivè ad bonum ſpirituale, vel poſſe etiam Reges & Princi-

pes ob quantumvis crimen dominiis suis temporalibus spoliari pernegant, protestati interim severè, se Pontificem Caput Ecclesiæ agnoscere, neque ea in re ejus authoritatem in Ecclesiam imminutam ullo modo velle. Quorum in Castra Clerus Ecclesiæ Gallicanæ nuper Lutetiæ congregatus, uti §§. CCCXLIII. narravimus apertè transiit.

Theologi indirectam, ratione potestatis spiritualis temporali dominantis, Canonistæ directam propugnant.

XL. Theologi verò & Canonistæ hactenus quidem consentiunt, quòd Papæ authoritas in rebus politicis summa sit, ac proinde longè longéque major, quàm in ullo Imperatore Rege ac Principe. Et potestatem igitur politicam Ecclesiasticæ subjiciunt, & Principes Papæ subesse dictant, non tantùm ut ab eo moneri, & pœnis Ecclesiasticis coërceri possint, sed etiam, ut pœnis temporalibus, instituendo, destituendo, regna transferendo, prout ipse expedire judicaverit, in ordinem redigi valeant. Dissentiunt tamen iidem si non re ipsa, at verborum saltem apicibus. Theologi enim verecundiores paulò, & nominatim Bellarminus, ac indice eodem *de Rom. Pont. lib. v.* 1. Hugo de S. Victore, Alexander Alensis, Bonaventura, Durandus, Petrus ab Alliaco, Gabriel Biel, Driedo, Turrecremata, Pighius, Cajetanus, Soter, Sanderus &c. Pontificem quà Pontificem negant *directè* & immediatè habere ullam potestatem temporalem, & solam spiritualem directè habere asserunt. *Indirectè* tamen, & ratione spiritualis potestatis eum habere summam petestatem in temporalibus, iidem dissimulant nulli. Sensum dicti hunc reddunt, quòd Papa quatenus Papa, non sit Rex vel Imperator, neque eadem gerere, quæ Regis sunt vel Imperatoris in eo Regno, eóque Imperio possit: attamen ob spiritualem potestatem, & subjectam eidem, uti supra mentem eorum indicavimus, civilem, possit & Regibus & Imperatoribus, si ita Ecclesiæ & animarum saluti conducere

re

re judicaverit, pro authoritate sua uti. Quomodo Imperator quidem ipse non est singularum familiarum δεσπότης, eo scilicet ipso, quod Imperator est, cùm non possit pro arbitrio Titii aut Mævii fundos vendere, vel in usum suum convertere, sicut Titius & Mævius, quibus de suo agere licet, quod libet. Attamen si ita sit ex usu & necessitate Reipublicæ, cui præest, non tantum jubebit vendere, sed ipse quoque addicit, non tanquam δεσπότης, sed tanquam Imperator, vi eminentis potestatis, qua pollet. Pari ratione Papam, qua Papa est, de Imperio Germanorum, vel Regno Gallorum non posse pro arbitrio statuere, hoc est, tributa imponere, bella indicere, pacem pangere, quæ Monarcharum ipsorum partes sunt: Si tamen necessitas & usus Ecclesiæ postulet, vi eminentis suæ potestatis jubebit bellum suscipere contra Turcas, Reges vel noxios Ecclesiæ, vel inutiles à culmine suo deturbabit, quin & alios in eorundem locum, probandos à se, vel improbandos etiam substitui mandabit. Contra Atheologi, seu Canonistæ, quos inter Bellarminus *loc. cit.* Augustinum Triumphum, Alvarum Pelagium, Hostiensem, Panormitanum, Sylvestrum, alios numerat; potestatem jurisdictionis spiritualium & temporalium immediatam à Deo esse in solo Pontifice, secularem verò in Principibus esse obnoxiam, & administram Papæ; tum Papam ut Papam jure Divino obtinere plenissimam potestatem in universum terrarum orbem, quâ in temporalibus, quâ in spiritualibus: denique Dominium Principum translatum ad Ecclesiam, & residere in Summo Pontifice, ut vicario summi & veri Regis Christi, adeóque posse Pontificem Regna liberè dare & eripere quibus velit nolitque asserunt.

XLI. Dixeris, immane quantum sententiam Theologorum à sensu Canonistarum distare. Sed phaleræ sunt ad populum, & fucus merus Theologorum, qui *directæ* & *indire-* *Theologos Papa in temporalibus potestat.*

tem ver'is indirectam, re directam tueri, probatur tum sententia Bellarmini, quæ discutitur:

indirectæ potestatis distinctione rationes suas ab horridis & audacibus, totique orbi meliori invisis Canonistarum assertionibus disjungere videri volunt. Etenim si ritè rem putemus, amicè cum Canonistis conspirant, & directæ Pontificum potestati Regum, Principiúmque omnium Coronas, & sceptra æque atque illi, mancipiant. Indirectam potestatem Papæ verbo vocant, directam re ipsa faciunt, identidem illud Thomæ Aquinatis 2. *dist.* 44. inculcantes: *In Papa est apex utriusque potestatis.* Neque aliam ob caussam iidem potestatem temporalem. Ecclesiasticæ subjiciunt, uti quidem ex Bellarmino *de R. Pontif. lib. v.* 7. aliisque constat, & supra idem à nobis discussum est. Quin Bellarminus idem, Theologus scilicet, *ibid. cap.* 6. ita indirectam illam potestatem declarat, ut simul tamen rotundè asserat, *Papam in ordine ad bonum spirituale summam potestatem habere disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum.* Atqui summa potestas ἀναγκαςῶς seu coactivè (nam sine vi & cogendi jure summa potestas nulla constat) de temporalibus est utique dominium in temporalia directum atque supremum. Et si nulla re nisi in fine aut ordine ad finem potestas Papæ à potestate Regum & Principum temporali differt, utique forma & essentia non differt. Papa igitur quoad essentialem & formalem rationem dominii etiam temporalis, sit orbis Christiani dominus. Quinimo superioris finis, ad quem potestas Papæ collimat, respectus dominium ejusdem non tam minuit, quàm auget, quia quò nobilior finis est, eò firmior potestas, quæ ad illum finem exercenda est, esse debet. Accedit quod temporalia multa ad bonum spirituale dirigere non magis Papa, quàm politicus Princeps potest; mediatè autem ad bonum spirituale dirigere omnia non minus Politicus Princeps potest, debétque, quàm Papa. Nulla igitur differentia apparet, ne quidem in ipso fine.

Quinimò

Quinimò Theologi cum Bellarmino *summam de rebus Temporalibus potestatem in ordine ad bonum spirituale disponendi Papæ*, non ut Imperatori vel Regi, sed ut *Principi spirituali* & propter subjectionem ad potestatem spiritualem tribuentes, non obscurè Babylonis Magnæ titulum, qui est *μυστήριον Mysterium* Pontificis fronti inurunt. Faciunt enim eum Imperatorem & Regem mysticum, uti supra etiam fusius comprobavimus.

XLII. Directam reapse esse potestatem, quam de rebus temporalibus in ordine ad bonum spirituale disponendi Papæ Theologi Pontificii tribuunt, liquebit magis etiam, si Papæ potestas spiritualis, quæ *indirectè* operari dicitur *leges* Principum temporales, deinde in *judiciis* rerum temporalium; ac demum circa *personas* ipsas Regum & Principum consideretur. Quantum ad *leges* quæ res temporales concernunt, equidem Bellarminus *de Rom. Pont. lib. v.* 6. fatetur, *non posse Papam, ut Papa est, ordinariè condere legem civilem, vel confirmare aut infirmare leges civiles Principum, posse tamen eundem hæc omnia, si lex aliqua civilis sit necessaria ad salutem animarum, & eam Reges nolint condere: aut si alia sit noxia saluti animarum, eámque Reges abrogare graventur.* Affert eam in rem Glossæ *ad cap. Possessor. in sexto* regulam isthanc, *ut per legem Pontificiam abrogata, censeatur lex Imperialis, si hæc periculum animarum concernat.* Potestatem igitur legislatoriam sibi Papa asserit in casu salutem animarum concernente, quam *directam* esse liquet, tum quia non pendet in tali casu potestas ejus ab ullo homine: tum quia ad exercitium potestatis ejusmodi potestas civilis eminens requiritur; absque qua est nihil potestas spiritualis, qua talis, sive directè sive indirectè in civilibus operatur: tum quia potestas talis conjunctam habere coactionem, & vim adversus refractarios habere debet:

tum quia potestatem ei supremam & legislatoriam,

 tum

tum quia non dissimilis est potestati Regum in bona subditorum in casu necessitatis, salutis publicæ, ob dominium eminens, quæ merè civilis & directa est: tum quia judicium de tali casu erit penes solum Pontificem, qui casum pro lubitu finget, vel verum etiam casum definiet solus, & tali in casu Imperatorum, Regum & Principum potestatem legislatoriam sibi obnoxiam habebit: tum denique quia leges purè civiles nullo casu ad supernaturalia, sed ad merè civilia & naturalia extenduntur. Quamvis enim contingere possit, ut lex civilis, permissiva inprimis feratur, quæ servata saluti animarum noxia foret, veluti si usuræ injustæ, concubinatus, injusta homicidia, gradus in matrimonio Divino jure prohibiti, aliaque ejusmodi vel præciperentur, vel permitterentur, ejus tamen abrogatio ad salutem animarum subditorum protinus necessaria non foret, quia talis lex etiam non abrogata, homini Christiano observanda non est, qui patienter potius tyrannorum supplicia feret, quàm adversus Deum quidquam committet. Ecclesiæ integrum quidem est leges civiles animarum saluti utiles urgere rationibus, precibus, & eos qui leges impias ferunt, si rogati non abrogaverint, censuris ecclesiasticis plectere. At leges ipsas civiles ejusmodi vel rogare & ferre, vel abrogare vel confirmare, vel irritas pronuntiare, non est nisi illius, qui eminentem, summam, & directam in Civilibus potestatem, nemini mortalium obnoxiam habet. Proin potestas Papæ in ferendis abrogandisque ejusmodi legibus vel omnino nulla, vel merè civilis, summa & directa erit.

& judicialem, secundùm quam exercere judicia civilia,

XLIII. Quoad *judicia* civilia idem Bellarminus de *Rom. Pontif. lib. v.* 6. fatetur, *non posse Papam ut Papam ordinariè judicare de rebus temporalibus.* Attamen pertendit, *in casu, quo id animarum saluti necessarium est, posse Pontificem assumere etiam temporalia judicia, quando*

do nimirum non est ullus, qui judicare possit, ut cùm duo Reges supremi contendunt, vel quando qui possunt & debent judicare, non volunt sententiam ferre. Allegat eundem in sensum Innocentii III. *cap. Per venerabilem, qui filii sint legitimi*, sententiam, quòd *jurisdictionem temporalem solùm casualiter Pontifex exercere possit.* An verò temporalia judicia assumere ob necessitatem salutis animarum, non est directam in temporalia potestatem exercere? Sanè finem potestatis temporalis exercitæ nullam in potestate ipsa differentiam gignere, nisi quoad modum exercitii, prout finis nobilior vel ignobilior est supra evicimus. Ineptum verò planè Bellarminus ejus affert exemplum, asserens, tum temporalia judicia Papam assumere posse, *cùm nullus est qui possit judicare, ut cùm duo Reges supremi contendunt* &c. Nam etsi discordibus Principibus supremis nullus est, qui ex officio aut authoritate judicare velit aut possit, salus tamen animarum non periclitabitur, quia arbitria locum habere, & periculum omne averruncare possunt. Si igitur Papa in hoc casu judicis partes rapuerit, directam utique, non indirectam in temporalibus potestatem exercebit. Quod turgidus inprimis & Imperativus Pontificum discordes Principes dijudicantium stylus manifestè arguit. Veluti cùm verba illa: *Præcipimus, mandamus* &c. bullis suis intexere nulli verecundantur. Præterea longè aliud est *casualiter*, uti ex Innocentio Bellarminus allegavit, temporalia judicia exercere; aliud *indirectè*. Casualiter enim apud Innocentium nihil aliud significat, quàm posse Pontificem non ordinariè terrena judicare, sed extraordinariè, & in certis quibusdam casibus, in quibus tamen directè potestate temporali judicat, non indirectè spirituali. In casibus illis putat Innocentius causas seculares & judicia temporalia ad Papam devolvi. Devolutio autem causarum nihil secum fert indirecti,

directi, sed directissimam ejusdem generis potestatem supponit.

& personas Regum Principúmque judicare posstt, vendicant.

XLIV. Denique quoad personas, fatetur iterum Bellarminus, non posse Papam ut Papam ordinariè temporales Principes deponere, etiam justa de causa, eo modo quo deponit Episcopos, tanquam ordinarius judex. *Tamen* inquit *potest mutare Regna, & uni auferre, atque alteri conferre, tanquam summus Princeps spiritualis, si id necessarium sit ad animarum salutem.* Quomodo verò mutare Regna, Reges Principésque instituere, exauctorare, de gradu summæ potestatis Majestatisque deturbare potest is, qui temporalem potestatem directam in eosdem non habet? Quomodo directam potestatem temporalem Regibus & Principibus conferre & auferre pro animi lubitu, qui eadem destituitur, potest?

Theologi nonnulli, directam Papæ in temporalibus potestatem tribuentes, inducuntur.

XLV. Non igitur in dilatandis Pontificiæ in temporalibus potestatis peristromatis castiores, sed cautiores nonnihil; imò, si rem pensitemus, crudeliores Theologi Pontificii, quàm Canonistæ sunt. Dum enim orbem Christianum lenocinio tali fallere conantur, revera terribilius multò in Pontifice temporalis potestatis telum, spirituali mucrone præpilatum reddunt, adeóque diluta & evanida directæ & indirectæ potestatis distinctiuncula tanquam tectorio inepto & πφῦ φαρμάκῳ, non tam duriorem Canonistarum sententiam emolliunt, quàm rem ipsam exasperant, dominiúmque totius orbis Papæ, tanquam Imperatori Mystico, spiritualium prætextu, gubernacula totius orbis invadenti, asserunt. Neque alii Theologi etiam fuco tali delectantur, potius habentes scapham appellare scapham, & directum Papæ dominium non re duntaxat, sed verbo etiam vindicare. Maximos enim Theologos Pontifices contrarium sentire Alexander Correrius *de potest. Papæ lib. ij.* demonstrat, & Bellarmini, consentientiumque Theologo-

logorum de indirecta duntaxat Papæ in temporalibus potestate sententiam operosè confutat, eúmque isthoc nomine inter *impios politicos* aut *hæreticos* numerat, quin & *cap.* 5. anathema ipsi denuntiare non dubitat, approbante Cardinali, cui librum illum inscripsit, ipsóque Pontifice, cui palpum istum obtrusit. Imò quod mirere, inter Jesuitas ipsos non desunt, qui publicis scriptis hac in re Bellarmino, aliisque Theologis se opposuerint. Sic enim Azorius *Instit. Moral. p.* 11. *lib. iv. cap.* 19. scribit: *Concludimus veram esse Canonici Juris interpretum sententiam, Romanum Pontificem habere utramque potestatem spiritualem & temporalem &c. Mihi non placet modus loquendi, quo utuntur Victoria, Sotus,* (Bellarminus) *quia insinuare videntur, penes Papam solùm unam esse potestatem spiritualem, non temporalem. In jure enim Canonico absolutè & simpliciter dicitur, Papam utrumque gladium habere, spiritualem & temporalem, jure quidem & habitu, quamvis usu & actu non nisi in certis quibusdam causis.*

XLVI. Non potuit sanè evitare Bellarminus, quin passim sibi ipse larvam egregiè detraheret, & quo loco Papam, & Hierarchiam uuiversam, quo Imperatores Reges & Principes habeat, palam faceret. En enim κυρίας δόξας, quas verbis ejus proponam nonnullas, veluti, Reges potiùs esse servos, quàm Dominos, *de Laicis cap.* 7. Reges non solùm Pontificibus, sed Episcopis etiam, Presbyteris & Diaconis obnoxios & subjectos esse, *de Pont. R. lib. j.* 7. Quòd Imperatorem non gravatè bibere oporteat non solùm post Episcopum, sed etiam post Presbyterum, *ibid.* Quòd Regum auctoritas atque functio non immediatè ex Deo descendat, neque ex jure Divino, sed duntaxat ex jure gentium, *ibid.* & *de Clero cap.* 28. Quòd Pontifices multos quidem Imperatores deposuerint, nemo autem Imperator

Bellarmini assertiones nonnullæ, ex quibus eum reapse directam Papæ potestatem agnoscere evincitur, eruta.

rator aliquando Pontificem: Imò verò quòd Episcopis, qui mancipia sunt Papæ, deponere liceat Principes, & eorum leges rescindere, *de Pontif. lib. iij.* 16. *v.* 8. Quòd Ecclesiastici homines tam longè supra Principes sunt, quàm anima supra corpus, *de Laicis cap.* 6. Quòd Reges deponi possint per subditos suos ob multas causas, *de Pontif. lib. j. cap.* 18. Pontifices nullo modo deponi posse, nemini enim mortalium permissum esse de iis judicare, *de Pontif. lib. ij.* 26. Obedientiam Papæ deberi propter conscientiam, *de Pontif. lib. iv.* 15. Obedientiam autem Regibus non alio respectu deberi, quàm propter ordinem politicum, *de Cler. cap.* 28. Quòd ipsi illi homines Ecclesiastici, qui & nati sunt, & degunt in Regnis Principum, non tamen sint eorum subditi, nec ab ipsis judicari possint, ipsis autem fas sit Principes suos judicare, *ibid.* Quòd obedientia, quam Clerici tribuunt Regibus, etiam in minimis meréque civilibus negotiis non sit à necessaria aliqua subjectione, sed tantum ex discretione, & propter observationem boni ordinis atque moris, *ibid.* Hi eximii & Hyperbolici honores sunt, quibus Pontificii Theologi Reges Principésque hujus seculi mactant; de quibus meritò Rex Angliæ Jacobus *Apolog. pro juram. fidelit. pag.* 280. pronuntiat, non magis opponi Christum Beliali, aut lucem tenebris, aut Cœlum inferno, quàm Roberti Bellarmini de Regibus opinio Divinis oraculis adversetur.

Baronii assertiones similes.

XLVII. Pari certè furore Baronius in vastissimo Annalium suorum opere, id unum sibi negotium datum putavit, ut non spiritualem duntaxat, sed temporalem etiam dominationem directam ita amplam Papis vindicet, ut per ejus doctrinam Imperatoribus, Regibus & Principibus nihil restet aliud, nisi SERVIRE, & ad jussa ejus humiliter capessenda, sputáque ipsa lingenda maturè se se componere. Axiomata doctrinæ ejus Principibus funestæ, & erga poten-

potentes obliquæ Doctissimus Casaubonus *Proleg. ad Exercit.* sequentia colligit: Sacerdos quilibet est major Rege, quia politicus Princeps sacerdotali est subjectus, *in A.* XXXIV. 293. LVII. 18. 32. CCXVI. Sacerdotes & Episcopi jus habent antiquandi leges Imperatorum contrariis legibus *in A.* CCLVII. 15. CCCXVIII. 64. CCCXXXVI. 18. CCCLXXXVII. 11. 12. 13. CDI. 60. Præsidibus Provinciarum præsident Episcopi, qui jus habent sententias illorum rescindendi si ipsis libuerit, *in A.* CDXI. Papa solus potest dare Imperium: ad cujus consecutionem nihil refert esse filium Imperatoris nisi placeat Papæ, *in A.* DCCC. 15. MLII:. 14. MCLIX. 7. Imperator debet Romano Pontifici inservire, ut ejus authoritas sarta tectáque servetur *in A.* CDXLV. Præsides Provinciarum tenentur jussa Paparum exequi, non adscripto PLACET, sicut fit hodie, *in A.* CDXIX. 8. Quæ, similésque regulæ profligatissimi commatis abundè, quid de distinctiunculis *directè, indirectè, propriè, impropriè* similibúsque περθρείαις sentiendum sit, comprobant.

XLVIII. Et quicquid tandem clari obscurive nominis athletæ illi in umbra de potestate temporali Papæ histrionicè digladientur, ipsi certè Pontifices summam & directam in temporalibus potestatem ad se pertinere, nulli omnino dubitant. Etenim *primò* libentissimis patientissimisque auribus à Canonistis, aliisque gnathonibus suis in tantum culmen suam extolli cathedram audiunt. Sic Leo X. in Concilio Lateranensi *Seß.* 8. concionantem Balthasarem Detrionem audivit: *Ac ceu Leo Rex quadrupedum, tu alter Leo hominum, non alter Rex tantùm, sed Rex Regum, & orbis terrarum Monarcha effectus, alias oves quas habes, quæ non sunt de hoc ovili, ad tuum ovile reduceres, allceres, revocares. Accingere ergo gladio super femur tuum potentissimè. Nam & tu duos gladios habes,* *Pontifices ipsos summam & directam in temporalibus potestatem sibi arrogare, probatur, primò, quia gnathones in tantum culmen cathedram suam extollentes æquo animo admittunt. Secundò, quia indi-*

rectam sibi potestatem tribuentibus indignantur Tertiò, quia Canonistas, aliósque gnathones nullis hactenus censuris notant.

spiritualem & temporalem. Similia declamantes alios æquis, vacivisque auribus Pontifices excipiunt. *Secundò* indirectam duntaxat sibi potestatem tribuentibus indignantur palam. Eo nomine non parùm Bellarmino Sixtus V. succensuit. *Cùm non nisi indirectam auctoritatem Papis deberi disputâsset Bellarminus* (verba sunt G. Barclaii *de potest. Papæ lib. j.* 13.) *satisfacere non potuit ambitioni imperiosissimi hominis Sixti V. qui se supremam in omnes Reges & Principes terræ, cunctósque populos gentes & nationes, non humana, sed divina institutione sibi traditam potestatem obtinere affirmabat in bulla contra Henricum III Francorum Regem. Itaque parùm absuit, quin omnia doctoris illius opera Pontificia censura aboleret, uti illius ordinis Patres, cujus tunc erat Bellarminus, seriò Barclaio narrarunt.* Sed & *tertiò* nullus unquam Papa Pontificali, publica, bullata censura notavit, vel notari jussit quenquam Canonistarum & Theologorum, qua concrepantibus buccis potestatem ejus temporalem, publicis etiam scriptis, in immensum ferè extulerunt, maximóque cum Pontificiorum etiam Regum, Principum, populorum scandalo defenderunt. Extat scandalosorum ejusmodi scriptorum catalogus in Bibliotheca Pontificum per Ludovicum Jacobum, à S. Carolo Carmelitam *Lib. ij.* nec non in Bibliotheca Jesuitica Philippi Alegambe *pag.* 493-499. Eminent, inter eos Creswellus in Philopatri, Personius, Fizherbertus, Pozmanius, Comitolus, Cellarius, Sanderus, Adamus Tannerus in defensione Ecclesiasticæ libertatis contra causæ Venetæ patronos; Thomas Bazzius de Ecclesiastica Monarchia temporali, Cardinalis Tuschus, Eudæmon Johannis Apologia pro Garneto, nec non dissertatio contra Politicam Leidresseri, & epistolam Causaboni, & Epistola monitoria ad Barclajum, Alexander Carrerius juris con-

consultus Patavinus, qui in tractatu *de potestate Papæ* A. 1599. edito, Papam non secus ac Christum ipsum, cujus vicarius sit, jure Divino & directè totius orbis etiam in temporalibus, dominum esse, probare contendit; Guilhelmus Singletonus Theologus Duacenus, qui peculiari nuper libello, Pontificem plenum jus in omnia bona etiam temporalia Christianorum habere, disputavit; ne quid de Suarezio, Mariano, Becano, Bellarmino, Santarello, qui à filiis natu maximis Ecclesiæ Romanæ, Regibus Galliarum, per filiam eorundem natu maximam, Academiam Parisiensem, Curiámque supremam gravia passi sunt, aliisque supra etiam nominatis, dicam. Ubi tubas & faces illas publicarum seditionum, generis humani furias obelo suo vel levissimè notavit? Ubi & quando proclamavit, & protestatus est, additis diris ac clausuris Bullarum solennibus, nimium vel indebitum quid sibi tribui? Cuncta isthæc non in angulis obscuris mussitata, sed in medio Papatu, ipsáque Romana urbe vulgata à Papa, sacro Consistorio, sacris congregationibus Cardinalium, officiis Inquisitionis, Expurgatoribus, Censoribus librorum, Conciliis Provincialibus, Curiis Provincialibus, quorum teretes adeò in iis, Papatui adversari vel minimùm videntur, aures sunt, audiuntur, leguntur, facilíque adeò stomacho concoquuntur.

XLIX. Plus verò est, quòd *Quartò* Pontifices etiam rem definiunt, non tamen ita accuratè, ut liquidò cuivis constet, quam in sententiam abeant, Canonistarum an Theologorum; sed id tamen omnibus constet, se à politicis recedere. Neglectis enim distinctionibus istis *directè, indirectè, absolutè, respectivè* &c. id unum velut è Cathedræ suæ tripode, *suum esse utrumque gladium*, pronuntiant. Quomodo enim habeant, quid intersit, dum habeant? Neque ignorant, leve utrosque inter discrimen esse,

Quartò, quia Pontifices etiam rem ipsam definiunt, posthabitis distinctionibus asserentes, suum esse utrumque gladium.

 & Theo-

& Theologos verbis potiùs amoliri voluisse invidiam, quàm re potentiam minuere. Sive enim *indirectè*, sive *respectivè* dicant, tamen judicium totius rei penes Papam relinquunt. Ipse igitur sibi arbiter est, quando sua illa potestate utatur, & quousque eam extendat, definiturus etiam ex Cathedra quandocunque è re sua esse judicaverit, directam & absolutissimam quolibet respectu potestatem in temporalibus sibi competere. Neglecto proin discrimine hactenus simpliciter pronuntiant, suum esse utrumque gladium, spititualem æquè ac temporalem. Ita Gregorius X. Epistola ad Episcopum Græcorum, apud Matthæum Paris in Henrico III. *Illud tantùm adjicimus, quòd utrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem ex Euangelica lectione tenemus.* Nicolaus II. apud Gratianum *dist.* 22. *cap.* 1. sic è Dodonæa quercu sua pronuntiavit, *Romanam Ecclesiam solus ille fundavit, & super petram fidei nascentis mox erexit, qui beato æternæ vitæ clavigero terreni, simul & Cœlestis imperii jura commisit.* Innocentius III. in Epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum disertis verbis profitetur, *commissam esse Petro* (ac proinde & Romano Papæ) *non solùm universam Ecclesiam, sed etiam totum seculum gubernandum*, mox petitis ex Euangelio testimoniis, ita ratiocinatus est: *Cùm aquæ multæ sint populi multi, cengregetionésque aquarum sint maria, per hoc quòd Petrus super aquas maris incessit, super universos populos se potestatem accepisse monstravit.* Clarissimè omnium Bonifacius VIII. in Extravagante *Unam Sanctam, de majoritare & obedientia* sic rem expedit: *In hac ejus potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem, Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic, in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat,*

gat, malè verbum attendit Domini proferentis, Converte gladium tuum in vaginam: Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis: Ibidinem Manichæismi accusat eos, qui pertendunt, non omnem terrenam potestatem spirituali, sive pontificiæ jurisdictioni à Deo subjectam esse. Pius V. in Bulla fulminante in caput Elisabethæ Angliæ astruit, Papam à Christo constitutum esse Principem & Dominum in omnes nationes & Regna, ad evellendum, destruendum, dissipandum &c.

L. Neque tantùm ita Pontifices definiverunt, sed *Quintò* etiam absolutam in temporalibus potestatem re ipsa nunquam non exercuerunt, adeóque quod definiverunt, etiam re implere conati sunt. Sanè Bonifacius ille VIII. in publici jejunii celebratione, publica pompa ostentavit se primò Papam, secundò Imperatorem, teste Cranzio *Saxoniæ lib. viij.* 36. ubi sic ille: *utriúsque penes se unam gladii potestatem manere affirmabat: quod ipso apparatu in eo, qui, ut diximus, tum agebatur in urbe, jubilæo solenniter fertur ostentâsse. Primo quidem solenni die in Pontificalibus apparens populo, Apostolicam illis benedictionem impartitur. Postero autem die Imperiali habitu, infula nihilominus Cæsarea insignis gladium ante se nudatum jussit deferri, & sedens alta voce testatur: Ecce duo gladii hic.* Ad Philippum IV. Francorum Regem in hæc verba idem scripsit: *Deum time, & mandata ejus observa. Scire te volumus, quòd in spiritualibus & temporalibus nobis subes.* Sed & Augustinus Triumphus *de potest. Eccl. q. j. art. 7.* testatur, Papam consecrari ut Sacerdotem, & coronari ut Regem, festúmque coronationis nuntiare omnibus Regibus.

Quintò. quia absolutam & directam in temporalibus potestatem exercent: uti liquet tum ex historia Bonifacii viij.

LI. Quemadmodum ad potestatem supremam temporalem Pontifices machinationibus variis enisi sint, & eandem

tum exactibus variis exercita erga Reges

varios potestatis civilis: dem impotenter & flagitiosè adversus Imperatores Henricos, Fridericos, Ludovicum Bavarum, Albertum, aliósque plures, Reges quin etiam Franciæ, Angliæ, Siciliæ, Bohemiæ, Navarræ &c. exercuerint, historia Papatus irrefragabilibus documentis in apertam lucem protulit. Neque heic operam ludimus, contenti illud animadvertere, Romanos Pontifices supremam in temporalibus potestatem, in Imperatores Reges & Principes utique exercere, quoties eos legibus suis temporalem statum concernentibus constringunt: judicia in casu devolutionis, uti appellant, exercent: Regum controversias ad suum tribunal revocant: Orbem occupatum, in quo nulla antehac Ecclesia fuit, donant, & pro arbitratu suo inter Reges distribuunt: fœdera Regum & Principum Pontificiorum cum infidelibus & hæreticis à suo nutu ita pendere asserunt, ut pro arbitratu suo contrahi, & contracta jam servari vel violari possint: gladii temporalis adversus infideles & hæreticos stringendi & recondendi arbitrium à suo nutu suspendunt, adeóque bellandi jus Principibus Christianis Europæis adversus Saracenos & paganos quosque, hæreticos quin etiam, assignato victoribus omni eo, quod armis occupari potest, dant, partésque imperio suo injungunt, cujus rei exempla plura Rousselius *Hist. jurisd. Pontif. lib. vij. 5.* narrat: in Regna vi injusta occupata jus promittunt, uti quidem Pius II. Mahumetem II. Turcarum Imperatorem Constantinopoli occupata ad fidem Christianam invitavit, proposito hoc præmio, quòd velit illum *Græcorum & Orientis Imperatorem appellare, ut quod vi occuparat, & cum injuria teneret, jure posthac possideat*; quódque illum velit *constituere legitimum etiam Principem Syrorum, Lybicorum, Arabum & quarumvis aliarum extra Christi caulas gentium:* Pacis cum iis, quos hæreticorum in censu habent, sarciendæ & constituendæ arbitrium

trium ſibi depoſcunt: Imperatores & Reges pro imperio jubent, additis vocabulis merè imperativis: *Volumus, Conſtituimus, jubemus*, quales crebrò in bullis eorum ad Reges Principéſque directis occurrunt: tributa, collationes, decimas ex clero, vel aliunde indicunt, annatas exigunt, ſibique Collationes præbendarum, & ſacerdotiorum injungunt: jura Regalia prætextu inani juris Eccleſiaſtici infringunt: ubi beneficiarius ſupremum diem Romæ abiit, ſibi jus nominandi, attribuendi, implendi ſacerdotium vacuum, & quando inhabilibus perſonis, quas Curtiſanos olim vocârunt, illud, cum patroni & collatoris damno conferendi aſciſcunt, attributione aſſervata Principibus, ſi per expreſſam bullam & diploma ante aliter cautum fuerit, quod diploma collati juris jurisdictionis Regalis actus eſt: privilegia indulgent, ne in qualibet cauſa rei & actores Romam citentur, ſed coram judicibus aut commiſſariis à ſe delegatis, iis in locis, in quibus lis & cauſa cœperunt, diſceptetur, quod privilegium in Concordato Franciſcum I. inter & Leonem X. ſucceſſoréſque pacto inito, conceſſum à Papa, inſigne documentum eſt Papalis Imperii, per Pragmaticam Sanctionem dimidia ſui parte acciſi, Regiæque ſervitutis catena paulò laxiori & circumductiori, licet cùm alibi forſan locorum, ut in Hiſpania, Polonia &c. pugnantes partes Romam ſe conferre cogantur, & olim cauſas ſeculares in prima inſtantia ad Romanum tribunal, ad conſervatores cæteróſque judices Papales pertractas eſſe, Germani in gravaminibus ſuis, puta IX. X. XI. &c. queſti ſint: Xenodochia, Cœnobia, Abbatias, Epiſcopatus inſtituunt, eóſque in plures Epiſcopatus dividunt: Decanocapitula & conventus religioſos ab Epiſcopi juriſdictione, quod olim Imperialis & Regii juris erat, eximunt: inter caſus *privilegiatos* & *delicti communis* ita diſtinguunt, ut illos Regii in Gallia ad

ſuum tribunal, quaſi per privilegium Papale, pertrahere poſſint, hi verò non niſi Pontificio tribunali ſubſint, quæ diviſio cauſarum inſigne documentum eſt Papalis in Gallia Imperii, ut & partitio cujuſvis cauſæ in duas claſſes, quarum altera petitorium, altera poſſeſſorium vocatur, hoc ad Regem pertinens, illud ad Papam, cujus eſt, uti volunt, de omni peccato cognoſcere & judicare; ut pœne in omni lite & controverſia, Papa diviſum cum Rege imperium habeat: laicos reos licet, ad forum eccleſiaſticorum trahunt, uti olim in Germania factitatum, ex Gravamine LVI. liquet: excommunicationis telum, non ob notoriam impietatem & hæreſin, ſed cauſas merè civiles, ad quæſtum Papæ & cleri utcunque comparatas, ſtringunt: res cauſáſque matrimoniales, quæ juris naturalis, civilis & Divini, non poſitivi, ſed perpetui ſunt, partem non poſtremam rerum merè civilium, fictitio Sacramenti & myſterii prætextu, ad forum ſuum pertrahunt; denique ſimilia ferè innumera, quæ ex Gravaminibus centum Germanicæ Nationis, aliiſque Regum & Principum querelis, & documentis publicis, quin & ſeculorum plurium uſu & experimentis colligi nullo negotio poſſent, deſignant.

qui etiam Iuriſconſultis Pontificiis, Rouſſelio inprimis recenſentur:

LII. Neque verò Pontificii Juriſconſulti poteſtatem Cleri Romani in res merè civiles quondam uſurpatam, & cauſas ejuſmodi plures à foro Eccleſiaſtico ad civilia paſſim revocatas, diſſimulant. Hiſtoriam Pontificiæ juriſdictionis ex antiquo, medio, & novo uſu noſtro ſeculo Michael Rouſſelius JCus Gallus concinnavit, cujus *libro ſexto* paulò fuſiùs Eccleſiaſticam juriſdictionem contentioſam in laicos & res temporales ediſſerit. Et primitus quidem Epiſcopos judiciis etiam temporalibus, ob compertam eorum moderationem & prudentiam, præfectos, non propriam tamen & nativam juriſdictionem exercuiſſe, & arbitrarias potiùs quàm coactivas ſententias tuliſſe, quin

quin & arbitrii limites egressos, ab Imperatoribus in ordinem redactos esse, *capite primo* ostendit. Media ætate, & procedente tempore eosdem, partim de criminibus nonnullis, veluti idololatria, cæde Episcopi, & aliorum Clericorum, nec non excommunicatorum, adulteriis, raptu, incendiis, violatione Ecclesiarum, sacrilegiis, sortilegiis, hæresi, aliisque, de quibus Summorum Pontificum decreta prostant, notionem suscepisse: partim civiles causas plures, puta contractus ob usuras reddituales, pupillares, dotales, montium pietatis; ob jus jurandum; nec non actiones reales ob prædia Ecclesiastica; causas personarum & rerum, earum scilicet, quæ in terram sanctam peregrinabantur; testamenta, hæreditates, legata pia, bona intestatorum, causas nuptiales, & accidentes illis dotem, hæreditatem ex jure natalium; causas viduarum, pupillorum, miserabilium personarum; negligentiam judicis laici disceptâsse, adeoque tum in criminalibus, tum in civilibus causis, utrisque merè temporalibus; jurisdictionem temporalem exercuisse, ita tamen ut successu temporis, in Gallia, Anglia, Hispania, alibíque eædem causæ, tum criminales, tum civiles etiam à jurisdictione Ecclesiastica ad Civilem à Regibus & Principibus jura sua rectiùs edoctis, revocatæ sint, *capite secundo, tertio, quarto* & *quinto* fusè admodum enarrat. Demum *capite septimo* Summi Pontificis jurisdictionem temporalem in laicos ex causis criminalibus & civilibus edisserens, jurisdictionem tum à Gregorio M. in causis partim criminalibus, puta Simonia, incantatione, sacrilegio, maleficio, &c. partim civilibus, velut in causis realibus & possessoriis, viduarum & pauperum, testamentariis, hæreditate, successione, præscriptione quadragenaria: tum à Nicolao I. in causa repudii inter Lotharium & Theupergam, aliisque merè civilibus: tum à Johanne VIII. Comitem Bernhardum ad Romanam Sy-

nodum ob infidelitatis crimen ei à Ludovico Rege intentatum Romam, & Mironem ac Huncfridum multorum ſcelerum laicorum reos ad Synodum Lugdunenſem citante: tum à Gregorio VII. mulierem adulterii ream Epiſcopi inquiſitioni ſubjiciente, & inceſtus notionem ad ſe revocante, nec non Bohemiæ Ducem, alióſque ob res merè temporales Romam citante: tum ab Innocentio III. judicem ſe inter Philippum Galliæ, & Johannem Angliæ Reges conſtituente: tum ab Urbano V. Dionyſium Caſtellæ Regem & Henricum fratrem in cauſa hæreditatis dijudicante, tum denique ab aliis pluribus exercitam perſtringit.

tum ex imperio, quo hactenus erga Imperatores Reges & Principes uſus eſt. Et primò quidem in Imperatorum conſtitutione & coronatione.

LIII. Accedit poteſtas, quam ſibi adverſus Imperatorem, Reges & Principes immenſam ferè arrogat, & quotieſcunque ſatis ei vires ſuæ placent, *αὐτοκρατορικῶς* exercet. Ac primùm quidem abſolutam ſibi in Imperatoribus & Regibus conſtituendis, coronandiſque poteſtatem vendicat. Sub Coronationis ſcilicet, quæ initio ſimplex tantùm benedictio fuit, prætextu de ipſo Imperio pro arbitrio ſuo diſponendi facultatem arripuit, & quos olim *Dominos ſuos* (ita planè conſtat ex diplomate cujus meminit Guicciardinus in fragmento, *Imperante Carolo Domino noſtro*) haud gravatim appellavit, eorum planè captivam poſt Pſeudopetri triumphales currus Majeſtatem traducere cœpit. Ita mutatis rerum vicibus illud accidit Poëtæ veteris: *Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι πηγαί. Surſum verſus ſacrorum fluminum feruntur curſus.* Conſtat ſatis, poſt diviſionem Imperii Orientalis & Occidentalis ipſis etiam Imperatoribus ut plurimùm conſentientibus, coronæ Imperatorum capiti imponendæ jus velut à S. Petro acceptum, Romanum Pontificem ad ſe traxiſſe. Initium factum à Carolo M. cui pro beneficiis pluribus hoſtimentum redditurus Leo III. coronam impoſuit, acclamante populo:

pulo: *Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria.* Qui ita coronatus exemplum posteris reliquit, ut eandem coronationem à Pontifice appeterent, Ludovico etiam filio, qui Pius postea dictus est, cùm in cunis adhuc vagiret, Romam adducto, ut ab Adriano Pontifice Regali diademate ornaretur, quò sic verba referam Aimonii, beatorum Petri & Pauli suffragiis consulere subditis, perduellionúmque si emersissent, proterviam proterere possent. Patre defuncto denuo idem Rhemis à Stephano Papa coronatus est, & filius ejusdem Lotharius à Paschali I. nepos Ludovicus à Sergio, hujusque filius Carolus Calvus à Johanne VII. largitionibus priùs corrupto, coronati sunt. Ab his primordiis eò Romani Pontificis profecta est authoritas, ut inter Imperii rivales is se pro Imperatore venditaret, qui à Pontifice coronam capessivisset, qui & *à Deo coronatus* propterea dici solet, eóque perventum, ut Gregorius V. legem tulerit, ne Imperatorem dici fas esset electum, priusquam à Romano Pontifice consecratus esset, quod in constitutiones etiam suas Germani retulerunt, constantérque deinceps Pontifices usurparunt, ut nisi coronatum pro Imperatore habendum negaverint, nisi Papali intercedente privilegio, cujusmodi Carolus V. obtinuit.

Eo animo Imperatores à Papa coronari, ut sui juris & beneficii eosdem faciat, probatur ex historia Friderici Barbarossa.

LIV. Quo verò animo Papæ Imperatoribus coronam sive præsentibus, usque ad Rodolphum I. sive posthac absentibus, & Romæ limina calcare renuentibus, per legatos dederint, quo eandem Imperatores admiserint, non tantùm ex corona à Gregorio VII. Rodulpho Suevo transmissa, atque tali carmine inscripta,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho;

quasi scilicet & Christus potestatem constituendi & coronandi Imperatoris S. Petro eximiam fecerit, atque quod Papa hic facit, authoritate & Christi & S. Petri faciat,

 Divino

Divino proin & Apostolico jure fretus Imperatores constituat & coronet: sed etiam ex acri contentione, quæ Fridericum I. Barbarossam inter & Adrianum IV. occasione neglectæ à Friderico Londoniensis Episcopi in ditione ejus spolitati injuriæ exarsit, abundè colligitur. Adrianus enim *Sigonio de Regno Italiæ lib, xij.* narrante, missis ad Fridericum Cardinalibus, Rolando & Bernhardo, qui de neglecta injuria cum eodem expostularent, inter alia Friderico per literas exprobravit, quàm honorificè eum olim Romæ acceperit, atque ei beneficium hoc dederit, ut coronæ Imperialis insigne ei contulerit. Quibus lectis literis Imperator & Principes mirum in modum offensi, veritique fuerunt, ne id Papa significaret, quod quidam etiam dictitabant, *Reges Germaniæ Imperium Pontificum Romanorum beneficio obtinere (siquidem idem etiam* paulò ante Innocentius II. in coronatione Lotharii *pictura Lateranensi, ac versibus decantatis scilicet illis*

Rex venit ante fores, jurans priùs urbis honores:
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

haud ambiguè expresserit,) dolorem non continerunt, atque *Imperium haudquaquam Pontificis beneficium esse,* dixerunt. Sciscitatus Rolandus, *cujus ergo tandem erit, si Pontificis non erit?* adeò Othonem Comitem Palatinum astantem ira incendit, ut stricto eum gladio appetierit, mortémque ei intentaverit. Sed prohibuit Imperator, & Legatis Romam properè redire jussis, legationem Pontificis, dimissis per omnem Germaniam literis, significavit, adjiciens, *se solùm Deo & Principibus Imperium acceptum referre, proinde eos orare, ne tanti Imperii Majestatem, à majoribus eorum ingenti cum nominis gloria partam imminui sua negligentia paterentur.* Pontifex reversis Legatis ad Episcopos Germaniæ scripsit, ut Imperatorem ad officium redigerent. Cùm verò Adrianus

non

non eandem in Germaniæ Episcopis contra Fridericum, quæ contra Henricum fuerat, alacritatem persentisceret, eorundem consilio morem gesturus nonnihil vela sinuavit, & Imperatorem mitiori legatione demulcere statuit. Duobus igitur prudentioribus, & majoris consilii legatis missis, scripsit, *nihil causæ fuisse cur prioribus ejus literis Cæsar commoveretur. Licet enim hoc*, inquit, *Beneficii nomen apud alios in alia significatione sumatur, tamen accipiendum fuit in eam, in quam nos accepimus, & quam à prima institutione videtur habere. Est enim ex (bono) & (facto) junctum, dicitúrque non feudum, sed bonum factum &c. nos autem ut ipse optimè intelligere potes bene adeò atque honorificè Imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus, ut bonum factum possit ab omnibus judicari. Atque etiam illa in aliam significationem detorta sunt:* CONTULIMUS TIBI INSIGNE IMPERIALIS CORONÆ, *quia hoc verbo (contulimus) nihil aliud intelleximus, quàm imposuimus. Postularat verò Cæsar ut deleretur pictura, scriptura revocaretur.* Cæterùm in ista Papali scripturæ aliquantulum etiam à legatis emollitæ mitigatione acquiescere vel invitus debuit. Et quàm bona fide ita scripturam Papa mitigaverit, vel ipso Baronio fidejussore cognoscamus licet. *Hadrianus*, ita ille *ad A.* 1155. *n.* 6. scribit, *prudentissimus, ut furentem conciliaret Imperatorem, ex commonitione Apostolica, dans locum iræ, exemplo pariter Apostolico, cedens ad tempus, ita vocem*, Beneficium, *est interpretatus, ut concitatam discordiam sopiret magis quàm augeret:* non autem seriò, *sed ad breve tempus ista subsistere potuerunt.* Neque post mitigatam ita Scripturam Papa cessavit cum Cæsare litigare, & in ejusdem se possessionem intrudere. Neque unquam Adriano vivo inter eos convenit. Sed animosus ille Cardinalis Rolandus factus post Adriani mortem Pontifex, A-

lexandri

lexandri nomine insignis, adeò Fridericum veteri sua Papalium excommunicationum machina, & rebellionibus exagitavit, ut post multa status & vitæ suæ discrimina cedere & veniam petere impulsus sit. Quo conditionibus interpositis, concesso, Rolando Venetiis occurrit, ibique ad pedum ejus osculum se inclinavit, eum à dextra recepit, & *palafridum ascendenti strepam tenuit*, uti Sigonius idem loquitur. Cætera historia Papatus pandit.

Ludovici Bavari.

LV. Palam verò væsanam ambitionem suam Ludovici Bavari Imperatoris jurati hostes Pontifices prodiderunt. Etenim Johannes XXIII. Aventino *lib. vij. p.* 760. teste, sic Bullam suam fulminantem in Ludovicum vibratam orditur: *Posteaquam à decessoribus nostris res Romana à Græcis ad Romanos translata, Carolo M. in fidem atque tutelam commissa est, summus ille honor* BENEFICIUM *Pontificis Maximi esse solet.* &c. Post Clemens VI. eidem formulam reconciliationis durissimam, & cum perpetua turpitudine conjunctam, præscripsit, nimirum, *ut in solidum omnes errores & hæreses confiteatur: item resignet Imperium: nec resumat, nisi hoc fiat de gratia Papæ, & se ac filios suos, & bona & statum suum in manus & voluntatem Papæ ponat, & multa insolita faciat.* Pudendam formulam cùm recepisset, sigillóque suo firmasset Imperator, Papa ei graviora, tanquam ex facili toleranti, imperans, petere non dubitavit, *ut edicto perpetuo sanciat publicè, Imperium beneficium*, hoc est feudum, *esse Pontificis, nec ante quenquam Cæsarem esse aut vocari, quàm Papa author fieret*, uti quidem Albertus Argentinensis in Chronico memorat. Hæc scilicet Helena illa est, quam nunquam non avidè Parides illi rasturiebant.

Ferdinandi I.

LVI. Recentior quippe Ferdinandi I. Imperatoris historia, eundem interiorem animi Papæ sensum pariter propalat.

palat. Eum *Histor. Pap. Ss.* CLXXXI. Thuani, aliorúmque verbis retulimus. Carolo V. Imperio cedente, Electores communibus suffragiis Ferdinandum Imperatorem legerant, qui recens electus Martinum Germanum Romam ad Paulum IV. legatum expediit, tum cessionem Caroli, tum electionem suam Pontifici nuntiaturum. Ut verò Neronis potius quàm Petri successorem se Papa ostenderet, quemadmodnm olim Tacito Annal. XV. 29. memorante, Tiridatem Parthorum Regem, *oportuit apud effigiem Cæsaris insigne Regium ponere, nec nisi manu Neronis resumere:* sic à Ferdinando ipse impudentissimè postulare ausus est, quandoquidem & cessio Caroli inconsulto Pontifice processerit, & electio Ferdinandi facta sit per Electores quosdam hæreticos, mitteret igitur Romam procuratorem, per quem priùs acta pœnitentia, cessioni fratris ab Electoribus approbatæ renuntiaret, rem omnem Pontificis arbitrio & gratiæ permitteret, qui electionem & inaugurationem quamvis ritè non factam, ex plenitudine potestatis suæ confirmet. Carolum quippe apud neminem nisi Papam Cæsaream dignitatem ejerare, nec Ferdinandum eam citra suum, vicarii Christi, cui claves Cœlestis ac terreni Imperii creditæ sint consensum accipere potuisse. Ni jussa Ferdinandus fecerit, ratum sibi esse, alium pro lubitu Imperatorem constituere. Neque Philippi etiam Hispaniæ Regis precibus curatissimis moveri potuit, ut vel cessioni Caroli, vel electioni fratris album calculum adjiceret, claro indicio, eam constanter Pontificum animo infixam sententiam fuisse, quòd fasces suos Imperatores Pontificum arbitrio & gratiæ acceptos ferre in solidum teneantur.

LVII. Sed & indicium animi Papalis haud postremum faciunt tria dogmata, quæ quibuslibet interdictis illi defensitant. *Primum* est, quòd authoritate & potestate Pontificia *nec non ex dogmatis Pontificiis, qualia sunt,*

tificia

quòd authoritate Papali Imperium ab Orientalibus ad Occidentales translatum sit, Electorum Romani Imperii institutio Papam authorem habeat, & vacantis Imperii administratio ad Papam redeat:

tificia Imperium ab Orientalibus ad Occidentales, à Græcis ad Francos translatum sit. Hoc asserentem supra Johannem XXIII. adversus Ludovicum Bavarum vidimus. Atque ampliùs etiam liquet ex capite *Per Venerabilem, de Electione & Electi potestate.* Proin etiam laborem satis arduum insumpsit Bellarminus post reliqua controversiarum opera opusculo satis amplo, translationem hanc confirmandi, & ab objectionibus eam oppugnantium vindicandi. Inter alia *lib. j. cap.* 6. etiam Romanorum Pontificum authoritate, facto & testimoniis eandem propugnat. Quidni igitur Papæ in electione Imperatoris potestas utramque paginam faciat, si ejus authoritate Imperium ipsum, quod illi pertendunt, constitutum est? Huc quoque facit, quod Adrianus III. lege lata sanxit, ut moriente Carolo Crasso sine liberis Imperium à Francis ad Italos transferretur, quæ licet successu caruerit, tumultibusque noxiis ansam præbuerit, Papalis tamen ambitionis testis locuples est. *Secundum* est, quòd Electorum Imperatoris institutionem Pontifici referendam esse acceptam, Hieromonarchici strenuè asserunt. Quanquam sanctionem de Electoribus cui potissimùm Pontifici authori tribuant, ipsimet ancipites, & varias in partes distracti hærent. Gregorium V. authorem facit author libri de *Regimine Principum, lib. iij.* 19. nec non Augustinus Triumphus *in Summ. de potest. Eccl. q.* 35. *art.* 2. Gregorium X. Aventinus *libr. v. Annal. Bajor.* & Onuphrius *lib. de comit. Imp.* Denique Innocentium IV. in Synodo Lugdunensi legem illam rogâsse, Baronius *ad Annum* 996. *num.* 56. scifcit, Martini Poloni, qui sub Innocentio eo vixit, authoritate fretus. Quanquam verò argumentis certis, quæ post alios M. Antonius de Dominis *de Rep. Eccl. libr. vj. cap. ij. §§.* 31. 32. *&c.* attulit, constat, nulli Pontificum dictorum, neque alii etiam authori constitutionem illam tribui posse,

posse, ipsa tamen authoritatis hujus usurpatio abundè probat, Pontificem eo animo esse, ut sibi de Imperatoris electione disponendi jus & arbitrium deberi putet. Quò etiam pertinet, quòd discordantibus in electione suffragiis, sui juris Papa arbitratus est, Electores & Electos ad causam Romæ dicendam vocare, & quem liberet, confirmare. Qua authoritate usos Gregorium VII. inter Henricum IV. & Rodolphum; Innocentium II. inter Conradum & Lotharium; Urbanum IV. inter Richardum & Alphonsum, legimus. *Tertium* est, quòd vacantis Imperii administrationem ad se pertinere Pontifices palam asseruerunt. Atque id jam ætate Petri Damiani circa A. MLV. florentis, receptum erat. Is enim Christum inducit Victorem II. Papam σύγχρονον sic alloquentem: *Ego te quasi Patrem Imperatoris constitui. Imò sublato Rege de medio totius Romani Imperii vacantis tibi jura commisi.* Proin etiam Innocentius III. *cap.* 10. *de foro compet.* licere ajebat Vercellensibus laicis ad sedem Apostolicam appellare super rebus, quæ forum seculare contingunt, eo maximè tempore, quo vacante Imperio ad judicem secularem recurrere integrum non esset. Exemplum inprimis illustre est Clemens V. qui Robertum Siciliæ Regem ab Henrico VII. Majestatis damnatum, defuncto Imperatore absolvit, *tam* (inquit) *ex superioritate, quam ad Imperium non est dubium nos habere quam ex potestate, in qua vacante Imperio succedimus Imperatori*, uti in *Clement. Pastoral. de sent. & re judic. in Clement.* habetur. Qui Clementi successit Johannes XXII. Genuenses à vicecomitibus Mediolanensibus oppugnatos in suam tutelam suscepit. Objicientibus eos esse arbitrii Cæsarei, non Pontificii respondit: *Nullo dum certo Cæsare* (nam Ludovicum respuebat) *arbitrium rerum etiam profanarum penes se Sacrosanctæ potestatis jure esse.* Quin & lege lata promulgavit, *in persona*

sona Petri ad Summum Pontificem terreni simul & cœlestis Imperii vacantis jurisdictionem, regimen & dispositionem devolutam esse, prohibens insuper, *ne quisquam jurisdictionis, etiamsi Patriarchalis aut Regalis esset, vicariatum, licet sibi ab Imperatore concessum, Imperio vacante, retineret, neve retinenti obediretur, nisi consensus & confirmatio summi Pontificis accessisset*, quæ lex *Extravag. unic. ne sede vacante*, scripta reperitur.

denique ex juramento, quo Imperatores sibi Papa devinxit.

LVIII. Præterea non sine Sacramento quodam Imperatores à Pontificibus coronam capessivisse, constat. Quippe coronanti juramento se obstringere sic satis maturè consueverunt. Lotharius enim, juxta versus in palatio Lateranensi scriptos.

—— *venit ante fores, jurans priùs urbis honores*, &c.

Ante Lotharium quoque Carolus Calvus à Johanne VIII. coronatus est, sanctissimo priùs juramento devinctus, quòd adversus inimicos Ecclesiæ, perpetuò Pontifici adfuturus sit. *Hinc*, ita Sigonius, *titulus Imperatoris Augusti posthac sincerum Pontificis beneficium esse, annique Imperii à Pontificia coronatione repeti cœperunt*. In decretis quóque *Dist.* 36. *can. Tibi domino*, Juramentum Othonis M. Johanni XII. Pontifici præstitum ejusmodi legere est: *Tibi Domino Johanni Papæ, ego Rex Otho promittere & jurare facio per Patrem & Filium, & Spiritum S. & per lignum hoc vivificæ crucis, & per has reliquias S. quòd si permittente Domino Romam venero, Sanctam Romanam Ecclesiam, & te rectorem ipsius exaltabo secundùm posse meum, in nunquam vitam aut membra, & ipsum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes, & in Romana urbe nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent sine tuo consilio:* &

& quidquid de terra S. Petri ad nostram potestatem pervenerit, tibi reddam; & cuicunque Italicum regnum commisero, jurare faciam illum, ut adjutor tibi sit ad defendendam terram S. Petri, secundum suum posse. Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Euangelia. Genuina sit eà juramenti Othonis formula, nec ne dubitatum equidem est: sed de eo quicquid fiat, extat *Sac. Cerem. S. R. E. lib. j. Tit. 5. p.* 23. ejusmodi juramenti formula: *Ego Rex Romanorum futurus Imperator promitto & juro me de cætero Protectorem & Procuratorem fore Summi Pontificis, in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores, jura* &c. Quin & Gregorius VII. illud Pontificiæ tyrannidis monstrum, non tantùm misso ad Guilhelmum I. Angliæ Regem Huberto, exegerat, *ut sibi & successoribus suis fidelitatem faceret*, ipso Baronio *Annal. Tom. xj. ad A.* 1079. *num.* 25. teste; sed etiam formam juramenti ab Imperatore præstandi ejusmodi *lib. ix. registri post epist.* 3. expressit: *Ego ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem B. Petro Apostolo ejusque vicario Papæ Gregorio & quodcunque ipse præceperit suis videlicet verbis, per veram obedientiam, sicut oportet Christianum, observabo: de ordinatione verò ecclesiarum, & de terris vel censu, quæ Constantinus Imperator, vel Carolus S. Petro dederunt, & de omnibus Ecclesiis vel prædiis, quæ Apostolicæ sedi ab aliquibus viris vel mulieribus aliquo tempore sunt oblata, vel concessa, & in mea sunt vel fuerint potestate, ita conveniam cum Papa, ut periculum sacrilegii, & perditionem animæ meæ non incurram: & Deo Sanctóque Petro adjuvante Christo dignum honorem & utilitatem impendam.* Sic Otho electus contra Philippum A. MCCI. sic Fridericus II. & MCCXIII. sic Rodolphus I. A.

 MCCLXXIX.

MCCLXXIX. juravit. Sic ab Innocentio III. Johannes Angliæ Rex coactus juravit: *Ego Johannes Rex Angliæ fidelis ero Ecclesiæ Romanæ, ac Domino meo Innocentio Papæ tertio;* uti apud Knigthon *de Eventibus Angliæ lib. ij. p.* 2420. legere est. Ab Henrico VII. juramentum fidelitatis exigere ausus est per legatos Clemens V. Avinione tum residens. Cùmque id fortiter recusâsset, prætexens scilicet, Aventino narrante, *contra morem Majorum, & libertatem religionis Christianæ, ut Princeps Principum, orbisque terrarum Dominus Servo Servorum Sacramentum diceret;* ratus quin etiam, quod res est, juramentum fidelitatis propriè ad feuda & vasallos pertinere; denique ægrè adduci potuisset, ut juramentum à fidelitatis juramento diversum longè præstaret ejusmodi: *Ego Henricus Romanorum Rex, annuente Domino futurus Imperator promitto, spondeo & polliceor, atque juro coram Deo, & B. Petro, me de cætero protectorem, procuratorem & defensorem fore Summi Pontificis, & hujus S. Romanæ Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones & honores ejus, quantum Divino suffultus adjutorio fuero secundùm scire & posse meum, recta & pura fide; sic me Deus adjuvet, & Sancta hæc Dei Euangelia;* Clemens idem delusi hiantis corvi instar, & exulceratus totus, constitutionem edidit, quâ sanxit, posthac omnino Pontifici ab Imperatore coronando juramentum fidelitatis præstandum esse. Tametsi igitur juramentum ab Imperatore coronando Pontifici præstitum, ex Imperatoris quidem sententia, non sit propriè fidelitatis, obsequii, seu hominii & vasallagii juramentum, & prout conceptis verbis Otho III. aliique, & superiori etiam seculo Carolus V. jurârunt, solùm de Papa non lædendo, ejúsque persona ac S. Christi Ecclesia protegenda, promissionem contineat,

excepta

excepta fortè promiſſione ſubjectionis debitæ in ſpiritualibus qualem etiam Rex Romanorum in Germania Archiepiſcopo Moguntino verba præeunte, jurare ſolet: ex juramento tamen à Gregorio VII. præſcripto, Conſtitutione, Clementis, aliorúmque Pontificum præſumtione, Theologorum quin etiam Pontificiorum contentione acri abundè liquet, ita juramentum ab Imperatore coronando Papam exigere, ut juramentum ſubjectionis, fidelitatis & vaſallagii animo complectatur, neque aliud planè intendat.

LIX. De Imperatoris coronatione, confirmatione, juramento, quibus eum ſui juris & beneficii, hominem facere Pontifices contendunt, hactenus. De Regibus ſimilia plura dici poſſent. Conſtat equidem, Reges *Galliæ* primos ferè à Papa coronam accepiſſe, Clodoveo Romam mittente coronam auream, quæ *Regnum* dicta eſt. Unde Pipinum Stephanus II. alios Reges Pontifices alii, ſacrârunt. Idémque in Coronatione Regum, quod in Imperatoris coronatione, à Papa attentatum ſatis conſtat. Cùm enim Philippus I. coronandus eſſet Legati Papæ diſertè aſſeruerunt, quòd ſine Papæ nutu coronari Rex neutiquam poſſit; Hormiſdæ Papæ, Remigio Rhemenſi conſecrandi Regis poteſtatem concedentis, & Victorem confirmantis, authoritatem allegantes, uti quidem Johannes Tilius, & ex eô Vignierus *Bibliothec. hiſtor. par. II. ad A.* 1060. fusè commemorant. Jactatur inde à Pontificiis partibus ejuſdem D. Remigii teſtamentum, quo Epiſcopis fas ſit Regem impium & tyrannum non officii duntaxat monere, ſed dirâ ejuſmodi ſententiâ percellere: *Fiant ejus dies pauci, & principatum ejus accipiat alter.* Si fidem merentur, quæ Baronius *ad A.* 859. narrat, ſic Carolus Calvus in Concilio Tulenſi oravit: *Se, qui electus eſſet cum voluntate & conſenſu Epiſcoporum ac cæterorum*

Regum etiam conſtitutionem & coronationem ad ſe Pontifices traxerunt, ut eorundem ſceptra ſibi ſubjicerent.

rorum Regni fidelium acclamatione, deinde in Regem consecratus, chrismate perunctus, & in Regni solio sublimatus, non debuisse de Regni sublimitate à quoquam projici, sine audientia & judicio Episcoporum, quorum ministerio in Regem esset consecratus, & qui throni sunt dicti, & per quos Deus sua decernit judicia: Quorum, inquit, *paternis correptionibus, & castigatoriis judiciis me subdere sum paratus*. Tentâsse quin etiam in Henrici IV. Coronatione in arcano Papam, an vellet coronam ad pedes Pontificis deponere, ac signo isthoc Regnum Franciæ in manus ejus consignare, atque tentationi illi acriter procuratores Regios restitisse, Thuanus *Annal. lib.* CXIII. narrat. Majora etiam in Reges alios Pontifices ausi sunt. Hungariæ Rex D. Stephanus, Hungaria circa *A.* CMLXXXIV. ad fidem Christi conversa, ad Benedictum Papam Anastasium Episcopum Calacensem misit, cum his verbis, quæ Bonifacius recenset: *Ut quando omnis potestas à Deo est, & maxima cœpta sine ope Divina confirmari nequeunt, Regalia insignia cum Pontificia benedictione piis precibus ab eo consequeretur*. Unde Hungariæ Regnum sibi beneficiarium redditam esse, Pontifices pertendunt. Et Gregorius VII. *lib. ij. Ep.* 13.63.70. *iv.* 25. admoneri nuper electum Regem disertè jussit, *ut per legatos suos obedientiam & reverentiam suam erga sedem Apostolicam exhibeat*, increpans non parùm Solomonem Regem, *quòd à Rege Teutonicorum suum Regnum in beneficium suscepisset*, comminans etiam, *non passurum se diutiùs eum regnare, nisi correcto errore Apostolicæ, non Regiæ Majestatis beneficium id recognoscat*. Hinc adeò etiam Bonifacium VIII. Hungaris iisdem invitis Carolum Regem obtrusisse, Bonfinius idem *Decad. ij. lib. ix.* narrat. Commemorare pluribus possem, Gregorium VII. Regna *Russiæ, Dalmatiæ, Hispaniæ, Arogoniæ* juri S. Petri mancipâsse: *Portugal-*

Portugalliam eodem jure censere Pontifices, ex quo tempore Alphonsus Henriquius Rex à suis ob partam adversus Mauros victoriam proclamatus est, atque eam proclamationem Papa, tributo imposito, ratam habuit: *Navarræ* Regnum obnoxium censeri Papæ, ex quo Eunicus Arista à Pontifice unctus & coronatus meruit, ut primus Regis titulo donaretur, & post eum reliqui omnes, ut Vasæus in Catalogo Regum Navarræ refert: *Polonis* Regium titulum Papam impertitum esse & abstulisse diu, quòd à Pontifice sacrari se non paterentur, non ausi diu titulum sine nutu & consensu Papæ recipere, uti Cromerus *lib. iv. ad A.* 1080. & *lib. v.* fusè recenset: *Venetos* Ducis titulum à Deodato Pontifice acceptum referre P. Justiniano *lib. vij. de rebus Venetis*, teste: *Bohemis* Regis nomen & titulum Innocentium III. indulsisse: *Armeniæ* Regnum Honorium III. Johanni Hierosolymitano Regi confirmâsse: *Norwegiæ* Principi Hacconi Regium titulum Innocentii IV. Legatos in Norwegiam missos contulisse. *Hetruriæ* Ducem Cosmum *Ducem Magnum* Pium V. creâsse fretum, uti Thuanus *lib.* XLIV. ad *A.* 1569. scribit, exemplis Alexandri III. Innocentii III. & Honorii III. qui Portugalliæ, Walachiæ, Bulgariæ, & Hiberniæ Reges olim creâssent: *Angliæ* & *Hiberniæ* Regna tributaria Papæ facta esse sub Johanne Rege inprimis, qui Innocentio III. Regna illa pro satisfactione *peccatorum suorum* subjecit, stipulatus censum annuum mille librarum, *famosa non formosa subjectione*, uti Matthæus Paris loquitur, unde Paulus IV. Elisabethæ Angliæ Reginæ interdixit Regno, eò quòd se inscio & inconsulto illud occupasset: *Scotiam* juris & beneficii Papalis censeri penitus, Bonifacio VIII. interdicente quondam Eduardo Anglorum Regi, ne Scotos bello vexaret ampliùs, eò quòd Regnum illud in Pontificis R. fidem & authoritatem ab ipsis

Divino proin & Apoſtolico jure fretus Imperatores conſtituat & coronet: ſed etiam ex acri contentione, quæ Fridericum I. Barbaroſſam inter & Adrianum IV. occaſione neglectæ à Friderico Londonienſis Epiſcopi in ditione ejus ſpoliati injuriæ exarſit, abundè colligitur. Adrianus enim *Sigonio de Regno Italiæ lib, xij.* narrante, miſſis ad Fridericum Cardinalibus, Rolando & Bernhardo, qui de neglecta injuria cum eodem expoſtularent, inter alia Friderico per literas exprobravit, quàm honorificè eum olim Romæ acceperit, atque ei beneficium hoc dederit, ut coronæ Imperialis inſigne ei contulerit. Quibus lectis literis Imperator & Principes mirum in modum offenſi, veritíque fuerunt, ne id Papa ſignificaret, quod quidam etiam dictitabant, *Reges Germaniæ Imperium Pontificum Romanorum beneficio obtinere (ſiquidem idem etiam* paulò ante Innocentius II. in coronatione Lotharii *pictura Lateranenſi, ac verſibus decantatis ſcilicet illis*

Rex venit ante fores, jurans priùs urbis honores:
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

haud ambiguè expreſſerit,) dolorem non continerunt, atque *Imperium haudquaquam Pontificis beneficium eſſe,* dixerunt. Sciſcitatus Rolandus, *cujus ergo tandem erit, ſi Pontificis non erit?* adeò Othonem Comitem Palatinum aſtantem ira incendit, ut ſtricto eum gladio appetierit, mortémque ei intentaverit. Sed prohibuit Imperarator, & Legatis Romam properè redire juſſis, legationem Pontificis, dimiſſis per omnem Germaniam literis, ſignificavit, adjiciens, *ſe ſolùm Deo & Principibus Imperium acceptum referre, proinde eos orare, ne tanti Imperii Majeſtatem, à majoribus eorum ingenti cum nominis gloria partam imminui ſua negligentia paterentur.* Pontifex reverſis Legatis ad Epiſcopos Germaniæ ſcripſit, ut Imperatorem ad officium redigerent. Cùm verò Adrianus

non

non eandem in Germaniæ Episcopis contra Fridericum, quæ contra Henricum fuerat, alacritatem persentisceret, eorundem consilio morem gesturus nonnihil vela sinuavit, & Imperatorem mitiori legatione demulcere statuit. Duobus igitur prudentioribus, & majoris consilii legatis missis, scripsit, *nihil causæ fuisse cur prioribus ejus literis Cæsar commoveretur. Licet enim hoc*, inquit, *Beneficii nomen apud alios in alia significatione sumatur, tamen accipiendum fuit in eam, in quam nos accepimus, & quam à prima institutione videtur habere. Est enim ex (bono) & (facto) junctum, dicitúrque non feudum, sed bonum factum &c. nos autem ut ipse optimè intelligere potes bene adeò atque honorificè Imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus, ut bonum factum possit ab omnibus judicari. Atque etiam illa in aliam significationem detorta sunt:* CONTULIMUS TIBI INSIGNE IMPERIALIS CORONÆ, *quia hoc verbo (contulimus) nihil aliud intelleximus, quàm imposuimus. Postularat verò Cæsar ut deleretur pictura, scriptura revocaretur.* Cæterùm in ista Papali scripturæ aliquantulum etiam à legatis emollitæ mitigatione acquiescere vel invitus debuit. Et quàm bona fide ita scripturam Papa mitigaverit, vel ipso Baronio fidejussore cognoscamus licet. *Hadrianus*, ita ille *ad A.* 1155: *n.* 6. scribit, *prudentissimus, ut furentem conciliaret Imperatorem, ex commonitione Apostolica, dans locum iræ, exemplo pariter Apostolico, cedens ad tempus, ita vocem,* Beneficium, *est interpretatus, ut concitatam discordiam sopiret magis quàm augeret:* non autem seriò, *sed ad breve tempus ista subsistere potuerunt.* Neque post mitigatam ita Scripturam Papa cessavit cum Cæsare litigare, & in ejusdem se possessionem intrudere. Neque unquam Adriano vivo inter eos convenit. Sed animosus ille Cardinalis Rolandus factus post Adriani mortem Pontifex, A-

lexandri

lexandri nomine insignis, adeò Fridericum veteri sua Papalium excommunicationum machina, & rebellionibus exagitavit, ut post multa status & vitæ suæ discrimina cedere & veniam petere impulsus sit. Quo conditionibus interpositis, concesso, Rolando Venetiis occurrit, ibique ad pedum ejus osculum se inclinavit, eum à dextra recepit, & *palafridum ascendenti strepam tenuit*, uti Sigonius idem loquitur. Cætera historia Papatus pandit.

Ludovici Bavari. LV. Palam verò væsanam ambitionem suam Ludovici Bavari Imperatoris jurati hostes Pontifices prodiderunt. Etenim Johannes XXIII. Aventino *lib. vij. p.* 760. teste, sic Bullam suam fulminantem in Ludovicum vibratam orditur: *Posteaquam à decessoribus nostris res Romana à Græcis ad Romanos translata, Carolo M. in fidem atque tutelam commissa est, summus ille honor* BENEFICIUM *Pontificis Maximi esse solet.* &c. Post Clemens VI. eidem formulam reconciliationis durissimam, & cum perpetua turpitudine conjunctam, præscripsit, nimirum, *ut in solidum omnes errores & hæreses confiteatur: item resignet Imperium: nec resumat, nisi hoc fiat de gratia Papæ, & se ac filios suos, & bona & statum suum in manus & voluntatem Papæ ponat, & multa insolita faciat.* Pudendam formulam cùm recepisset, sigillóque suo firmasset Imperator, Papa ei graviora, tanquam ex facili toleranti, imperans, petere non dubitavit, *ut edicto perpetuo sanciat publicè, Imperium beneficium*, hoc est feudum, *esse Pontificis, nec ante quenquam Cæsarem esse aut vocari, quàm Papa author fieret*, uti quidem Albertus Argentinensis in Chronico memorat. Hæc scilicet Helena illa est, quam nunquam non avidè Parides illi rasturiebant.

Ferdinandi I. LVI. Recentior quippe Ferdinandi I. Imperatoris historia, eundem interiorem animi Papæ sensum pariter propalat.

palat. Eum *Histor. Pap. Ss.* CLXXXI. Thuani, aliorúmque verbis retulimus. Carolo V. Imperio cedente, Electores communibus suffragiis Ferdinandum Imperatorem legerant, qui recens electus Martinum Germanum Romam ad Paulum IV. legatum expediit, tum cessionem Caroli, tum electionem suam Pontifici nuntiaturum. Ut verò Neronis potius quàm Petri successorem se Papa ostenderet; quemadmodum olim Tacito Annal. XV. 29. memorante, Tiridatem Parthorum Regem, *oportuit apud effigiem Cæsaris insigne Regium ponere, nec nisi manu Neronis resumere:* sic à Ferdinando ipse impudentissimè postulare ausus est, quandoquidem & cessio Caroli inconsulto Pontifice processerit, & electio Ferdinandi facta sit per Electores quosdam hæreticos, mitteret igitur Romam procuratorem, per quem priùs acta pœnitentia, cessioni fratris ab Electoribus approbatæ renuntiaret, rem omnem Pontificis arbitrio & gratiæ permitteret, qui electionem & inaugurationem quamvis ritè non factam, ex plenitudine potestatis suæ confirmet. Carolum quippe apud neminem nisi Papam Cæsaream dignitatem ejerare, nec Ferdinandum eam citra suum, vicarii Christi, cui claves Cœlestis ac terreni Imperii creditæ sint consensum accipere potuisse. Ni jussa Ferdinandus fecerit, ratum sibi esse, alium pro lubitu Imperatorem constituere. Neque Philippi etiam Hispaniæ Regis precibus curatissimis moveri potuit, ut vel cessioni Caroli, vel electioni fratris album calculum adjiceret, claro indicio, eam constanter Pontificum animo infixam sententiam fuisse, quòd fasces suos Imperatores Pontificum arbitrio & gratiæ acceptos ferre in solidum teneantur.

LVII. Sed & indicium animi Papalis haud postremum faciunt tria dogmata, quæ quibuslibet interdictis illi defensitant. *Primum* est, quòd authoritate & potestate Pon- *nec non ex dogmatis Pontificiis, qualia sunt,*

quòd authoritate Papali Imperium ab Orientalibus ad Occidentales translatum sit, Electorum Romani Imperii institutio Papam authorem habeat, & vacantis Imperii administratio ad Papam redeat:

tificia Imperium ab Orientalibus ad Occidentales, à Græcis ad Francos translatum sit. Hoc asserentem supra Johannem XXIII. adversus Ludovicum Bavarum vidimus. Atque ampliùs etiam liquet ex capite *Per Venerabilem, de Electione & Electi potestate.* Proin etiam laborem satis arduum insumpsit Bellarminus post reliqua controversiarum opera opusculo satis amplo, translationem hanc confirmandi, & ab objectionibus eam oppugnantium vindicandi. Inter alia *lib. j. cap.* 6. etiam Romanorum Pontificum authoritate, facto & testimoniis eandem propugnat. Quidni igitur Papæ in electione Imperatoris potestas utramque paginam faciat, si ejus authoritate Imperium ipsum, quod illi pertendunt, constitutum est? Huc quoque facit, quod Adrianus III. lege lata sanxit, ut moriente Carolo Crasso sine liberis Imperium à Francis ad Italos transferretur, quæ licet successu caruerit, tumultibusque noxiis ansam præbuerit, Papalis tamen ambitionis testis locuples est. *Secundum* est, quòd Electorum Imperatoris institutionem Pontifici referendam esse acceptam, Hieromonarchici strenuè asserunt. Quanquam sanctionem de Electoribus cui potissimùm Pontifici authori tribuant, ipsimet ancipites, & varias in partes distracti hærent. Gregorium V. authorem facit author libri de *Regimine Principum, lib. iij.* 19. nec non Augustinus Triumphus *in Summ. de potest. Eccl. q.* 35. *art.* 2. Gregorium X. Aventinus *libr. v. Annal. Bajor.* & Onuphrius *lib. de comit. Imp.* Denique Innocentium IV. in Synodo Lugdunensi legem illam rogâsse, Baronius *ad Annum* 996. *num.* 56. sciscit, Martini Poloni, qui sub Innocentio eo vixit, authoritate fretus. Quanquam verò argumentis certis, quæ post alios M. Antonius de Dominis *de Rep. Eccl. libr. vj. cap. ij. §§.* 31. 32. *&c.* attulit, constat, nulli Pontificum dictorum, neque alii etiam authori constitutionem illam tribui posse,

posse, ipsa tamen authoritatis hujus usurpatio abundè probat, Pontificem eo animo esse, ut sibi de Imperatoris electione disponendi jus & arbitrium deberi putet. Quò etiam pertinet, quòd discordantibus in electione suffragiis, sui juris Papa arbitratus est, Electores & Electos ad causam Romæ dicendam vocare, & quem liberet, confirmare. Qua authoritate usos Gregorium VII. inter Henricum IV. & Rodolphum; Innocentium II. inter Conradum & Lotharium; Urbanum IV. inter Richardum & Alphonsum, legimus. *Tertium* est, quòd vacantis Imperii administrationem ad se pertinere Pontifices palam asseruerunt. Atque id jam ætate Petri Damiani circa A. MLV. florentis, receptum erat. Is enim Christum inducit Victorem II. Papam συγχρονον sic alloquentem: *Ego te quasi Patrem Imperatoris constitui. Imò sublato Rege de medio totius Romani Imperii vacantis tibi jura commisi.* Proin etiam Innocentius III. *cap.* 10. *de foro compet.* licere ajebat Vercellensibus laicis ad sedem Apostolicam appellare super rebus, quæ forum seculare contingunt, eo maximè tempore, quo vacante Imperio ad judicem secularem recurrere integrum non esset. Exemplum inprimis illustre est Clemens V. qui Robertum Siciliæ Regem ab Henrico VII. Majestatis damnatum, defuncto Imperatore absolvit, *tam* (inquit) *ex superioritate, quam ad Imperium non est dubium nos habere quam ex potestate, in qua vacante Imperio succedimus Imperatori*, uti in *Clement. Pastoral. de sent. & re judic. in Clement.* habetur. Qui Clementi successit Johannes XXII. Genuenses à vicecomitibus Mediolanensibus oppugnatos in suam tutelam suscepit. Objicientibus eos esse arbitrii Cæsarei, non Pontificii respondit: *Nullo dum certo Cæsare* (nam Ludovicum respuebat) *arbitrium rerum etiam profanarum penes se Sacrosanctæ potestatis jure esse.* Quin & lege lata promulgavit, *in per-*

sona Petri ad Summum Pontificem terreni simul & cœlestis Imperii vacantis jurisdictionem, regimen & dispositionem devolutam esse, prohibens insuper, *ne quisquam jurisdictionis, etiamsi Patriarchalis aut Regalis esset, vicariatum, licet sibi ab Imperatore concessum, Imperio vacante, retineret, neve retinenti obediretur, nisi consensus & confirmatio summi Pontificis accessisset*, quæ lex *Extravag. unic. ne sede vacante*, scripta reperitur.

denique ex juramento, quo Imperatores sibi Papa devinxit. LVIII. Præterea non sine Sacramento quodam Imperatores à Pontificibus coronam capessivisse, constat. Quippe coronanti juramento se obstringere sic satis maturè consueverunt. Lotharius enim, juxta versus in palatio Lateranensi scriptos.

——*venit ante fores, jurans priùs urbis honores*, &c. Ante Lotharium quoque Carolus Calvus à Johanne VIII. coronatus est, sanctissimo priùs juramento devinctus, quòd adversus inimicos Ecclesiæ, perpetuò Pontifici adfuturus sit. *Hinc*, ita Sigonius, *titulus Imperatoris Augusti posthac sincerum Pontificis beneficium esse, annique Imperii à Pontificia coronatione repeti cœperunt*. In decretis quóque *Dist*. 36. *can. Tibi domino*, Juramentum Othonis M. Johanni XII. Pontifici præstitum ejusmodi legere est: *Tibi Domino Johanni Papæ, ego Rex Otho promittere & jurare facio per Patrem & Filium, & Spiritum S. & per lignum hoc vivificæ crucis, & per has reliquias S. quòd si permittente Domino Romam veneto, Sanctam Romanam Ecclesiam, & te rectorem ipsius exaltabo secundùm posse meum, m nunquam vitam aut membra, & ipsum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes, & in Romana urbe nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent sine tuo consilio:*

&

& quidquid de terra S. Petri ad nostram potestatem pervenerit, tibi reddam; & cuicunque Italicum regnum commisero, jurare faciam illum, ut adjutor tibi sit ad defendendam terram S. Petri, secundum suum posse. Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Euangelia. Genuina sit eâ juramenti Othonis formula, nec ne dubitatum equidem est: sed de eo quicquid fiat, extat *Sac. Cerem. S. R. E. lib. j. Tit. 5. p. 23.* ejusmodi juramenti formula: *Ego Rex Romanorum futurus Imperator promitto & juro me de cætero Protectorem & Procuratorem fore Summi Pontificis, in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores, jura* &c. Quin & Gregorius VII. illud Pontificiæ tyrannidis monstrum, non tantùm misso ad Guilhelmum I. Angliæ Regem Huberto, exegerat, *ut sibi & successoribus suis fidelitatem faceret*, ipso Baronio *Annal. Tom. xj. ad A.* 1079. *num.* 25. teste; sed etiam formam juramenti ab Imperatore præstandi ejusmodi *lib. ix. registri post epist.* 3. expressit: *Ego ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem B. Petro Apostolo ejusque vicario Papæ Gregorio & quodcunque ipse præceperit suis videlicet verbis, per veram obedientiam, sicut oportet Christianum, observabo: de ordinatione verò ecclesiarum, & de terris vel censu, quæ Constantinus Imperator, vel Carolus S. Petro dederunt, & de omnibus Ecclesiis vel prædiis, quæ Apostolicæ sedi ab aliquibus viris vel mulieribus aliquo tempore sunt oblata, vel concessa, & in mea sunt vel fuerint potestate, ita conveniam cum Papa, ut periculum sacrilegii, & perditionem animæ meæ non incurram: & Deo Sanctóque Petro adjuvante Christo dignum honorem & utilitatem impendam.* Sic Otho electus contra Philippum A. MCCI. sic Fridericus II. & MCCXIII. sic Rodolphus I. A.

MCCLXXIX. juravit. Sic ab Innocentio III. Johannes Angliæ Rex coactus juravit: *Ego Johannes Rex Angliæ fidelis ero Ecclesiæ Romanæ, ac Domino meo Innocentio Papæ tertio;* uti apud Knigthon *de Eventibus Angliæ lib. ij. p.* 2420. legere est. Ab Henrico VII. juramentum fidelitatis exigere ausus est per legatos Clemens V. Avinione tum residens. Cúmque id fortiter recusâsset, prætexens scilicet, Aventino narrante, *contra morem Majorum, & libertatem religionis Christianæ, ut Princeps Principum, orbisque terrarum Dominus Servo Servorum Sacramentum diceret;* ratus quin etiam, quod res est, juramentum fidelitatis propriè ad feuda & vasallos pertinere; denique ægrè adduci potuisset, ut juramentum à fidelitatis juramento diversum longè præstaret ejusmodi: *Ego Henricus Romanorum Rex, annuente Domino futurus Imperator promitto, spondeo & polliceor, atque juro coram Deo, & B. Petro, me de cætero protectorem, procuratorem & defensorem fore Summi Pontificis, & hujus S. Romanæ Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis; custodiendo & conservando possessiones & honores ejus, quantum Divino suffultus adjutorio fuero secundùm scire & posse meum, recta & pura fide; sic me Deus adjuvet, & Sancta hæc Dei Euangelia;* Clemens idem delusi hiantis corvi instar, & exulceratus totus, constitutionem edidit, quâ sanxit, posthac omnino Pontifici ab Imperatore coronando juramentum fidelitatis præstandum esse. Tametsi igitur juramentum ab Imperatore coronando Pontifici præstitum, ex Imperatoris quidem sententia, non sit propriè fidelitatis, obsequii, seu hominii & vasallagii juramentum, & prout conceptis verbis Otho III. aliique, & superiori etiam seculo Carolus V. jurârunt, solùm de Papa non lædendo, ejúsque persona ac S. Christi Ecclesia protegenda, promissionem contineat,

excepta fortè promissione subjectionis debitæ in spiritualibus qualem etiam Rex Romanorum in Germania Archiepiscopo Moguntino verba præeunte, jurare solet: ex juramento tamen à Gregorio VII. præscripto, Constitutione, Clementis, aliorúmque Pontificum præsumtione, Theologorum quin etiam Pontificiorum contentione acri abundè liquet, ita juramentum ab Imperatore coronando Papam exigere, ut juramentum subjectionis, fidelitatis & vasallagii animo complectatur, neque aliud planè intendat.

LIX. De Imperatoris coronatione, confirmatione, juramento, quibus eum sui juris & beneficii, hominem facere Pontifices contendunt, hactenus. De Regibus similia plura dici possent. Constat equidem, Reges *Galliæ* primos ferè à Papa coronam accepisse, Clodoveo Romam mittente coronam auream, quæ *Regnum* dicta est. Unde Pipinum Stephanus II. alios Reges Pontifices alii, sacrârunt. Idémque in Coronatione Regum, quod in Imperatoris coronatione, à Papa attentatum satis constat. Cùm enim Philippus I. coronandus esset Legati Papæ disertè asseruerunt, quòd sine Papæ nutu coronari Rex neutiquam possit; Hormisdæ Papæ, Remigio Rhemensi consecrandi Regis potestatem concedentis, & Victorem confirmantis, authoritatem allegantes, uti quidem Johannes Tilius, & ex eo Vignierus *Bibliothec. histor. par. II. ad A.* 1060. fusè commemorant. Jactatur inde à Pontificiis partibus ejusdem D. Remigii testamentum, quo Episcopis fas sit Regem impium & tyrannum non officii duntaxat monere, sed dirâ ejusmodi sententiâ percellere: *Fiant ejus dies pauci, & principatum ejus accipiat alter.* Si fidem merentur, quæ Baronius *ad A.* 859. narrat, sic Carolus Calvus in Concilio Tulensi oravit: *Se, qui electus esset cum voluntate & consensu Episcoporum ac cæterorum*

Regum etiam constitutionem & coronationem ad se Pontifices traxerunt, ut eorundem sceptra sibi subjicerent.

rorum

Portugalliam eodem jure censere Pontifices, ex quo tempore Alphonsus Henriquius Rex à suis ob partam adversus Mauros victoriam proclamatus est, atque eam proclamationem Papa, tributo imposito, ratam habuit: *Navarræ* Regnum obnoxium censeri Papæ, ex quo Eunicus Arista à Pontifice unctus & coronatus meruit, ut primus Regis titulo donaretur, & post eum reliqui omnes, ut Vasæus in Catalogo Regum Navarræ refert: *Polonis* Regium titulum Papam impertitum esse & abstulisse diu, quòd à Pontifice sacrari se non paterentur, non ausi diu titulum sine nutu & consensu Papæ recipere, uti Cromerus *lib. iv. ad A.* 1080. *& lib. v.* fusè recenset: *Venetos* Ducis titulum à Deodato Pontifice acceptum referre P. Justiniano *lib. vij. de rebus Venetis*, teste: *Bohemis* Regis nomen & titulum Innocentium III. indulsisse: *Armeniæ* Regnum Honorium III. Johanni Hierosolymitano Regi confirmâsse: *Norwegiæ* Principi Hacconi Regium titulum Innocentii IV. Legatos in Norwegiam missos contulisse. *Hetruriæ* Ducem Cosmum *Ducem Magnum* Pium V. creâsse fretum, uti Thuanus *lib.* XLIV. ad *A.* 1569. scribit, exemplis Alexandri III. Innocentii III. & Honorii III. qui Portugalliæ, Walachiæ, Bulgariæ, & Hiberniæ Reges olim creâssent: *Angliæ* & *Hiberniæ* Regna tributaria Papæ facta esse sub Johanne Rege inprimis, qui Innocentio III. Regna illa pro satisfactione *peccatorum suorum* subjecit, stipulatus censum annuum mille librarum, *famosa non formosa subjectione*, uti Matthæus Paris loquitur, unde Paulus IV. Elisabethæ Angliæ Reginæ interdixit Regno, eò quòd se inscio & inconsulto illud occupasset: *Scotiam* juris & beneficii Papalis censeri penitus, Bonifacio VIII. interdicente quondam Eduardo Anglorum Regi, ne Scotos bello vexaret ampliùs, eò quòd Regnum illud in Pontificis R. fidem & authoritatem ab ipsis

adhuc pollebant. Neque adeò ſine cauſa quondam Maximilianus Imperator, cùm cœlebs adhuc eſſet, conſilia agitâſſe fertur, quibus abjurato Imperio ad Papatum promoveretur, ſeriò cum animo ſuo reputans, excelſiorem auguſtiorémque longè Papam, quàm Imperatorem eſſe; imò tranſlatis jam in Papam Imperatoris juribus, ac præcipuè eminente illo Regios conferendi titulos privilegio, verum genuinúmque Imperatorem Papam eſſe, neque aliud quàm ludicrum quoddam ſchema ei, qui Romanorum Imperator audit, relinqui.

Qua in conſtituendis Imperatoribus & Regibus, eadem in deponendis iiſdem poteſtate Papa, Excommunicationis peregrino ſine uſurpata ſubſidio, utitur.

LXI. Qua verò Papa in conſtituendis Imperatore & Regibus, eadem in abdicandis iiſdem, & excelſo ſolio ſuo deturbandis poteſtate utitur: Solis ad inſtar, qui quos vapores in celſum aera evehit, eoſdem mox diſcuſſos præcipitéſque in terram ſternit, principióque ſuo ignobili reſtituit. Res ſanè ad cognoſcendam penitus Papæ temporalem, eamque ferè infinitam poteſtatem conſideratione perquam digna. Celſus Moncinus, vir doctus & Canonicus Regularis Ord. Aug. *de Juribus Princip. lib. iij.* 3. *pag.* 76. ſic eam in rem ſcribit: *Conſpicuum eſt omnibus, à Summo Pontifice deponi, privarique Imperatores, idque non tantùm ratione eorum, quæ ad fidem ſpectant, verùm etiam eorum, quæ ad mores & jus civile ſpectant.* Abrahamus Bzovius *de Pont. Rom. c.*46. *pag.*621. aliquantò plenius: *Papa ſummam habet poteſtatem etiam in Reges & Principes Chriſtianos, qui eos corrigat, officio amoveat, & in loco eorum alios conſtituat. Papa poteſt Regem propter hæreſin, ſchiſma, crimen intolerabile in populo, negligentiam aut ſocordiam, ſi juramento dato non ſatisfecerit, aut Eccleſiam opprimeret, Dignitate Regia exuere.* Hæc ut probet Bzovius, triginta, pluréſve Reges, Principéſque à Pontifice damnatos, ſedibúſque ſuis dejectos enumerat, & veritatem eam ab innumeris An-

exceptiones solidiſſimè eliſit. Potiſſima ad deprimendos ita Imperatores & Reges, quos παμβασιλείας ſuæ meditamentis obſtare credidit, machina fuit excommunicationis fulmen, telum acerrimum, quod ille parùm putans tanquam ſpiritualem cenſuram adverſus Principes adhiberet, ad civilem pœnam detorſit, non modo iis communione fidelium interdicens, ſed eos etiam omni poteſtate ſua & in ſubditos authoritate abdicans, eóſque ut ab Eccleſia, ita ab Imperio dimovens. Statim enim à diſploſis anathematum fulminibus bellorum civilium tempeſtates Imperatorum Principumque capitibus ingruebant: non ſecus ac tonitruorum murmura ſubintercipit lapidoſæ grandinis imber. Ut non immeritò vir Summus, Franciſcus Petrarcha, de hac Pontificum arte minimè ſancta queſtus *lib. Epiſt. ſine titulo Ep. ij.* in hæc verba proruperit: *Eccleſiaſticus iſte Dionyſius turbat omnia miſcétque de induſtria non aliam ob cauſam, niſi ut circulatorum more, vel perplexo loco, vel confuſo vulnere licentiùs fallat, & fraus propria ſub umbraculo Reipublicæ deliteſcat. Et ille quidem pro qualitate propoſiti, artibus utitur non novis. Nam & in fruticoſo gaudet auceps, piſcator in turbido, fur in tenebris.* Scilicet compoſitis rebus nulla ſpes, omne in turbido conſilium.

LXII. Initium inauſpicati & diriſſimi moris factum eſt ab Imperatoribus Orientis, quorum Romæ authoritas ſeneſcere cœpit, adoleſcente authoritate Pontificum, quos Romani militéſque protexerant. Hos ſcilicet excommunicationis fulmine percuſſos ab Eccleſiæ limine arcere, verbo, tanquam iconomachos; re, ut iis oppreſſis ipſi creſcerent; ſubditos fidei vinculo, quo Principibus ſuis obſtricti erant, nefariè ſolvere, ſolutos eorum obſequio abducere, ſuo devincire, nefariè auſi ſunt. Parum erat, quòd Philippici Imperatoris Græci nomen in ſacris Liturgiis *Initium factum ab Imperatoribus Orientalibus;*

ratore Ludovico, apud Aventinum *Lib. vij.* & Matthæum Paris in *Henrico III.* jactavit) hoc est, Imperium Alemannicum, *contrivit, facile* ipsi *fuit serpentes & Regulos*, id est, Reges Principésque cæteros conculcare, quorum plures fulminibus suis adflatos in eas redegit angustias, ut emolliendo tanto furori, vel se vasallos ejus renuntiare, vel certè Romano fastui libidiníque Regna sua prostituere, coronas tributis, annuo censu capita subditorum onerare necesse habuerint: cùm alia victima Romanas aras placare, atque se se dirarum adamantinis catenis exsolvere non possent. Nota lippis atque tonsoribus sunt exempla Roberti Galliæ Regis, A. CMXCVIII. à Gregorio V. quòd commatri suæ nupsisset, excommunicati, tanto cum terrore, ut statim cuncti ejus latus deseruerint, clientibus duobus solis ad obsequium victus residuis; & uxor fulmine isthoc perculsa, monstrum marito perperit: Johannis Angliæ Regis, cui Innocentius III. Regnum abrogavit, translato eo ad Philippum Augustum Galliæ Regem promissa ei peccatorum remissione, si aliena invaderet: Philippi Pulchri, Galliæ Regis, cui Regnum ademit, Alberto Imperatori oblatum: Petri Arrgoniæ Regis, cujus exauthorati subditos à juramento fidelitatis Martinus IV. absolvit: Ludovici XII. Galliæ Regis cui Julius II. Regnum adjudicavit, Galliam universam interdicto subjiciens: Johannis Albretani, Navarræ Regis, cui ab eodem Julio Regnum ademptum & Ferdinando Castiliæ Regi addictum est: Henrici III. Galliæ Regis, quem Sixtus V. diris devovit, datis novem annorum indulgentiis omnibus Gallis, qui adversus ipsum arma caperent, unde Rex fidem subditorum, atque mox etiam vitam amisit: Henrici IV. Navarræ Regis, quem diro fulmine percussum idem Sixtus inhabilem declaravit ad succedendum in Galliæ Regnum: Elisabethæ, Angliæ Reginæ, adversus quam

pane doloris & aqua mœroris pœnitentiam retrudendi, omni humanitatis solatio destituti, Regna, Ducatus, feuda, dominia & bona hujusmodi publicentur, & publicata sint, efficiantùrque juris & proprietatis eorum, qui illa primò occupaverint, si in sinceritate fidei, & unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac sub nostro & Successorum Pontificum Romanorum canonicè intrantium obedientia fuerint. Quæ à Pontificibus verè Babylonicis Monarchis ita definita, & juxta definitiones effectum sæpissimè data sunt, ea, ceu dogma Catholicum, ejus promachi, inprimis Azorius *Instit. Moral. p.* 11. *lib. iv. cap.* 20. Sanderus *de Vis. Monarch. lib.* ij. 4. Bellarminus *de Rom. Pontif. lib.* v. 7. aliique rationibus suadere & propugnare acerrimè conantur.

LXV. Quin eò crudelitatis adversùs Imperatorum, Regum & Principum vitam ac fortunas progressi iidem sunt, ut palam sustineant judicio excommunicationis de iis semel à Papa pronuntiato, adversùs eos licere, quæcunque in excommunicatos privatos licent, ita ut iis, siquidem abdicati à Papa vi Regnum retineant, ceu tyrannis & invasoribus vis inferri, conjuratio adversus eos concipi, & impetus in sacras eorum personas fieri impunè, & citra ullum parricidii crimen, possit. Licet enim Bellarminus, quem tragici hujus ψηφίσματος, admissi & bona fide recepti licet, puduit, in sua ad Archipresbyterum Blakwellum Epistola scribere non dubitaverit, *inauditum semper fuisse ab Ecclesiæ incunabulis in hanc usque diem, quòd unquam quispiam Papa jusserit, ut ullus Princeps, quamvis hæreticus, quamvis Ethnicus, quamvis persecutor occideretur, vel quod ullus Pontifex R. rem factam approbârit;* plenissimam tamen historia Papatus *§.* CCXIV. fidem fecit, inter hæreses novissimas Jesuitarum, qui Papæ ocelli, & parricidialium Magistrorum portenta sunt, haud

In eosdem omnia, quæ in privatos licere, quin occidi etiam eos, si vi Regnum retineant, posse, iidem pertendunt.

poſtremam, neque à quoquam Pontifice unquam vel damnatam vel improbatam hanc eſſe, *Regem vel Principem quemvis in hæreſin prolapſum, etiam ante exploratam Romani Pontificis voluntatem, dummodo ſubditi a comitia habere prohibiti, Jeſuitarum vel Theologorum ſimilium conſilio ad id uſi fuerint, occidere, non fas duntaxat, ſed etiam pium, laudabile & meritorium eſſe.* Quem verò præterea fugit, Innocentium IV. poſtquam excommunicationis fulmen in Fridericum Imperatorem evibravit, Apulienſem quempiam mercede conductum induxiſſe, ut venenum ei miſceret; ac poſtquam venenum diſcuſſum vim ſuam amiſit, ab eodem pretio corruptum filium nothum Manfredum denuò venenum ei, ex quo interiit, propinâſſe. Sixtum etiam quintum declamâſſe in laudes fraterculi, qui Henricum III. Galliæ Regem, quamvis Pontificiis ſacris devotiſſimum, peremit, addito iſthoc epiphonemate; *Verus fraterculus ſimulatum fraterculum interfecit!* atque parum abfuiſſe, quin cucullatus ille parricida in catalogum Sanctorum referretur. Quid verò multis? Annon Concilium Conſtantienſe, cujus aliàs umbrâ parricidale ſuum dogma Jeſuitæ tegere conantur, *Seſſ. xv.* eam demum Regum tyrannorum cædem damnat, quæ fiat *non expectata ſententia aut mandato judicis?* Unde clariſſimum eſt, opinari eos, *Judicem*, cujus *ſententiam*, aut *mandatum expectare* oporteat dari. Ridiculum enim planè eſſet, de *expectanda judicis ſententia* mentionem facere, ſi nullus eſſet *judex*, cujus *ſententia expectari* deberet. Et *judicem* Papam pridem conſtituerunt. Annon qui Regem & Principem vult Regno & Imperio omni moveri, eundem occidi vult? Spoliat nempe eum ea authoritate & poteſtate, quæ ejus vitam tuetur, & ſacram facit. Is quoque, ad quem Regnum Papa tranſtulerit, nihil non aget, ut de medio eum, cujus locum invaſit, tol-

ſit, tollat. Rara quippe Regum exempla ſunt, qui fuerint ſuo Imperio ſuperſtites. Perpaucos invenies, quos ruina tanta molliter depoſuerit. Nec dubium eſt, quin Rex Papali fulmine afflatus, cujus ſubditos Papa à fide jurata liberavit, & ad rebellionem inſtigavit, arma infeſta in rebelles moturus, vitámque diſcriminibus belli ad tuendam dignitatem ſuam expoſiturus ſit. In quibus certaminibus, ſi Rex occumbat, fatebuntur omnes, Papam mortis ejus cauſam eſſe. Planè qui Regem ſpoliari, & præſidiis ſuis omnibus exui jubet, eundem ſi bello ſe defenderit, occidere etiam jubet.

Cauſa abdicandorum ita Principum ſola hæreſis à Perronio, ab aliis longè plures recenſentur.

LXVI. Cauſas porrò abdicandorum ita, & præſentiſſimo vitæ periculo exponendorum à Papa Regum Principúmque Cardinalis Perronius in oratione poſt cædem nefariam Henrici IV. Lutetiæ in conſeſſu tertii ordinis VIII. Cal. Febr. A. MDCXV. habita, ad hæreſin, apoſtaſiam & perſecutionem reſtrinxit. Cui non immeritò ſic Sapientiſſimus Angliæ Rex Jacobus *pro jure Regio contra Card. Perron.* reſpondit: *Debuerat* Cardinalis ille *à Pontifice literas attuliſſe, queis teſtaretur Pontifex, ſe cæterarum cauſarum gratiam facere, & ſola hæreſi jam contentum eſſe, ob quam Reges poſthac abdicaturus ſit: nec ſe illa in cauſa judicem fore, an Rex ſit hæreticus, quia ſi id faceret, judicem ſimul ageret & actorem, & fortè hæreſin appellaret, quæ nulla eſſet: nimirum, ut ſe Regni Dominum conſtituat, aut alteri dominium tranſcribat, qui eo nomine ſemper ipſi futurus eſſet obnoxius. Ita ferox ille Bonifacius VIII. inſignita impudentia hæreticos pronuntiat, quicunque Eccleſiaſtica beneficia à Rege conferri poſſe affirmet: ubi errorem Pontificis obſerva non facti, ſed juris. Simile planè ſcelus erat, cujus prætextu Henrico IV. irati Pontifices filium adversùs Patrem armârunt; cujus quoque exanimum corpus ſepulchri honore*

 probi-

probibuerunt; quanquam miser de rebus Theologicis nullam unquam moverat quæstionem. Refert Aventinus lib. iij. hist. Bojorum, Virgilium Juvanensem Episcopum declaratum hæreticum, quòd antipodas negaret &c. Sanè longiùs multò & latiùs quàm ad solam hæreseos causam sui Imperii limites producunt Pontifices, qui ob *imminuta Monarcharum jura & libertates Cleri violatas* Reges regnandi jure exuunt, uti ex privilegio, aut potiùs pravilegio Abbatiæ S. Medardi Suessionum, quod assutum, & calci operum Gregorii M. ipsique Gregorio illi suppositum: *ob ingenii tarditatem* Childericum Regno privârunt: *ob beneficiorum & præbendarum collationes* Johannem Angliæ, & Philippum Pulchrum Reges Galliæ Regno exuerunt: *ob causas matrimoniales* Philippum, qui repudiata Berta duxit Bertiadam, Comitis Andegavensis uxorem, sacrorum communione & Imperio moverunt. Neque sanè dici potest, quæ hæresis illa fuerit, ob quam Henrici, Friderici, Petrus Arragonum Rex, Ludovicus XII. Henricus III. alii plures Væjovis hujus fulmine ambusti sunt? Scilicet Cardinalis ille versipellis speciosissimum colorem arripuit, ratus sibi cum hominibus rerum gestarum rudibus, & negotii hujusce imperitis, rem esse. Hæresis, ingenii tarditas, matrimonialis causa, alia ejusmodi meri prætextus sunt. Germana causa est dedignatio parendi Papæ, qui Rex Regum, dominus dominorum ferre Imperatores, Reges & Principes absolutæ Monarchiæ & παμβασιλεία suæ quacunque ratione obsistentes non potest. Promptum illi est affingere Imperatori vel Regi crimen hæreseos, apostasiæ, tyrannidis, ingenii tarditatem, aliaque ejusmodi, speciem magnam apud imperitos præ se ferentia, ut potestate sua ὑπερεχούσῃ & παμβασιλικῇ usus, Regnum ejus involet, & alium Imperatorem Regémve Sedi Romanæ obnoxium, & dicto Papali audientem magis, creet. Jam diu est, quòd

eſt, quòd fraus detecta à cordatis pellucet, atque ſi non caſtiùs, ſaltem cautiùs Babylonius ille mango mercari occœpit. Et levato velo Johannes Semeca, qui Gloſſam in Gratianum conſcripſit. *Gloſſ. ad Can. Si Papa* 6. *Diſt.* 40. *verb. à fide devius*, quærenti, *quo pacto poſſit Imperator deponi*, reſpondit: *Pro quolibet peccato poteſt Imperator deponi, ſi ſit incorrigibilis, neque pro quolibet peccato tantùm, ſed ſi tantæ poteſtati ſit inutilis.* Ergò pro omni peccato, & quandóque pro nullo deponi poſſunt.

LXVII. Supereſt poteſtas, quam Papa in Clerum, haud poſtremam, ſive numerum, ſive dignitatem ſpectemus, Regni Pontificii partem, quam nexu & mancipio totam ſibi obnoxiam habet, quoad temporalia etiam, ſibi pridem aſſeruit, & hodieque uſurpat. Jam pridem enim eſt, quòd Pontificius Clerus ſe ſimul ac bona ſua Reipublicæ ſubtraxit, & uti dicebat Appius ille Claudius ad tribunum, *peculiarem patriam, peculiarem Rempublicam* ſibi conſtituit. Pertendunt nempe & ſumma contentione defendunt Clerici, ſe non eſſe ſubditos Regibus, negántque Clericos & Monachos vel poſſe conveniri coram judice civili, vel capite plecti ob crimen ſententia Prætoris, quamdiu ſunt Clerici; vel obnoxios ſe eſſe legibus Regni, aut capitationi & vectigalibus, vel cogi ſe ad Symbolos in in ſumptus belli conferendos poſſe. Denique Regum Principúmque poteſtate, & imperio ſoluti emancipatíque, totos ſe in Papæ, Babylonii ſui Regis, fidem clientelámque dediderunt, dicentes cum improbis illis Pſal. XII. 5. מי ארון לנו *Quis nobis* præter illum *dominus*? & cum vite illa vacua Iſraëlis Hoſ. x. 3. אין מלך לנו חמלך מה עשה לנו *Nullus nobis* (præter illum) *Rex eſt. Rex quid nobis faceret?* Bonifacius VIII. in cap. *quanquam de cenſibus* ſic eam rem definivit: *Jure Divino & humano Clerici, & eorum bona libera ſunt à poteſtate ſeculari.* Concilium quoque

Quarta Pontificis poteſtas eſt in Clerum universum quoad temporalia æquè ac ſpiritualia. De exemptione à civili poteſtate Cleri decreta Bonifacii VIII: Conciliorum Conſtantienſis & Tridentini.

que Constantiense *Seff. xxxj.* assa voce pronuntiavit, *laicos in Clericos nullam habere jurisdictionem nec potestatem.* Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum *Seff. ix. Cùm* inquit, *tam à jure Divino quàm humano, laicis nulla potestas in ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes & singulas constitutiones* &c. Denique Concilium Tridentinum *Seff. xxv.* 20. Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione, & sanctionibus canonicis* institutam esse, sciscit. Unde porrò Clericos in rebellione contra Principes seculares læsæ Majestatis crimen admittere posse negant, quam sententiam communem esse, Card. Alex. *in cap. Inprimis S. de pers. cal.* 5. *non obest opin.* 2. *q.* 3. Somez *in S. rursus n.* 24. *Instit. de actionibus*, aliique testantur.

De eadem sententia Suarezii & Bellarmini proposita, obiterque perstricta.

LXVIII. De hac Clericorum exemtione latè admodùm Suarez, & Bellarminus cumprimis disputant. Et Suarez, quidem in defensione fidei Catholicæ adversùs Anglicanæ sectæ errores libro quarto toto, ita rem istam expedit, ut sustineat comprobare pluribus. *Clericos omnes jure Divino & humano à potestate Principum Secularium esse exemptos, non solùm in spiritalibus & ecclesiasticis causis*, cap. 2. *sed etiam in rebus & causis temporalibus.* cap. 3. *Summum Pontificem omni jure Divino & humano ab omni jurisdictione secularium Principum esse exemptum*, cap. 4. *adeò ut non possit se humano judicio subjicere*, cap. 7. *Clericos omnes sub Pontifice existentes, à jurisdictione temporali Principum Divino jure esse exemptos*, cap. 8. *in causis civilibus*, cap. 14. *in causis criminalibus*, cap. 15. *Privilegium illud fori includere exemptionem à legibus civilibus*, cap. 16. *à tributis & oneribus*, cap. 17. *tam personalibus* cap. 22. *quàm realibus*, cap. 25. Non dissimulat tamen idem Suarez *cap.* 8. multos Doctores Catholicos in alia omnia ire, statuentes scilicet, *immunitatem Cleri*

Clerinon de jure Divino, sedhumano esse. Bellarmini sanæ verò de immunitate Cleri disputationis propositionibus quibusdam innexæ, quæ libro *de Clericis lib.* 1. *cap.* 28. extat, summa huc redit: *In causis ecclesiasticis, quarum cognitio non à legibus, sed ab Euangelio & canonibus Ecclesiæ pendet, liberos esse Clericos jure Divino à Secularium Principum potestate,* (quasi scilicet causæ ecclesiasticæ à Magistratu civili, ad Ecclesiæ ordinem conservandam & stabiliendam, non etiam cognosci possint; vel in ejusmodi causis, quarum cognitio ab Euangelio pendet, clerici jure Divino à Secularium Principum potestate magis liberi sint, quàm alii Christiani quivis:) *Non esse exemptos Clericos ab obligatione directiva legum civilium, quæ actiones humanas in commerciis temporalibus dirigunt, & sacris canonibus, vel officio Clericali non repugnant: exemptos tamen esse ab earundem legum obligatione coactiva, nisi eædem leges ab Ecclesia approbatæ fuerint,* (qualis verò, Bellarmine est obligatio directiva, distincta à coactiva, seu potestate cogendi in superiore, & necessitate parendi in inferiore?) *non posse Clericos à judice Seculari judicari, si leges civiles non servent,* (quod cum legibus & Exemplis V. T. cum præcepto Apostoli Rom. XIII. I. cum ipso denique jure naturali, quo partes omnes Reip. judicio totius subjiciuntur, è diametro pugnat:) *Bona Ecclesiasticorum, tam Ecclesiastica quàm secularia libera esse, ac meritò esse debere à tributis Principum Secularium.* (id verò licet in tenuibus ministrorum alimentis, & scholastica suppellectile, probatæ æquitatis sit; in Regalibus tamen Episcoporum & Monasteriorum opibus ac latifundiis cum iniquitate summa conjunctum est, cùm ita quoad communes sumptus ferendos, bona illa, præstantissima sint quasi extincta, & uti loqui amant, *in manu mortua:*) *Exceptionem Clericorum in rebus politicis, tum quoad*

quoad personas, tum quoad bona introducta esse jure pariter humano & divino positivo, non quòd id expressè in S. literis præceptum, sed quia id ab exemplis vel testimoniis Veteris vel Novi Testamenti per similitudinem quandam deduci possit: denique exemtionem eandem pertinere ad illum gradum præceptorum naturalium, quæ deducuntur quidem ex principio juris naturæ, sed per consequentiam, non absolutè necessariam, nec omnino evidentem, & ideo egere humana constitutione, adeóque ad jus gentium rectè referri. (quasi scilicet vel de jure Divino sit, quod factum aliquando in quopiam scriptura testatur, vel ad jus naturale referri possit, quod consequentia absolutè necessaria & evidenti destituitur, ne dicam propositiones hasce posteriores Bellarmini à gregalibus Covarruvia, Medina, aliis pridem jugulatas, & obelo confossas esse) Hactenus Bellarmini etiam κυρίαι δόξαι Exemtionem Cleri à juramento fidelitatis & Suprematus Principi temporali præstando, à tributis eidem pendendis denique à suppliciis, quæ civiles Magistratus à sceleratissimis expetere possit, palam doceri, & pro dogmate in Papatu certissimo haberi, idem qui supra Celeb. Barlovius *Pap. Regiæ Pot. Evers. pag.* 101--125. irrefragabilibus testimoniis probatum dedit.

Dei verbo exemplis V. & N. T. Imperatorum Christianorum legibus, Reipublicæ utilitati quàm maximè illa adversatur.

LXIX. Plenaria hac exemtione cleri haud scio quidquam ne sit vel magis adversum sive juri Divino, omnem animam potestati eminenti, quæ utique, ceu gladium gestans, & tributa imponens, secularis intelligitur, subjicienti; sive exemplis V. & N. T. ipsiúsque adeò Christi & Apostolorum, sive Imperatorum Christianorum genuino Papatu antiquiorum, nominatim Valentiniani senioris, Theodosii utriusque, Martiani, Justiniani, Heraclii, Caroli M. Ludovici Pii, aliorum, quorum innumeras leges, quibus ecclesiam illi rexerunt, M. Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. lib. vj.* 6. recenset, praxi: vel Reipublicæ magis

magis perniciosum. *Nihil* enim, uti quondam Imperator Antoninus apud Capitolinum in Pio, dixit, *est sordidius, imò crudelius, quàm si Rempublicam ÿ arrodant*, vel potiùs erodant, *qui nihil in eam suo labore conferunt: Si, quod ferendum esse leges negant, onus subire recusent, qui lucrum amplectuntur: si lac comedant*, & *lana operiantur*, *& quod crassum est occidant*, atque adeò florem bonorum Reipublicæ depascant, *qui nescio quàm bene gregem Domini pascunt*, certè cupiditatibus utplurimum suis unicè lenocinantur: nisi forte soli Cardinali Galeato (quod de eo Scaliger *Exercit.* CCXI. 2. scribit) *arma, equos, canes, odores, scorta pro bibliotheca fuisse*, quis existimet. Imò quæ major pestis est, quàm in medio sinu habere, non tantum contra quos, si te injuria affecerint, mutire non ausis; sed etiam, qui alienæ potestati fidem dederint, hoc est, qui teneantur ad nutum alterius contra te arma sumere, nec ut maximè velint, abnuente externa potestate, quicquam pro salute tua facere queant? Tales verò Clerici sunt, qui ad nutum Capitolini Imperatoris sui, contra ipsam, in qua degunt, Rempublicam insurgere non verentur. Ejus enim unius summum agnoscunt Imperium, ipsi soli tenentur fidelitatis juramento obstricti, ejus forum agnoscunt unicè. Quòd si ergo Pontifex classicum cecinerit, tot quælibet Respublica contra se experietur hostium exercitus, quod in sinu suo cœnobia Monachorum, conventus Sacerdotum, Collegia Canonicorum habet. Peregrini sunt, qui in Republica versantur, cui non sunt subjecti, à quibus maximè timendnm esse, Philosophus *Polit. v.* 3. monet. Unde nomen hostis, quod olim peregrinum significavit, in odium abiit. Proin Clerici, qui in Republica degentes, non Reipublicæ, sed alieno Imperio parent, non alio quàm peregrinorum loco haberi possunt, nec minus ab iis timendum, imò eo ma-

gis etiam, quò arctiùs suo superiori, Pontifici Romano, potenti adeò Domino obstringuntur, & quò penitiùs in Reipublicæ arcana penetrare valent.

Querela Pontificum de violatis Ecclesiæ libertatibus iniquitas. Bulla Cœnæ Domini adversus Imperatores, Reges &c. crudelitas.

LXX. Si quando jurisdictionem in Clericorum personas & bona Supremæ potestates civiles exercent, uti à Venetis, Gallis, aliis, pro jure eorum strenuè factitatum, atque ejus rei vestigia non pauca, tum quoad criminales, tum quoad civiles Ecclesiasticorum causas, apud Rousselium *Histor. Jurisdict. Pontific. lib. iv. cap.* 3. 4. nec non Scriptores illos, qui ineunte hoc seculo pro Venetis adversos Pontificios solertissimè pugnarunt (quorum argumenta Thuanus *Annal. lib.* 137. repetit) legere est: vicissim Clerici Ecclesiæ libertates pupillam oculi sui, cujus quæsitissimus sensus est, lacessi, violari, clamitant. Ita libertas Ecclesiæ, illa scilicet ἱερὰ καὶ ἄσυλος ἀρχὴ, non jam liberationem à maledictione legis, Imperio Sathanæ; sed prærogativas temporales, & privilegia, per quæ Clerici jugum civilis potestatis excusserunt, iis sonat. Veluti si à Clero decimæ exigantur, facinerosi Sacerdotes & Monachi à civili potestate pœnis civilibus afficiantur, vectigalia bonis patrimonialibus Episcoporum imponantur, & si quid hujusmodi aliud. Sanè famosa illa de Cœna Domini Bulla, de qua fusius Historiæ Papatus *Ss.* CCXL disseruimus, quotannis die illa Jovis, quæ proximè diem Paschatis antecedit, non hæreticos duntaxat cujuscunque sectæ, & fautores eorundem, sed eos etiam, qui *libertatem Ecclesiasticam* perturbant, *etiamsi*, ita Papa solennia insaniens pronuntiat, *Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque dignitate præfulgeant*, solenni excommunicationi implicat. Ibi inter alios etiam diris dirissimè devoventur, qui à Clero *decimas, taleas, præstantias, & alia onera, absque Romani Pontificis speciali & expressa licentia* exigunt, nec non *qui admittunt appellationes*

nes

nes à gravamine, quas Galli vocant *appellationes ab abusu*, per quas qui conqueruntur se injustè opprimi in foro Episcopali, ad judicia Secularia provocant. Excommunicatione decima quarta etiam disertè nominantur Parlamenta, Cancellarii & Consiliarii, qui ad se trahunt, *causas spirituales*, id est, *quæ sunt Clericalis aut Episcopalis cognitionis, quamvis agatur de pecuniis & damnis civilibus.* In Gallia bona patrimonialia Episcoporum Regi pendunt vectigal. Quod crimen Toletus *Instruct. Sacerd. lib. j.* 29. 2. pertendit decimo capite hujus excommunicationis comprehendi, sic loquens, *Imponentes collectas super bonis patrimonialibus Ecclesiasticorum, excommunicati sunt.* Tanta Regum patientia est, qui à Papa quotannis diro, maximè solenni & atroci anathemate perculsi licet. Impensè tamen adeò eum colunt, ac ne quidem ut clausulæ Bullæ istius, directè eos ferientes expungantur, postulant.

LXXI. Eat nunc Academiæ Parisiensis Cancellarius illustris famæ, Johannes Gerson, & miseratus sortem Imperatorum & Principum ob temporalia excommunicatorum, Pontifici suo inculcet denuo, abnunciétque excommunicationem non ob *temporalia*, quamvis spiritualibus annexa, sed ob *merè spiritualia* stringendam esse, quia (*ita lib. de vita spirit. animæ coroll. ij. proposit.* 5. *& de Eccles. potest. considerat.* 4. loquitur ille) *excommunicatio est baculus purè spiritualis, proptereáque non assumendus ad protectionem rerum temporalium, quoniam res temporales non debent conservari vel repeti cum majori detrimento eorum, à quibus repetuntur, quàm sit utilitas proveniens apud repetentes. Sed excommunicatio*, inquit, *majus damnum infert, quàm sit utilitas ulla temporalis. Ergo non est inferenda pro re temporali. Neque videtur æquum, ut Ecclesia in sceleribus vindicandis atro-*

Gersonis rationes, quòd ob temporalia nemo excommunicari possit, Pontificiis opposita.

 cior

cior sit justitia seculari, cui sufficit in corpora sævire. Et si non pro qualibet contumacia infligitur mors apud Principes Seculares, quæ est ista Ecclesiasticæ libertatis mansuetudo, ut passim pro similibus aut minoribus culpis spiritualem mortem inferat? Hæc ille, surdis scilicet fabulam cantans.

Potestatem, quam Spiritualis, & Ecclesiasticæ jurisdictionis prætextu Papa extra territorium suum usurpat, esse imperium merè terrenum, evidenti argumento, quod Ecclesia jurisdictionem propriè dictam nullam habeat, conficitur.

LXXII. Si quadruplicem Papæ, quam in rebus merè temporalibus is exercet, potestatem excussimus. *Primam* & *Secundam*, in patrimonium scilicet Petri, & Reges ac Principes feudi nexu sibi devinctos, qua Principem temporalem & Ecclesiasticum simul: *Tertiam* in Imperatores, Reges, Principes Christianos quosvis; *Quartam* in Clerum, seu homines, uti vocant, Ecclesiæ, qua Principem Spiritualem & Ecclesiasticum usurpare eum, Pontificiæ potestatis hyperaspistæ decernunt. Cæterùm vocabulorum *spiritualis* & *Ecclesiastici* tectorio incrustari Pontificis Imperium merè terrenum, & temporalem in Christianos quosvis nomen & sacra ejus professos potestatem, nemo sanus inficias amplius iverit. Omnis enim jurisdictio, quæ non est potestas verbi Divini prædicati, & cordibus hominum per Spiritum S. & Ministerium Euangelicum applicati, mera est chimæra, vana, futilis & jurisdictio non re, sed nomine tenus talis, nisi quatenus cum potestate civili & terrena coincidit. Quæ sola probatio abundè fidem facit, Papæ in Reges & nationes, ac magnam etiam partem in Clerum ipsum, Imperium esse merè terrenum, temporale, Civile & politicum, quale in omni societate hominum exercetur. Neque magis Ecclesiastica jurisdictio propriè dicta, & à civili distincta jurisdictio est, quàm Medica, Juridica, mercatoria, fabrilis. Aliæ quidem sunt leges Ecclesiasticæ à civilibus, rituales à politicis, despoticæ à militaribus, matrimoniales ab illis, quæ fabris & mercatoribus finguntur. Robur tamen & sanctionem

nem ab una eademque poteſtate civili ſumma & architectonica, cujus ſolius eſt jubere, cogere & punire, accipiunt. Ipſa lex Divina, ipſemet adeò Decalogus legum civilium formam à ſumma poteſtate civili accipit. Quantò magis leges Eccleſiaſticæ, cenſuræ & conſtitutiones Paſtorum? An dicere ſanus quiſpiam poteſt, in ſocietate civili Decalogum, inter fulgura & tonitrua olim ſancitum, robur, vim & ſanctionem Summi Magiſtratus civilis exigere: Papæ verò ſolius ſanctiones peculiari prærogativa vim legum habere, ut citra ſanctionem poteſtatis Civilis jubere & punire poſſint? Cúmque Deus Chriſto per miniſterium Euangelii omnem poteſtatem ſecularem, omnem animam, agenda & dicenda omnia ſubjecerit, neque adeò Chriſti Miniſter & Paſtor Euangelicus aliquis in credendis & faciendis judicio utatur vel imperativo vel coactivo, ſed ſuaſorio, hortatorio & declarativo duntaxat: & tam latè pateat Paſtoris Euangelici cognitio, quàm ipſa juriſprudentia, imò tantò latiùs, quantò officiorum quàm juris regula latiùs patet: ex adverſo etiam Deus in terris omnem perſonam, omnes lites, dicenda, agenda omnia, de quacunque re aut negotio, in quocunque loco, tempore & cœtu hominum quoad judicium præcipiens, cogens & puniens, cognitioni & Imperio ſummi Magiſtratus, non utique Eccleſiaſtici (cujus in ſacro codice, nulla uſpiam mentio extat) ſed civilis & politici, ſubjecerit, manifeſtum eſt, Papam, quatenus Imperium in Reges & populos extra territorium ſuum exercet, eatenus Imperium merè terrenum, jurisdictionémque civilem & politicam exercere, nec niſi ad fucum faciendum, illud vocabulis *Eccleſiaſtici* & *Spiritualis*, ne imperium ejus terrenum diſpaleſcat, obducere.

LXXIII. Ex iis quæ hactenus dicta ſunt, meridiano clariùs jubare emicat, Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ *& argumentum concluditur;*

Romanæ dominantem, in Principe suo Papa, supremam sibi in spiritualibus potestatem arrogare, ejusque prætextu & titulo summum, atque illud merè terrenum & temporale in Reges & populos terræ Imperium gerere; adeóque, quod inde ἀναγκαίως consequitur, Ecclesiasticæ & spiritualis potestatis titulo Regnum in Reges & populos terræ terrenum obtinere, & ceu Reginam super aquis, hoc est, populis, gentibus, linguis multis, ipsaque Bestia sedere, denique cæteris paribus Babylonem Magnam esse, quod præsens demonstrationis nostræ caput erat.

atque Papa Innocentii IV. ipsius consensu amplius firmatur.

LXXIV. Judicem insuper appello ipsum Innocentium IV. ex quo nullo negotio Papam, ceu Babylonium Regem & Monarcham αὐτοκατάκριτον sistere licet. Is nempe Epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum scripta disertis verbis professus, *Petro*, proin etiam Romano Pontifici, *non solùm universam Ecclesiam, sed totum etiam Seculum gubernandum commissum esse*, id approbare conatus est Scripturæ testimoniis, inter alia sic ratiocinatus: *Cum aquæ multæ sint populi multi* (id verò ipsi ex Apoc. XVII. 15. ubi de Babylone sermo est, constiterat) *congregationésque aquarum sint maria; per hoc, quòd Petrus super aquas maris incessit, super universos populos se potestatem accepisse, monstravit*. Quid ni eodem argumento personatum Petrum, Papam scilicet, & Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem, Babylonem magnam esse concludere fas sit? Cùm enim *aquæ multæ sint populi multi* (Apoc. XVII. 15.) & Babylon Magna non tam incedat, quàm, quod plus est, *sedeat super aquis multis* (Apoc. XVII. 1.) hoc est, imperitet *populis, turbis, gentibus & linguis multis* (cap. XVII. 15.) Papam etiam Romanum, & Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem, non ambulantem duntaxat, sed sedentem etiam super aquis multis, adeóque, uti Innocentius fatidico spiritu suo declaravit, *super universos populos*

los potestatem sortitum, Babylonem Magnam esse, invicta argumentatione consequitur. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DISSERTATIO NONA.

QUA

Hierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem Babylonem Magnam esse probatur Quartò, *quia Babylonis M. habitus externus prætumidus ei quadrat.*

BREVIARIUM.

I. *Argumentum quartum ab habitu Mulieris exteriori petitum Syllogismo innectitur, cujus propositio probatur.*

II. *Assumptio demonstrata per partes. Mulier gemina, altera casta, Sponsa Christi; altera Meretrix distinguitur.*

III. *Hierarchia Romana, Mulier Meretrix est, sponsæ Christi inimica.*

IV. *Id ipsum muliebris ejus & lasciviens animus, dominantis licet Viris, ostendit.*

V. *Mulieris Sponsæ Christi exterior habitus.*

VI. *Oppositus eidem Mulieris Babylonicæ exterior habitus, purpura, coccus, aurum, pretiosus lapis, Margaritæ.*

VII. *Cun-*

VII. *Cuncta hæc ad literam in Hierarchia Romana reperire est. Persica ejus religio, & Sybariticus luxus.*

VIII. *Ex Platina Authore Oneris Ecclesiæ, & Bernhardo in genere descriptus.*

IX. *Papa purpura & cocco delectatur.*

X. *Ejus Corona triplex auro gemmísque præfulget.*

XI. *Crux eidem præferri solita auro gemmísque constat. Neque placet Hierarchicis cultus Dei nisi aureus & gemmatus.*

XII. *Secus quàm S. Petro.*

XIII. *Cardinalium Senatus ruber. Galerus & biretum eorundem rubrum, atque hujus necessitas. De vestitus rubri iis præscripti ratione ariolationes.*

XIV. *Habitus Mulieris mystico sensu expositus eidem quadrat.*

XV. *Mulieris exterior habitus habet, quod externa specie purpuram, coccum, aurum &c. referat.*

XVI. *Purpuræ & cocci speciem habuit pretiosus sanguis Christi, quem Hierarchici ubique præferunt, & cujus merito hominem justificari, mereri, satisfacere, legem Dei implere prætendunt.*

XVII. *Auri speciem habent dona Spiritus S. Verbum Dei, doctrinæ eximiæ & salutares. Hæc sibi, ceu peculium suum, Hierarchia vendicat.*

XVIII. *Lapis pretiosus, quo inaurata Mulier est, Petram, super quam ædificata est Ecclesia, quam Petrum Hierarchici faciunt, significare potest.*

XIX. *S. Petri existimatione & authoritate suam Hierarchici suffulciunt.*

XX. *Cum margaritis fideles eximios S. Scriptura comparat.*

XXI. *Talibus Mulier gloriatur; gloriantur Hierarchici,*

ci, apud quos in cultu Dei & fide Sancti, Apostoli, Martyres, Patres utramque paginam faciunt.

XXII. XXIII. *De Patrum inprimis consensu eorundem fraudulenta gloriatio.*

XXIV. *Ad exteriorem Muliebris habitum Aureum quoque poculum refertur. Philtri rationem habere probatur.*

XXV. *Poculum ejusmodi Circæum, intus scortatione & abominatione plenum in manu habere, & propinare populis Hierarchicos, asseritur.*

I. d Babylonis Magnæ characterem *Quartum*, habitum scilicet ejus exteriorem, immani fastu turgidum, ut progrediamur, demonstrationem susceptam novo argumento, quod numero *Quartum* est, hic molimur: *Argumentum quartum ab habitu Mulieris exteriori petitum Syllogismo innectitur, cujus propositio probatur.*

Ille cætus Babylon Magna est, qui, cæteris paribus, similis est Mulieri, amictæ purpura & coccino, inauratæ auro ac lapide pretioso, gestanti in manu poculū aureum, plenum abominationibus & impuritate scortationis.

Atqui Hierarchia, seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans, cæteris paribus, similis est Mulieri, amictæ purpura & coccino, inauratæ auro ac lapide pretioso, gestanti in manu peculum aureum, plenum abominationibus & impuritate scortationes.

Ergo Hierarchia, seu Clerus Ecclesiæ Romanæ, Babylon Magna est.

Propositio extra contentionis aleam ab ipso Dei Angelo ponitur Apoc. XVII. 4. ubi sic habitum exteriorem Babylonis Magnæ definit: Καὶ ἡ γυνὴ, ἡ περιβεβλημένη πορφύρᾳ καὶ κοκκίνῳ, καὶ κεχρυσωμένη χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ, καὶ μαργαρίταις ἔχουσα χρυσοῦν ποτήριον ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς, γέμον βδελυγμάτων καὶ ἀκαθάρτητος πορνείας αὐτῆς. *Et Mulier* erat *inducta purpura*

& cocco & inaurata auro & lapide pretioso, & marcharitis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominationibus, & impuritate scortationis ejus. Mulierem dici Babylonem non propriè, sed similitudine quadam, sani omnes concedunt. Sed & sensum indefinitum verborum illorum *Differt. iij.* 28. 29. 30. reddidimus. Cætera autem paria partim prosecuti jam sumus, partim deinceps prosequemur. Assumptionem nunc quoque probatam demus.

Assumptio demonstrata per partes. Mulier gemina, altera casta, Sponsa Christi; altera Meretrix distinguitur.

II. Babylon Magna vocatur אשה *Mulier*, sequioris sexus homo. Cujus appellationis rationem *Differt. iij.* 8. reddere occupavimus. Etiam Ecclesia, Sponsa Christi, vocatur אשה *Mulier* Apoc. XII. 1. &c. cujus ibidem habitus & fata describuntur. Hæc casta, Deo unicè dilecta, quæ peperit Filium pascentem gentes virga ferrea, quo ad Deum & thronum ejus rapto, illa aufugit in desertum, & à Dracone ex Cœlo in terram deturbato immanem persecutionem passa est. Illa Meretrix propudiosissima (solent autem etiam scorta simpliciter נשים *Mulieres* nuncupari; veluti Jos. II. 1. 4. 8. Prov. VII. 10. XXXI. 3.) venefica sceleratissima (solent enim etiam mulieres præ viris veneficia exercere, adeò ut lex Divina Exod. XXII. 18. non adversus Virum, sed מכשפה Mulierem *veneficam* supplicium dictaverit, significans sexus ejus ad veneficia propensionem) Draconis thronum occupans, cum Regibus hujus mundi incesta consuetudine coalescens, & eosdem, ut & incolas terræ vino scortationis inebrians, adversus priorem illam Mulierem, & Filium ejusdem ad Cœlestum thronum raptum, infesta signa fert, eámque crudelissimè persequens modis omnibus opprimere conatur.

Hierarchia Romana, Mulier Meretrix est, sponsæ Christi inimica.

III. Hierarchiæ Romanæ ceu Lupæ Babyloniæ & scortationem cum Regibus & incolis terræ; & hostilitatem ac certamina cum Ecclesia, Muliere casta, Sponsa Christi, & Filio Dei in cœlesti throno ad dextram Patris sedente

dente

dente perpetua, & impietatem Magicam multifariam, procedens tractatio nostra apertam in lucem proferet.

IV. Fallor, an Babylonem mysticam Spiritus Dei *Mulieris* appellatione insigniens, insinuare haud obscurè etiam voluit, non tam virilem & masculam ei virtutem, quàm muliebrem, lascivientémque animum inesse, & per viros sibi subjectos latè dominari. Id verò quemadmodum Hierarchiæ Romanæ congruat, nemo non videt. Neque enim gladium ipsa gestat, vel ipsa immediatè vim expedit, vel, exceptis ferocioribus nonnullis, qui Amazonas referunt, exercitus ductat, sed, sexus infirmioris instar, firmioris robore cuncta subigit, & humilitatis ac nescio cujus mysterii prætextu rerum omnium potitur. Olim quidem genius Imperatorius, sub cujus alis juvencula hæc Meretricula delitescebat, prævalescens viriliter adhuc dominabatur, cùm Imperatores sibi Imperii habenas ab Episcopis plus quàm civilia meditantibus, extorqueri nondum paterentur. Sed ea tandem rerum conversio secuta est, qua marcescente Imperii vigore illi עריצים *Robusti*, de quibus Daniel loquitur, succumbere cœperunt, & contra Pontificum & Sacrificulorum ἱεροκρατείᾳ per invalescentem superstitionem potestas vehementer amplificata, inania, & specie quadam virilia transmittendo, & clientibus suis, Imperatori, Regibus, Principibus subactis, relinquendo, vim Imperii omnem rapuit; retinuit, & per subjectos sibi viros γυναικοκρατουμένους expediit. Sed hæc παρέργου ὁδόν. Quanquam Spiritum S. non innuisse id, quod planissimè sic evenit, verisimile neutiquam est.

Id ipsum muliebris ejus & lasciviens animus, dominantis lices Viris, ostendit.

V. Mulieri Dei, castissimæ & Sanctissimæ Christi Sponsæ, suum Spiritus Dei habitum circumposuit. Nam inducitur illa περιβεβλημένη τὸν ἥλιον, καὶ σελήνη ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτῆς, καὶ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς στέφανος ἀστέρων δώδεκα, *amicta sole, sub cujus pedibus Luna, & in cujus capite co-*

Mulieris Sponsæ Christi exterior habitus.

rona est duodecim stellarum, Apoc. XII. 1. Nihil equidem attinet hic cum insulsis quibusdam Monachis de B. Virgine Maria cogitare, vel ex hoc ipso habitu ejusdem imaginem sculpere. Hoc ego cum reliquis fabulosis commentis ad authores suos remitto. Sanctæ potiùs & Deo dilectissimæ Sponsæ, Ecclesiæ, quæ *Mulier* dicitur ob infirmitatem in hoc mundo, perinde uti S. Petrus I. Ep. cap. III. 7. Mulieres *infirmiora vasa* vocat, habitus describitur. Magnificè enim amicta *Sole*, luce verbi Divini, Euangelii cumprimis in Prophetarum & Apostolorum scriptis undiquaque fulgentis; sub pedibus veluti calcans *Lunam*, tenebras illas, quæ ante Christum mundo íncubuérunt, denique *coronata duodecim stellis*, Sanctis Prophetis, Patriarchis duodecim tribuum, totidémque Apostolis, universis in uno fundamento Christo suavissimè consentientibus, inducitur.

Oppositus eidem Mulieris Babylonica exterior habitus, purpura, coccus, aurum, pretiosus lapis, Magarita.

VI. Babylonicæ Mulieris diversus longè habitus, ab Angelo Dei depingitur, talis videlicet, qualis hujusmodi meritorium propudium non vulgare, sed Regium (nam Meretrix Regina, qualis quondam Cleopatra, vel potiùs Iezabel fuit, inducitur) decet, quod Christo Regi Regum, & Domino dominantium fidem fregit, crucique ejus valedicens, quæstum in mundo facere occœpit. Solent enim meretrices vel maximè confidere externo cultui, cui impendunt, quicquid habent rerum & temporis. Propterea Apoc. XVIII. 14. quæcunque luxus instrumenta sunt, *ὀπώρα τῆς ἐπιθυμίας τῆς ψυχῆς fructus desiderii animæ Babylonis* appellantur. Nihil igitur habitus hic cœleste habet: Solaris puritatis & splendoris nihil: non calcat Lunam: non radiant cœlestibus sideribus capita. Terrestria omnia deperit, purpuram, coccum, aurum, pretiosos lapides, magaritas, aliáque ejusmodi oculiferia maximis in deliciis habet.

VII. Si

Cuncta hæc ad literam in Hierarchia Romana reperire est: Persica ejus religio, & Sybariticus luxus.

VII. Si ad literam habitus hic explicetur, cuncta hæc sibi ceu eximia Hierarchia Romana vindicat. Omnia purpura, cocco, auro, lapidibus pretiosis margaritis nitent. Quicquid Orienti & Occidenti spoliorum eripitur, Meretrici huic fucandæ & officinæ ejus exornandæ impenditur. Quem enim latet Persica religio luxúsque Sybariticus Pontificum, totiúsque cleri & cultus Romani, qui in eorum palatiis, obeliscis, angiportis, arcubus triumphalibus, statuis, thermis, basilicis, templis, tholis, cippis, altaribus, idolis, stolis, infulis, galeris, dalmaticis, habitúque universo conspicuus est. Cuncta nitent purpura, cocco, auro, lapidibus pretiosis, margarítis; atque eo nitore se incolis terræ insinuant; sicut Daniel cap. XI. 38. 39. prædixit, Antichristum Deum suum מעזים *fortitudinum*, auro, argento, lapidibus pretiosis & desiderabilibus veneraturum esse. Sed de cleri, Papæ & Cardinalium inprimis habitu nonnulla dicentes, fidem oraculo faciamus.

Ex Platina Authore Oneris Ecclesiæ, & Bernhardo in genere descriptus.

VIII. In universum sic Platina in Gregorio IV. quiritatur: *In omnem luxum & libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inspiceres, non homines; quod leve fortasse videretur, sed equos & jumenta: præcedente, dum incedunt, magno adolescentum, & altero Presbyterorum agmine subsequente; non in asinis, ut Christus nostri dogmatis author, & bene vivendi unicum in terris exemplar: sed etiam in equis præferocibus & phaleratis: ac si ex hoste devicto triumphum ducerent. De argenteis vasis, & egregia eorum supellectile, déque cibariis non attinet dicere: cùm & Siciliæ dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius pretii dici possint.* Author Oneris Ecclesiæ *cap.* 19. *Quid quòd Papa incedit inauratus, gemmatus, vario ornatu decoratus, milite stipatus, equo albo vectus, aut à Ministris in altum portatus? Hæc sunt magis dæmonum*

quàm ovium pascua. Ubi non est pastus ovium, sed fastus ovium, ibi non Petro, sed Constantino succeditur. Bernhardus *de Consid. lib. v. cap.* 2. sic Papam alloquitur: *Inter hæc tu Pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt? Si auderem dicere: Dæmonum magis, quàm ovium pascua hæc.*

Papa purpura & cocco delectatur.

IX. De Papæ, Principis Babylonii Supremi habitu multa equidem ad rem dici possent. Defungar paucis Rubrum ei colorem, purpureum & coccineum in deliciis esse, nemo nescit, atque à Marcello Episcopo Corcyrensi *Cerem. Sacr. lib. iij. sect.* 5. *cap.* 5. sic confirmatur: *Ruber color præcipuè ad Papam pertinet.* Idem *Lib. Ceremon. iij. lit.* 3. *f.* 4. *p.* 127. testis est, in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi uti solere Pontificem *cappa purpurea, pellibus armillinis duplicata,* quam primus Bonifacius IX. invenerit. Addit, duobus Papam uti coloribus, *albo & rubro, utroque in pluviali &c. In aliis vestibus non sacris supra rochetum, rubro tantùm; infra rochetum, toga alba, & caligis rubris.* Baronius *ad A.* 324. *n.* 79. Privilegia Gentilium Sacerdotum, qui purpuram induebant, Christianis Sacerdotibus tributa esse asserit. Fictitia Constantini M. Donatio supponit, Sedem Romanam gloriosiùs exaltandam, quàm Sedem Imperatoris: atque adeò omnia ei concedit, quibus ad maximam pompam Imperatores uti solent. Inter alia sic pronuntiat: *Beato Silvestro & omnibus ejus Successoribus tradimus palatium Imperii nostri Lateranense: deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumenta.* Paschali II. authori acceptum alii referunt, quòd Papa electus coccinea chlamyde statim ornatur, atque sic in Papali dignitate confirmatur. Sed & Pius II. Perusiam ingressus est, equo vectus candidissimo, duodecim eodem candore præceden-

præcedentibus ſtratis purpura, ſine ſeſſore, frœnis aureis: Magiſtratibus purpuream umbellam auro intextam præferentibus; ſub qua ipſe candida ſindone, ſtola aurea, & purpureo ſuperbus galero vehebatur, Wolphio *Memor. Lect. Tom.* ÿ. *p.* 457. narrante. Simon Majolus *Dier. Canic. Tom.* ÿ. *p.* 42. ex variis authoribus refert, aliis Diis alios colores placere; inferis atros, Cœleſtibus purpureos; quibuſdam, velut Cereri, albos. Papa igitur Cœleſti choro ſemetipſum adſcribens, propterea, juxta Lançellotum *Templ. Jud. lib.* ÿ. 1. *pag.* 540. purpureis veſtibus delectatur. En mulierem purpura coccóque indutam!

X. Inter inſignia Papæ Corona triplex, quæ *Tiara*, *Regnum*, *Cidaris*, utpote ſpeciem referens pilei ſummi Sacerdotis apud Hebræos, & juxta Dianam *Chamaurus* (obcuriſſima voce) alias appellatur, eminet; hieroglyphicum ſcilicet Papalis Majeſtatis, *ad Cœleſtia, terrena & inferna pertinentis*, uti Reinaudus apud Dianam *de Adorat. Papæ pag.* ÿ. loquitur. De ejus origine ſententiæ variant. Antonius Mazaronius *lib. de tribus Pontif. coronis*, Paſchalius *Coron. lib.* XIX. 14. Sigebertus *A.* 550. alii authores ſunt, Clodoveum diadema aureum unionibus & gemmis inſigne, quod *Regnum* dicebatur, ab Anaſtaſio Imperatore acceptum Eccleſiæ offerendum Romam miſiſſe. Hanc Pontifices primùm mitræ ſuæ junxiſſe ferunt. Alterum addidiſſe Bonifacium VIII. *qui dare regna & auferre pro arbitrio animi conabatur*. uti Platina loquitur; poſt Extravagantem *Unam Sanctam* publicatam, communis eſt opinio. Quamobrem etiam Pontifex iſte, ejuſque Succeſſores aliquot cum duplici corona in ſtatuis ac imaginibus Romæ Avinionéque conſpiciuntur. Benedictus XII. tertiam addidiſſe dicitur. Unde *triregni* appellatio orta eſt. Quamvis antiquius hoc geſtamen fuiſſe, Jacobus Cardinalis Papienſis *Comment. de rebus Pauli lib.* ÿ. autumat.

Ejus Corona triplex auro gemmiſque præfulget.

tumat. Sed de origine ejus quicquid fiat, auro pretiosísque unionibus intertextam esse, satis constat. In Paralipomenis enim Urspergensis, Amedeo Sabaudiæ Duce electo Basileæ in Pontificem, vocatóque Felici V. Ludovicus Cardinalis Hostiensis infulam Pontificalem imposuit, æstimatam aureis triginta millibus. Idque etiam Æneas Sylvius in Epistola ad Johannem de Segovia, quæ in *fascic. rer. expet. fol.* 25. 26. reperitur, confirmat. Clemens V. is, qui Sedem Roma Avinionem transtulit, cùm Lugduni coronaretur, in tumultu, equo deturbatus ex tiara carbunculum amisit pretii aureorum sex millium, Platina in ejus vita teste. Qui idem Pauli II. describendo luxui vix putavit stylum suum sufficere. *Fuere*, inquit, *qui dicerent, eum, dum in publicum prodiret, faciem sibi fucis concinnare. De apparatu Pontificis non est cur ambigas, majores ab hoc uno superatos Regno præsertim, sive mitram velis appellare, in quam multas opes contulit, coëmptis undique ac magnis pretiis, adamantibus, Saphiris, smaragdis, chrysolithis, jaspidibus, unionibus, & quicquid gemmarum in pretio est, quibus ornatus, tanquam alter Aaron, in publicum forma humana augustiore prodibat. Inspici tum ab omnibus volebat & admirari.* Et in Hadriano I. eundem Paulum adeò his muliebribus delinimentis delectatum esse scribit, undique conquisitis magno pretio gemmis, & exhausto pœne Ecclesiæ Romanæ ærario, ut quotiescunque in publicum prodiret, Cybele quædam Phrygia ac turrita, non mitrata videretur. En mulierem *inauratam auro, lapide pretioso & margaritis.*

Crux eidem præferri solita auro gemmisque constat. Neque placet Hierarchicis

XI. Nihil dicam de *Cruce* illa, quæ ante Pontificem à Subdiacono fertur, quámque Leo IV. ex auro gemmísque ornatam fieri jussit, *dum nullum*, inquit Platina, *genus ornamenti relinqueret, quod ad dignitatem Salvatoris nostri pertineret.* Nam ita jam pridem persuasum Pontificibus

Cultus Dei nisi aureus & gemmatus.

bus Pontificiiſque, non bene honorari Deum, ſi non omnia ſcateant gemmis, ſi non omnia ſint aurea.

Secus quàm S. Petro.

XII. Non ſic profectò Petrus, *quia* (ſic Eugenium Papam Bernhardus jam olim pulſavit) *neſcitur proceſſiſſe aliquando vel gemmis ornatus, vel ſericis: non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus miniſtris. Abſque tamen his credidit ſatis poſſe impleri ſalutare mandatum: Si amas me, paſce oves meas.*

Cardinalium Senatus ruber. Galerus & birretum eorundem rubrum, atque hujus neceſſitas. De veſtitus rubri iis præſcripti ratione ariolationes.

XIII. Papæ Senatus Edomiticus, Cardinales, toti purpura & coccino præfulgent. Ornamenta eorum ſunt, galerus ruber, ab Innocentio IV. iis vendicatus: birretum rubrum, tam iis neceſſarium, ut ſi abſens creatus intra annum cum ornamento hoc ad Curiam ſe non contulerit, dignitate ſua excidat. Sic decernente Sixto IV. in Bulla A. 1586. die 3. Decembris edita. In conclavi Papam electuri veſtibus croceis uti omnes Gregorius XV. Bulla A. 1621. 16. Nov. vulgata juſſit. Et veſtem purpuream Bonifacius VIII. vel, ut alii volunt, Paulus II. communem omnibus fecit. De ratione verò rubri coloris, galeri & veſtis Cardinalibus præſcripti diverſimodè ariolantur. Johannes Baptiſta de Rubeis *Ration. Div. offic. cap.* 53. rationem hanc reddit, quòd Cardinales ad effuſionem uſque ſanguinis ad defenſionem Papæ & Eccleſiæ parati eſſe debeant. Alii rationem à dignitate & ſplendore eorum arceſſunt. Alii alia conjectant. Rem acu tetigit, quiſquis ſic cecinit, vates:

Semiviros quicunque Patres radiante Galero
Conſpicis, & rubræ ſyrmata longa togæ:
Crede mihi, nullo ſaturatas murice veſtes,
Divite nec cocco pallia tincta vides.
Sed quæ rubra vides Sanctorum cæde virorum,
Et merſa inſonti tota cruore madent;

Aut memor istorum, quæ celet, crimina, vestis
Pro dominis justo tacta pudore madet.

Σοφῶς planè! Neque minùs argutè, imò planè ex sententia vaticinii nostri, Huldricus Zwinglius nostras dixisse fertur, non frustra Cardinales rubros galeros, & purpureas vestes gestare. Sive enim ventilentur, nil eos nisi rubentes nummos, aureos & coronatos reddere; sive premantur, nil nisi rubentem sanguinem innocentum ex iisdem stillare.

Habitus Mulieris mystico sensu expositus eidem quadrat.

XIV. Quis ergo non videt, habitum exteriorem Babylonis Magnæ, si *ad literam* ille explicetur, Romanæ Hierarchiæ congruere exactissimè? Quòd si *mystico sensu*, quem *Dissert. iij.* 29. explanavimus, idem explicetur, nulli certè magis, quàm Hierarchiæ eidem quadrare, comperietur facilè.

Mulieris exterior habitus habet, quod externa specie purpuram, coccum, aurum &c. referat.

XV. Etenim Mulier purpura & cocco περιβεβλημένη *inducta*, auro lapide pretioso & margaritis κεχρυσωμένη *inaurata* cùm dicitur; sic satis apertè insinuatur habere aliquid, quod speciem externam purpuræ, sanguinis, auri, lapidum pretiosorum, margaritarum exhibeat, & in quo unicè se proferat jactétque. Nam & induentes se externa indumentorum specie ostentare, & non raro alia omnia mentiri solent: & quæ *inaurata* sunt, auro extus fulgente, & lapidibus pretiosis foris exsplendescentibus, alia omnia intus tegere & abstrudere possunt. Inauratis enim instrumentis fucus subesse solet, ut foris aurum esse videatur, quod intus vix cuprum est. Mulieris hypocrisis apertè notatur, quæ cum inanibus larvis fuco & fallaciis, omnique ἐνεργείᾳ τῆς πλάνης apparet.

Purpuræ & cocci speciem habuit pretiosus sanguis Christi, quem Hie-

XVI. Purpuræ & cocci speciem habuit pretiosus sanguis Christi. *Quis iste, qui venit de Edom, rubras vestes habens de Bozra? Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimentem tuum est sicut calcantis in torculari?* Esai. LXIII.

LXIII. I. 2. Peccata ſcilicet כשנים *coccinea*, & כתולע *purpurea* (Eſai. I. 18) coccineum & purpuratum ſanguinem Chriſti, quo expiarentur, flagitârunt. Chriſtum ergò, qui *ἐν αἵματι in ſanguine* venit, I. Joh. V. 6. cúmque pro Eccleſia effudit, iſthæc Mulier profiteri & jactare debuit, ſed ſpecie potiùs externa, quàm vi ulla pietatis; tegens externa iſthac ſpecie, quicquid impietatis eſt. Planè ſic Hierarchia Romana Chriſtum, ejus ſanguinem pro peccatis hominum effuſum ubique præfert. Ante omnium oculos Chriſtum cruore madentem ſtatuit. Sanguinis ejus merito nos juſtificari, regenerari, Sanctificari imò & mereri, ſatisfacere Deo pro pœnis temporalibus, legem Dei perfectè implere, liberi arbitrii noſtri viribus ſalutem conſequi, inter *κυρίας δόξας* ſuas pridem retulit. Putares amore Chriſti crucifixi exarſiſſe totos. Sed profectò nonniſi purpurea & coccinea hæc Mulieris veſtimenta ſunt, ſub quibus doctrinam merito ſanguinis Chriſti prorſus inimicam, ſcortationem ſpiritualem, & omne genus turpitudinis occultari, infra manifeſtum faciemus.

[Hie]rarchici ubique præferunt, & cujus merito hominem juſtificari, mereri, ſatisfacere, legem Dei implere prætendunt.

XVII. Solent divina *auri* nomine inſigniri. Ita pretioſiſſimæ Spiritus S. gratiæ Zach. IV. 12. eloquia Dei puriſſima. Pſal. XIX. 10. 11. doctrinæ maximè ſalutares & utiles. I. Cor. III. 12. זהב *χρυσοῦ auri* nomine veniunt. Tali auro inaurata procedit mulier: procedit Hierarchia Romana. Nihil enim magis quàm perpetuam Spiritus S. aſſiſtentiam jactat, eámque ceu peculium quoddam, à quo plebem procul removet, ſibi vendicat. Illa *ſpiritualis* ſolà cluet: populus ceu *animalis*, neque aliter quàm derivato & veluti mutuò à Papa capite accepto Spiritu inſignis, deprimitur. Verbum Dei à ſua ſcilicet authoritate ſuſpenſum, & ſenſu ſuo animatum fœcundatúmque, ceu ſibi proprium, allegat, & ejuſdem teſtimonio omnem, quam uſurpat, poteſtatem & authoritatem confirmare nititur.

Auri ſpeciem habent dona Spiritus S. Verbum Dei, doctrina eximia & ſalutares. Hæc ſibi, ceu peculium ſuum, Hierarchia vendicat.

 Denique

Denique doctrinas quasdam ἐξαιρέτους & principales, cujusmodi sunt dogmata de S. Triade, Christo Salvatore & capite Ecclesiæ, remissione peccatorum, extremo judicio, aliáque ejusmodi frequenter in ore habet. Tali scilicet auro interiora sua, puta Spiritum mundi & Antichristi, dominationem merè temporalem, Suprematum Papæ, cultum creaturarum, ambitionis, avaritiæ, luxuriæ acres affectus, aliáque κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης *inaurare* solet.

Lapis pretiosus, quo inaurata Mulier est, Petram, super quam ædificata est Ecclesia, quam Petrum Hierarchici faciunt, significare potest.

XVIII. Forte λίθος τίμιος *Lapis pretiosus*, quo se Mulier inaurâsse dicitur, significat Petram, super qua ædificata est Ecclesia, Matth. XVI. 18. Hunc pretiosum Lapidem, hanc Petram Hierarchia Romana, ceu palladium quoddam, sine fine & modo jactat, Petri ei omnia alligant; Eam Petrum esse, ejúsque Successores, Romanos Pontifices; atque his, ceu Ostiariis datas esse claves Regni Cœlorum, acerrimè contendit. Observârunt enim pridem Ecclesiæ Romanæ Antistites, hoc de Petro, Ecclesiæ Petra, seu Lapide pretioso, & de claudendi aperiendíque potestate soli Petro commissa, dogma ad Imperii sui fines propagandos, & ad subjugandas terras omnes, per quidem commodum & opportunum esse. Quamobrem opinionem eam artificiosiùs alere, & infinitis technarum copiis, sub specioso ubique *Petri*, ceu *Lapidis* illius *pretiosi* nomine, sustentare, curæ cordíque unicè habuit.

S. Petri existimatione & authoritate suam Hierarchici suffulciunt.

XIX. Etenim *S. Petri* existimatione & authoritate subnixi Hierarchici *C. sic omnes Dist.* 19. pronuntiârunt, *Omnes sanctiones Apostolicæ Sedis accipiendas esse, tanquam ipsius Divina voce Petri firmatas.* Docuerunt, *suam Ecclesiam ab omni errore intactam permanere, gratia & auxilio Petri*, uti Agatho Pontifex *Epist.* 6. *Synod. Const. act.* 4. loquitur. Decreverunt *C. in memor. Dist.* 19. *licet vix ferendum ab illa Sancta sede imponatur jugum, tamen ferendum esse in memoriam B. Petri.* Releverunt

dolia

dolia ſua, & in Donatione Conſtantini *C. Conſtantinus diſt.* 96. exprompſerunt: *Conceſſiſſe eum illis coronam ſuam ex auro puriſſimo, & gemmis pretioſis; qua uterentur pro honore B. Petri.* Illud quoque affinxerunt, *Conſtantinum tenuiſſe frænum equi Papæ, pro reverentia B. Petri ſtratoris officium illi exhibentem.* Imperatorem impulerunt, tanquam vaſallum Pontificis, ut B. Petri eques eſſet, & conceptis verbis *Petro juraret, ſe, quicquid de terra S. Petri ad ſuam poteſtatem pervenerit, Papæ ſanctitati redditurum, & adjutorem Papæ ſanctitatis futurum, ad defendendam terram S. Petri, ſecundùm ſuum poſſe*, uti *S. Cerem. Eccl. Rom. lib.* 1. *ſect.* 10. legere eſt. Archiepiſcopis *C. quoniam quidam, Diſt.* 100. & *S. Cerem. Eccl. R. lib.* 1. *ſect.* 10. impoſuerunt, ut ſentiant, ſuam poteſtatem nullam eſſe, niſi primùm Pontifex *mittat pallium de corpore B. Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis officii.* Solenni Sacramento *C. Ego N. Epiſc. Extra de jure jurando*, Epiſcopos aſtrinxerunt, ut promittant *obedientiam ſuam, & fidem S. Petro, Romanæ Eccleſiæ, & Domino ſuo Papæ.* Imò ab Epiſcopis ad eos, qui dignitates recipiunt, devenerunt, quos eodem ſacramento premunt, uti apud Felinum *Comm. in cap. Ego N. Epiſcop. de jurejur.* legere eſt. Et, quod cætera omnia facilè vincat, ubi formula jurisjurandi in Jure Canonico deſcripta, obligat hoc pacto, *ut defendant regulas S. Patrum*, Papa Gregorius IX. apud Matthæum Paris *in Henrico iij.* & Gregorius XIII. in Bulla ad Mauritium Epiſcopum Imelacenſem, jam olim hodiéque in illorum locum ſubdiderunt, *Regalia S. Petri.* Hæc igitur *Lapidis* illius *pretioſi*, S. Petri, quem *Petram* illi nuncupant, oſtentatio ſi non in maximis, tamen in maximè artificioſis præſtigiis hactenus fuit ſpiritualium illarum fraudum, unde tot bonis hactenus Papa affluxit, & ad tantum Eccleſia

Romana fastigium enixa est. Accedit, qùod, sicut
Hortensius, Cicerone teste, Eloquentiam summis lau
extulit, ut cum ea in Cœlum ipse ascenderet: sic H
chici B. Petrum summis & Divinis elogiis mactare s
ut una cum eo beatiores se ipsos reddant.

Cum margaritis fideles eximios S. Scriptura comparat.

XX. Non lapide tantùm pretioso, sed gemmis
pretiosis, *margaritis* inaurata Mulier inducitur. F
zelo fidei, pietatis, sanctitatis, cognitionis, pat
eminentes Scriptura cum gemmis, seu nobilioribus la
bus comparare suevit. Pertinet huc locus Zachar.
Salvabit illos Jehova Deus ipsorum illo die, ut oves
lum suum, quia אבני נזר *lapides coronæ insigniter em*
super terra ipsius. Ubi *lapides coronæ*, seu coro
gemmæ videlicet, notant homines fideles, quorun
lucet coram hominibus. Qui etiam Ezech. XXVIII. 1
cantur אבני אש *lapides ignis*, carbunculi, lapides
quia in iis est charitas & lux.

Talibus Mulier gloriatur; gloriantur Hierarchici, apud quos in cultu Dei & fide Sancti, Apostoli, Martyres, Patres utramque paginam faciunt.

XXI. Talibus margaritis Hierarchia inaurata in
magnificè. Suos enim jactat fideles & Sanctos omnes
triarchas, Prophetas, justos, Apostolos, Martyres
tres, Doctores. His illa sideribus micat, his gemm
diat. Hos festis, statuis, imaginibus, votis honorat
rum veneratio in externo ejus cultu utramque pa
facit. Horum exuvias auro & argento obductas p
lam ostentat, & venerantibus eas magnifica quæqu
mittit.

De Patrum inprimis consensu eorundem fraudulenta gloriatio.

XXII. Conciliorum & S. Patrum imprimis in pro
& stabiliendis fidei articulis authoritatem quantivis f
re simulat. Consensum enim Ecclesiæ suæ cum Conc
S. Patribus Ecclesiæ veteris inter notas Ecclesiæ p
retulit. Damasi illud: *In Spiritum S. blasphemat*
cunque Patrum Canones violat, in jus Canonicum
q. 1. c. 5. relatum, decantant passim. Crassè adm

Gl

Gloſſator Decreti *Can. Noli meis, diſt.* 9. docet, *Auguſtini, & aliorum Patrum ſcripta olim quidem non fuiſſe authentica, hodie autem juberi omnia teneri uſque ad ultimum jota.* Margo annotat: *Scripta S. Patrum ſunt ad unguem obſervanda.* Sed & *Patrum conſenſum normam eſſe doctrinæ*, theſis erat Jeſuitarum in Colloquio Ratisbonenſi. Hinc adeò Tridentina etiam Synodus *Seſſ. iv.* cavet ſeverè, *ne quis in rebus fidei & morum S. Scripturam contra unanimem Patrum conſenſum interpretari auſit.*

XXIII. Hæc & alia ejuſmodi in ſpeciem ſancita ſunt, ut liquidò appareat, Mulierem *margaritis* talibus *inauratam* quidem, hoc eſt, extus obductam & ſplendidè exornatam eſſe, at ſubeſſe margaritis, perinde ut auro, fucum. Nam cùm S. Patres habeantur meritò pro *gemmis pretioſiſſimis*, quatenus per eos fides in mundo prædicata, & hæreſis debellata eſt; & cauſam habemus exiſtimandi, eos, ſi attendiſſent, aut ſequentia tempora ipſis animus præſagiviſſet, ſuos lapſus correcturos fuiſſe: inprimis cùm illi non aliam regulam tradiderunt, niſi verbum Dei: Hierarchici contra ex Patribus collegerunt non gemmas, ſed carbones quoſdam, errores ſcilicet eorum & *παροράματα*, nec non dicta quædam incautiùs, vel *ἀμφοτερίζοντα*, quibus freti ſibi & doctrinis ſuis authoritatem conciliarent; quaſi Patres propterea ipſorum ſocii cenſendi eſſent. De cætero illos interpolare, lancinare, expurgare, perverſum in ſenſum detorquere, ſubinde aperte ſugillare, denique unius hominis, Papæ libidini ſubjicere, religio iis nulla planè eſt. Senſum enim Scripuræ ajunt examinandum Patrum trutina; Patres veritatis; veritatem populi; populum Conciliorum; Concilia Papæ. Hos ſcilicet ſaltatorios orbes verſant; in his illi circulis tripudiare amant. Quid quòd hac ratione offundunt tenebras oculis, & ſibi

& fibi parant maximam fallendi opportunitatem, dum volunt caufam dici coram judicibus ignotis, & qui à populo Chriſtiano non leguntur; quippe quem linguæ peregrinitas, & operum immenfa moles, & vita aliis curis intenta Patrum fcripta attingere, nedum univerfa rufpari non patiuntur.

Ad exteriorem Mulieris habitum Aureum quoque poculum refertur Philtri rationem habere probatur.

XXIV. Ad habitum exteriorem Mulieris fupra etiam *Aureum poculum, quod habet in manu fua, plenum abominationibus, & impuritate fcortationis fuæ*, retulimus. Poculum quoddam Circæum, philtrum, ad impuros amores pelliciens, quo Meretrices proſtituti pudoris uti folent, indigetari, dubium non eſt. Res enim ipfa loquitur. Philtrum quippe eſt potio amatoria, virus amatorium, compofitio ex rebus variis, veluti bufonum cineribus, cerebro hominum patibulis fufpenforum, carminibus & execrandis verbis, ad amorem extorquendum ab eo, qui biberit. Tale poculum illud Aureum eſt, utpote tum hærens in Manu Mulieris & Meretricis, & veneficæ, quæ ἐν τῇ φαρμακείᾳ αὐτῆς *per veneficium fuum* ac incantationem Nationes terræ feduxit: tum intus plenum οἴνῳ τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας *vino iræ vel veneficii fcortationis*, Apoc. XIV. 8. XVII. 2. XVIII. 3. quibus verbis philtri periphrafis continetur. Nam & Hebræa vox חמה & Græca θυμὸς non tantùm iram, excandefcentiam, fed etiam veneficium fignificat, uti planiſſimè conſtat ex Deut. XXXII. 33. ubi חמת תנינם *venenum Draconum* à LXX. Interpretibus θυμὸς δρακόντων redditur. Sic planè etiam Cornelius à Lapide, Alcafar, alii interpretantur, & Grotius pluribus explicat.

Poculum ejufmodi Circæum, intus fcortatione & abominatione plenum in ma-

XXV. Poculum iſthoc Circæum ex auro conflatum, externa fpecie puriſſima, pretioſiſſima, nitidiſſima quæque oſtentat, quibus interiora fua commendare nititur. Sic planè Hierarchia corticem verborum Dei, Apoſtolicas traditiones, quibus vel malè detortis vel effictis authoritatem fibi

ſibi conciliat; cenſenſum, multitudinem, antiquitatem, perpetuam ſucceſſionem, Cathedram S. Petri, aliáque ejuſmodi præ ſe fert. Papa ipſe aureos ſibi titulos, quibus mundo vinum ſcortationis ſuæ propinaret, aſſumpſit, cujuſmodi ſunt, *Pater Patrum, Paſtor Paſtorum, Pater Sanctiſſimus, Beatiſſimus, Chriſti vicarius, Caput Eccleſiæ, Petri ſucceſſor, Sponſus, fundamentum Eccleſiæ, Princeps Sacerdotum, Epiſcopus Apoſtolicus, univerſalis Vice-Deus* &c. Sed verò quod crama intus aureum hoc poculum abſcondit, & amaſiis ſuis propinat? Nil niſi ὄινον τȣ̃ θυμȣ̃ τῆς πορνείας *vinum veneficii ſcortationis & abominationis*, venenum præſentiſſimum, dogmata impia, blaſphema, veneficia, flagitia, apoſtaſiam à vero Deo, à Regno Dei, à Chriſto capite, à juſtitia Dei; idololatriam, amorem mundi & eorum, quæ in mundo ſunt; fiduciam in falſa juſtitia, adorationem creaturarum, ipſam denique carnalem impuritatem & ſcortationem, quæ ſingula abominationis & ſcortationis nomine in ſacris veniunt. Verbo, Circæum iſthoc poculum veneficiis & faſcinationibus ſuis homines in beſtias, metamorphoſi omnium triſtiſſima, commutavit. Id verò quemadmodum Hierarchici præſtiterint, Eccleſiæ Pontificiæ univerſa facies comprobat, & ex iis, quæ deinceps dicturi ſumus, magis etiam colliqueſcet.

nu habere, & propinare populis Hierarchicos, aſſeritur.

DISSERTATIONIS DECIMÆ,

QUA

Hierarchiam, seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem Babylonem Magnam esse probatur Quintò, *quia ejus Caput, Papa, se, ceu Numen Divinitatis particeps, religiosè coli patitur;*

SECTIO PRIOR.

QUA

Papam Romanum, Hierarchiæ Caput, Divinitatem affectare, tum ex nomine Dei, tum ex octo Divinis attributis, quæ sibi vindicat, demonstratur.

BREVIARIUM.

I. *Argumentum Quintum ab affectata à Papa Divinitate & religioso cultu petitum, & Syllogismo inclusum preponitur; ejusdemque propositio probatur.*

II. *Assumptionis demonstratio de capite Hierarchiæ Papa ipsam Hierarchiam ferit.*

III. *Numen particeps Divinitatis, seu Deum esse, tria significat, habere æternitatem &c. peccatori de ratione justitiæ & vitæ testari, & per testimoninm illud fidem obligare;*

obligare; denique facto ipso salvare.

IV. *Deum etiam se facit, quisquis aliquid eorum, quæ ad fœdus Dei, justitiam, vitam, salutem spectant, attrectat; non is solus, qui æternum Numen esse & haberi præsumit. Optati Milevitani eam in rem locus insignis. Aliud est vocis sonus, aliud res.*

V. *Et tamen Papam etiam quoad vocis sonum syllabásque nomen Dei, Numinis sumpsisse vel admisisse, ex Conciliis Florentino & Lateranensi, Papæ Gregorii II. & Pauli V. testimoniis; Glossa Juris Canonici, libro Ceremoniarum,*

VI. *Cardinalibus Avinionensibus, Gualando, Aug. Steucho. Baronio & Bellarmino probatur.*

VII. *Objectio Bellarmini, petita ex verbis, Vos Dii estis, diluitur.*

VIII. *Si tamen Dei nomine nunquam Papa venisset, at fecisse eum ac passum esse, quæ vocis ejus defectum suppleant, probatur tum ex Glossatore Decreti, Consilio à Cardinalibus Paulò IV. exhibito,*

IX. *tum maximè ex attributis Divinis octo, quæ Papa sibi vindicat.*

X. *Cujusmodi sunt* 1. *Quòd se facit objectum & regulam fidei, quale solus Deus & ejus verbum est.*

XI. *Walenburgiorum de objecto & regula fidei sententia.*

XII. *Propositio articulorum fidei distinguitur.*

XIII. XIV. *Propositio authentica, & cum authoritate, quam sibi Papa asserit, solius Dei est.*

XV. 11. *Quòd leges innumeras religiosas fert, iisque conscientias fidelium obligari pertendit, quod solius Dei esse, ex Jacobi IV. 12. probatur.*

XVI. *Petulans detorsio loci illius rejecta.*

XVII. *Concilii Tridentini de Papæ potestate legislativa definitio.*

XVIII. *Papa innumeris legibus suis Ecclesiam oppressit, & omnibus ferè creaturis, actionibus humanis &c. peccati labem aspersit.*

XIX. *Jugulum ei ex Col. ij. 18-22. petitum.*

XX. III. *Quòd media justificationis proprio motu, & aliunde non accepta tradit, quod solius Dei esse probatur.*

XXI. *Tridentini Concilii de modo & mediis justificationis definitiones proponuntur,*

XXII. *& justificationem sic definitam non esse eam, quam Deus in verbo suo revelavit, ostenditur.*

XXIII. XXIV. *Neque baptismi pœnitentiæ opus operatum satisfactiones, absolutio Sacerdotis, indulgentiæ, merita media justificationis in verbo Dei revelantur, quinimò cum merito Christi pugnant.*

XXV. *Missæ sacrificium inprimis sacrificium Christi, justificationis causam unicam, evertit.*

XXVI. *Antithesis veri Dei, & Papæ, novelli Numinis, justificationis modum & media dictantis.*

XXVII. IV. *Quòd potestatem clavium herilem, & in peccatis remittendis judicialem, quæ solius Dei est, affectat.*

XXVIII. *Clavium potestas ministerialis explicatur.*

XXIX. XXX. *Papa Claviger magnus sibi soli potestatem clavium vindicat.*

XXXI. *Claves insigne Papæ sunt.*

XXXII. *Petro claves in pictura appropriantur.*

XXXIII. *De eodem solo clavigero fabula vetus, à Rege Angliæ Os Wi recepta, à Baronio laudata,*

XXXIV. *& ab Ecclesia Pontificia studiosè nutrita.*

XXXV. *De subjecto potestatis clavium Scholæ Papalis doctores licet disceptent, soli tamen Petro, ut ordinario, &*

rio, & cum jure successionis à Christo collatas esse, consentiunt.

XXXVI. *Papam solum sibi clavium potestatem, & quidem herilem ac dominantem asserere, probatur.*

XXXVII. *Idem claves in enses, lanceas, sceptra, coronas convertit,*

XXXVIII. XXXIX. *& claves abyssi, in purgatorium & infernum sibi vindicat.*

XL. *In usu clavium se à quoquam judicari posse, quod solius Dei est, Papa negat.*

XLI. *Judicialem in remittendis peccatis potestatem, quæ solius Dei est, sibi Papa vendicat.*

XLII. *Claviger Papa non Regni Cœlorum, sed abyssi claves habere, ab Angelo Apoc. ix. 1. pronuntiatur.*

XLIII. v. *Quòd se Caput, Fundamentum, Petram Ecclesiæ, quæ solus Christus est, mentitur.*

XLIV. *Papam non æquo jure aut gradu cum Christo caput esse Ecclesiæ, verbis profitentur, at dicis causa tantùm.*

XLV. *Capitis primarii & Secundarii distinctionem nil hic obstare, quò minùs Papa Deum se faciat, probatur.*

XLVI. *Fundamenti primarii & secundarii monstrosa distinctio.*

XLVII. *Caput & fundamentum principale Papam haberi velle, ejusdem tituli, & Scripturæ locorum, quæ de solo Christo intelligenda sunt, detorsio ad se,*

XLVIII. *nec non vis vocabulorum, Caput, Pontifex Summus &c. arguunt.*

XLIX. vi. *Quòd potestatem transferendi Regna, & imperitandi omnibus Regibus, Divinam sibi asserit.*

L. *A se coronatos Reges à Deo coronatos pronuntiat, & sacrilegio huic ludibria addit.*

LI. VII. *Quòd dispensandi contra legem Divinam juramenta & vota potestatem sibi tribuit.*

LII. *Jus dispensandi contra legem Dei Papæ vindicatum à Petro de Monte, Gobelino Persona, Glossatore juris Canonici, Innocentio III. Vasquez, Caranza.*

LIII. *Actu jus illud frequenter usurpat.*

LIV. *Et in Constantiensi ac Tridentino Concilio, non sine putida detorsione verborum Apostoli, impudenter, cumprimis exercuit.*

LV. *Andradii & Melchioris Cani,*

LVI. *nec non Bellarmini σοφὰ φάρμακα discutiuntur.*

LVII. *Bellarminus idem Papam de peccato non peccatum facere posse profitetur.*

LVIII. *Dispensatio Papalis circa gradus matrimonii jure Divino prohibitos,*

LIX. *circa juramenta, fidelitatis inprimis,*

LX. *& votorum.*

LXI. *Insolentia Bullarum, per quas dispensat.*

LXII. VIII. *Quòd in apotheosi Sanctos & Divos pro lubitu creat, quod solius Dei est.*

LXIII. *Theopoëtice hæc Chrysopoëtices pars est.*

LXIV. *Canonizationis Papalis modus.*

LXV. *Inscriptionem in librum vitæ, & apertionem Codicis septem sigillis clausi sibi nefariè vindicat,*

LXVI. *atque sic, quòd Deus sit demonstrat.*

Argumentum Quintum ab affectata à Papa Divinitate & religioso cultu petitum, & Syllogismo inclusum pro-

I. Arcem demonstrationis institutæ ingressuri, argumentum nunc palmarium, quod numero *Quintum* est, Syllogismo sequenti constrictum, proponimus:

Ille cœtus Babylon Magna est, qui cæteris paribus, se in capite suo ceu Numen, Divinitatis particeps, à subjecto sibi populo religiosè coli patitur.

Atqui

Atqui Hierarchia seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominaminans, cæteris paribus, se in capite suo, ceu Numen Divinitatis particeps, à subjecto sibi populo religiosè coli patitur. *ponitur, ejusdemque propositio probatur.*

Ergo Hierarchia, seu Clerus Ecclesiæ Romanæ dominans, Babylon Magna est.

Propositionem jam supra *Differt. iij.* 8-13. extra contentionis aleam posuimus. Ostendimus enim, Babylonis Magnæ, ceu Matris Scortationum terræ, & Borboritici propudii, scortationem non in eo duntaxat, quod ad cultum Divinum creaturarum, & scortationem corporalem seducit, sed in eo præcipuè, quòd se ipsam pro Numine Divinitatis participe venditans, ad cultum venerationémque sui Reges & incolas terræ invitat, iisque procumbens satietatem cupiditatum, deliciarum, bonorum omnium, temporalis & æternæ salutis, promittit. Planè sicut eadem Babylon Mystica Esai. XIV. 13. 14. in corde suo dicens inducitur: *Cælum conscendam, super stellas Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte congregationis, in lateribus Aquilonis. Ascendam supra altitudines nubis.* ארמה לעליון *Assimilabor Altissimo.* Et sicut Filius perditionis 2. Thess. II. 4. se efferre dicitur ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ Σέβασμα, *super omnem, qui Deus aut Numen dicitur, adeò ut in Templo Dei tanquam Deus sedeat*, ἀποδεικνὺς ἑαυτὸν, ὅτι ἐστὶ θεὸς, *demonstrans se, quòd sit Deus.*

II. Omnis ergo nunc cardo in eo vertitur, ut Assumptio liquidò probata in aperta luce statuatur. Procedet autem probatio nostra de Capite Hierarchiæ, Pontifice Romano, Præterquam enim quòd, quicquid capitis, partis potioris est, illud totius est; insuper etiam Hierarchiæ omnis vis & potestas dominans juxtu Hieromonarchicos in capite ejusdem Papa residet. Sicut contra omnis virtus & potestas Ecclesiæ, ceu corporis Christi, in Christo capite contine- *Assumptionis demonstratio de capite Hierarchiæ Papa ipsam Hierarchiam ferit.*

continetur. Quæstio enim illa, *An Consilium*, Hierarchiæ totius confluxus *sit supra Papam, an Papa supra Consilium;* Hieromonarchicos inter & Hierarchicos acribus studiis hactenus disceptata, nec dum definita est. Posterius autem à plerisque, imò verè Pontificiis omnibus, receptum cùm sit; nos ubi Papam Hierarchiæ caput sibi, ceu Numini Divinitatis participi, religiosum cultum vendicare demonstraverimus, abundè partibus nostris defunctos, æqui rerum æstimatores judicabunt omnes.

Numen particeps Divinitatis, seu Deum esse, tria significat, habere æternitatem &c. peccatori de ratione justitiæ & vitæ testari, & per testimonium illud fidem obligare; denique facto ipso salvare.

III. Numen Divinitatis particeps, seu *Deum* esse, tria significat. *Primò* habere æternitatem & immensitatem, esse omnium rerum causam, habere sufficientiam ad justificandum & sanctificandum peccatorem. *Secundò* testari peccatori de ratione justitiæ & vitæ, & per testimonium illud obligare fidem, adeóque se proponere ad fiduciam in se collocandam ad salutem. Ita *habere* aliquem *pro Deo*, est in aliquem credere, fiduciam in eo collocare, ei, ut legislatori, authoritatem in se habenti, se subjicere, uti ex Deut. XXVI. 17. 18. Psal. XXXIII. 12. Zachar. XIII. 9. &c. liquet. Eum ergo ad quem nostra ὁμολογία fides, obedientia cum gloriatione & spe justitiæ, salutis, fertur, recipimus in Deum. *Tertiò* facto ipso salvare, tum merito, tum efficacia. Quò pertinent promissiones Genes. XVII. 8. Levit. XXVI. 12. Jerem. XI. 4. XXXI. 33. Hinc adeò Salvator ex illo elogio, *Deus Abrahami*, post mortem Abrahami audito conficit primò vitam Abrahami; deinde resurrectionem Matth. XXII. 32. Luc. XX. 38.

Deum etiam se facit, quisquis aliquid eorum, quæ ad fœdus Dei, justitiam, vitam, salutem

IV. Cæterùm non ille duntaxat se Deum, Numen Divinitatis particeps facit, qui præsumit esse & haberi æternus Deus, causa rerum, author & largitor vitæ æternæ per efficaciam; sed etiam, qui quicquam eorum, quæ ad fœdus Dei, fidem, justitiam & vitam spectant, attrectat. Neque proin opus est, ut quisquis se, ceu Deum, religiosè

giosè coli patitur, se profiteatur æternum Deum, causam rerum omnium. Nam & ille se ἀποδεικνύῃ demonstrat, *quòd Deus sit* (2. Theff. 11. 4.) qui aliquid eorum, quæ soli Deo competunt, sibi arrogat. Ita Optatus Milevitanus *lib. iij.* Donati Carthaginensis temeritatem exagitans, sic ei insultat meritò: *Hoc modo exaltatum est cor ejus, ut sibi jam non homo, sed Deus videretur.* Et paucis interjectis: *Ad quem Deus sequitur, dicens, Dixistis. Ego sum Deus. Ideo quamvis non sit usus hac voce, tamen aut fecit, aut passus est, quod defectum hujus vocis impleret. Extulit cor suum, ut nullum hominem sibi comparandum arbitraretur: & de tumore mentis suæ altior sibi visus est esse: quia quicquid est supra homines, jam quasi Deus est. Deinde cùm Episcopi Deo debeant famulari, tantum sibi de Episcopis exigit, ut eum non minori metu omnes venerarentur, quàm Deum. Hoc est, quòd sibi Deus visus est.* Rursus: *Dum Episcopus inter suos Coëpiscopos non fuit, nec homo inter homines esse voluit, constat, quòd extulit cor suum, & Deus sibi fuisse videbatur.* Distinctæ ergo jam sunt quæstiones de vocabulorum sono, & de re per ea vocabula significata; potéstque adeò, qui se non totidem Syllabis dicat esse Deum, tamen ita se gerere, quasi sit Deus.

spectant; attrectat; non is solus, qui æternum Numen esse & haberi præsumit.

Optati Milevitani eam in rem locus insignis. Aliud est vocis sonus, aliud res.

V. Sed possumus tamen præoccupare reliqua, & de ipsis syllabis ante omnia quæstionem intentare. Nam Dei nomen non semel Papa admisit. Testari possunt Concilia, Bullæ Papales; Inscriptiones publicæ, Jus Canonicum, libri Ceremoniarum, aliaque similia. Lubet ἀχροθινιάζειν. In Concilio Florentino Johannes Abbas Ægyptius sic Eugenium IV. uti Acta Concilii *p.* 111. *pag.* 551. referunt, salutavit: *Nil aliud quàm tremor apprehendere potest me hominem. Pulvis sum & cinis coram te Deo in terris verba faciens. Es namque Deus in terris, &*

Et tamen Papam etiam quoad vocis sonum syllabásque nomen Dei, Numinis sumpsisse vel admisisse, ex Conciliis Florentino & Lateranensi; Papa Gregorii II.

 Chri-

Pauli V. testimoniis; Glossa Iuris Canonici, libro Ceremoniarum,

Christus & vicarius ejus. Tu Princeps Regum &c. Adeò grata fuit Papæ confessio, ut propterea cum eo unionem Jacobitarum nomine flagitatam promptè iniverit. In Concilio Lateranensi *Sess.* 4. & 9. Julius II. insigniente Marcello, audiit *alter in terris Deus:* & Clericus Cameræ Apostolicæ Antonius Puccius Leoni Papæ tribuit *Divinæ Majestatis conspectum, cujus rutilanti fulgore imbecilles occuli caligent.* Acta Concilii hujus ab eodem Leone X. approbata sunt. Gregorius II. Epistola ad Leonem Isaurum: *Denuntias te imaginem Petri eversurum, quam omnia Occidentis Regna velut Deum terrestrem habent*, persuasum scilicet habens, in persona Papæ vivere Petrum. Quomodo etiam Papa Petri nomine in Concilio Rhemensi A. 1131. venit. Aræ cuipiam Romæ, si rectè memini, inscripta hæc verba sunt: *Paulo V. Vice-Deo, Pontificiæ omnipotentiæ Vindici acerrimo.* Ubi licet *Vice-Deus* quiddam Deo minus sonet; non tamen sine summa Divini Numinis contumelia. Papæ *Omnipotentia* tribuitur. Prætereo libens elogium *Filii Dei*, quod Innocentius X. adhuc Cardinalis Pamphilii nomine insignis, sed jamjam Papa creandus, à Johanne Baptista Calumsyrito, homine Italo-Græco, sibi tributum æquo animo admisit, in Historia Papatus *ff.* 255. à nobis narratum. Sic autem Pamphilius ille cum Filio Dei ibi blasphemè comparatur, ut Filio Dei præferatur non uno modo. In jure Canonico *Gloss. ad Cap. Cum Inter. 4. verbo Declaramus, de verb. Signif. in Extravag. Joh.* XXIII. glossema extat, quod parùm timidè rem gerit. In eo enim sic habetur: *Dominus Deus noster Papa.* Ubi haud indignum notatu est, quòd cùm Thomas Manriquius, Sacri Palatii Magister, *Censur. in Gloss. Jur. Can. Cal. A.* 1572. *pag.* 13. 14. *&c.* Glossam hanc omittendam putaverit, Gregorius tamen XIII. aliter censuit, eámque cum pluribus.

ribus id genus aliis Bulla Romæ A. 1580. 1. Jul. data, & Juri Canonico Romæ & Parisiis edito præfixa, comprobavit. Adhuc enim in eo Juris Corpore glossema superest. Licet autem Congregatio Indicis, atque Inquisitores in Indicibus Expurgatoriis has similésque sententias, *Abraham fide justus: Christus credentibus salus: Justitia nostra Christus: Omnes sumus peccatores* &c. expurgare nulli dubitaverint; execrandum tamen illud glossema in ultimis, emendatissimisque Juris Canonici editionibus intactum prætermiserunt. In postremis equidem exemplaribus ad marginem apponitur: *Hæc verba sano modo sunt accipienda;* hoc est, secundum Johannem Andream, qui Glossæ author fuerat, ita intelligenda sunt, ut Papæ Supramatum longè maximum efficiant. *Prolata enim sunt,* inquit, *ad ostendendum amplissimam esse Pontificis Romani potestatem.* Alibi *Dist.*96. *Cane satis* sic Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum scribens inducitur: *Satis evidenter ostenditur, à seculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem constat à Pio Principe Constantino Deum esse appellatum, cùm nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum sit.* Placuisse verò idem Successoribus, argumento est, quòd hæc Nicolai verba in Decretum Gratianeum admiserunt omnes, expunxit aut emendavit nemo; etsi in rejiciendis iis, quæ vel leviter Papali honori derogant, nulli operæ harpyæ istæ pepercerint. Denique & in libro Ceremoniarum primo, *Sect.* 7. *Cap.* 6. Sedes Pontificis *Sedes Dei* appellatur.

Cardinalibus Avinionensibus, Gualando, Aug. Steucho, Baronio & Bellarmino probatur.

VI. Ex privatis Pontificiorum scriptis longè plura excerpi possunt. Excerpam pauca. Cardinales Avinionenses sic ad Regem Galliæ, Froſſardo *Tomo* IV. *Cap.* 10. teste, scripserunt: *Sicut unicus est in Cœlis Deus, sic nullo jure potest aut debet non esse unicus in terris Deus.* Lælius Zæ-

Zæchius *de Rep. Eccl. cap. de statu Papæ, art.* 28. de Papa sic ampullatur: *Est & dicitur Christi vicarius, & quasi Deus in terris, & quod ipse facit, non humanus Princeps, sed Deus facere videtur.* Erasmus *Annot. in N.T.* 1. *Tim.* 11. testis est, suo tempore disputatum esse, *Utrum Papa simplex homo sit, an quasi Deus participet utramque naturam cum Christo.* Adoardus Gualandus, Episcopus Cæsenas *de Morali & Civili fac. lib. xiv.* 3. sic Papam exornat: *A Papa,* inquit, *tanquam à Capite in universum Ecclesiæ corpus, hoc est, in omnem Christianam Remp. Spiritus influunt Cœlestium gratiarum sensum fructúmque præstantes, & efficacem motum ad sempiternam Beatitudinem. Meritò igitur sanctissimus & Beatissimus appellatur, & ab omnibus Christianam religionem profitentibus, quasi quidam Deus adoratur & colitur.* Augustinus Steuchus, Papæ Bibliothecarius, postquam *de Donat. Const. pag.* 141. fabulam de Constantino, Papam Deum appellante, allegâsset, hæc subjungit: *Audis Summum Pontificem à Constantino Deum appellatum, & habitum pro Deo? Hoc videlicet factum est, cùm eum præclaro illo edicto decoravit, adoravit uti Deum, uti Christi & Petri successorem: Divinos honores ei, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est.* Baronius, & ex eodem Spondanus *Annot. pag.* 1058. tradunt, ad pedes Alexandri III. accessisse Saracenorum industrium Principem, & deosculatum pedes ejus flexisse coram eo genua, & inclinato capite tanquam *sanctum & pium Christianorum Deum* ipsum Pontificem adorâsse. Subjungitur approbatio facti his verbis: *In his autem, quæ dicta sunt de Principe Mahometanorum, videas Dei opera, dum non solùm Christiani Reges, sed & Saraceni assurgunt, & legatione honorifica venerantur Romanum Pontificem, cùm illum impius Roma-*

Romanorum Imperator dirè persequeretur. Bellarminum his omnibus addere libet. Is in Responsione ad Gersonem, quæ habetur inter acta & scripta varia Controversiæ inter Paulum v. & Venetos, *pag.* 468.469. sic scribit: *Teneant pusilli & simplices, Papam quendam Deum esse, & potestatem omnem habere in Cœlo & terris. Deo plus placet eorum infirmitas & simplicitas, quàm firmitudo eorum, qui sibi prudentes videri volunt. Exiguum quid est, Papam pro Deo in terris haberi, cùm de omnibus Principibus in Psalmo dicatur: Ego dixi, Dii estis. Nec inconveniens est dicere Papam potestatem omnem habere in Cœlo & in terra.*

Objectio Bellarmini, petita ex verbis, Vos Dii estis, diluitur.

VII. Imbellis tamen prorsus est illa Bellarmini ex verbis Psalmi LXXXII. 6. *Ego dixi, Dii estis;* petita ratio. Præterquam enim quòd hoc non de potestate ecclesiastica, sed de civili dictum est, quodqne propterea nemo unus Imperator vel Rex pius se Deum vel Numen appellari sustinuit: quòd sermo Dei ad Papam, quo rector mundi constitueretur, factus nullus est: vident etiam omnes, alia mente Papis huncce titulum tribui. Nam consortes illi nullos admittunt, & soli inter homines ecclesiasticos *Deus, quasi Deus* &c. insigniri amant. Alioquin cùm disertum sit, *Dii estis*, si nullo id sibi alio jure vendicaret Papa, deberent quicunque in Ecclesiastica sunt dignitate, *Dii in terris* dici. Atqui Cardinales Avinionenses apud Froffardum *Unicum in terris Deum* nuncupant. Stapletonus quoque in dedicatoria Operis *de Principiis*, Gregorium XIII. *planè supremum in terris Numen* salutat. Observandum insuper, vocabulum יהוה *Jehova* in V.T. Deo Summo peculiare esse: & nomen אלהים aliis quoque tribui. At Novum Testamentum splendidius vocabulum, quo Summum Numen designet, non habet, quam illud DEUS, quod nulli proin tribuitur nisi Deo æterno, & Diabolo

2.Cor. IV. 3. quia apud impios locum veri Dei invasit. Novissimis Seculis accessit Papa tertius, qui Deus appellaretur, quo nomine nec Archangelum, nec Angelum ullum dignatur.

Si tamen Dei nomine nunquam Papa venisset, at fecisse eum ac passum esse, quæ vocis ejus defectum suppleant, probatur tum ex Glossatore Decreti, Consilio à Cardinalibus Paulo IV. exhibito.

VIII. Sed misso illo plus quàm Luciferianæ ambitionis titulo, de re ipsa dicamus. Esto enim, Papa vel Deus nunquam ab aliis dictus fuerit; vel axioma isthoc à gnathonibus sibi tributum, uti sanè debebat, dispuerit. Si tamen ***aut fecit, àut passus est, quod abundè ejus vocis defectum suppleat***, ut verba Optati Milevitani repetam; jam, eodem judice, rem ipsam suam fecit, &, quòd Deus sit, declaravit manifestè. Quorsum autem, quæso, hæc referimus, quæ Glossator Decreti, Titulo *de Translatione Episcopi*, capite *Quanta persona*, undique tantâ diligentia conquisivit? Nam cùm Innocentius III. dixisset, Romanum Pontificem ***non puri hominis, sed veri Dei vicem gerere in terris;*** Glossator citatis tum ex Decretis, tum ex Decretalibus locis, hinc sequi asserit, ***habere*** Papam ***cœleste arbitrium, naturam rerum immutare, substantialia unius rei applicando alii; de nullo posse facere aliquid; sententiam, quæ nulla est, posse facere aliquam; in his quæ vult, esse ei pro ratione voluntatem; nec esse, qui ei dicat, Cur ita facis? ipsum posse supra jus dispensare; de injustitia posse facere justitiam, corrigendo jura & mutando, plenitudinem obtinere potestatis.*** Quomodo etiam delecti Cardinales in consilio Paulo IV. exhibito, notant, extitisse Doctores, qui dicerent, ***voluntatem Pontificis, qualiscunque ea fuerit, esse regulam, qua ejus operationes & actiones dirigantur; unde procul dubio efficiatur, ut quicquid libet, id etiam liceat.*** Paulus II. Platina teste, *Ita*, inquiebat, ***ad judices nos revocas, ac si nescires, omnia jura in scrinio pectoris nostri collocata esse. Sic stat sententia, loco cedunt omnes,***

eant

eant quò volunt, nisi eos moror: Pontifex sum, mihique licet pro arbitrio animi mei aliorum facta & rescindere, & approbare. Quis Divina isthæc omnia esse, adeoque Divinitatem sibi arrogare, quisquis ea sibi vendicat; inficiari ausit?

tum maximè ex attributis Divinis octo, qua Papa sibi vindicat.

IX. Sed posset horum perversè adeò dictorum culpa vel Glossatoris parasiti lenociniis, vel relationi cuipiam malæ fidei transscribi. Age ergo, rem ipsam demus authorem, & certissimis argumentorum notionibus decernamus. Is ergo Divinitatem sibi reapse arrogat, qui eam sibi authoritatem tribuit, quæ non nisi enti æterno, perfectissimo, sapientissimo, potentissimo competit. Data enim definitione non potest negari definitum. Hoc autem facit Papa. Nam, qua solus Deus authoritate pollet, in se credi postulat: leges fert, quibus per se conscientia soli Deo obnoxia obligetur: tradit media justificationis proprio motu, & aliunde non accepta: affectat potestatem clavium herilem & in peccatis remittendis judicialem: vult videri caput, fundamentum, petra Ecclesiæ: potestatem sibi transferendi regna & Regibus imperitandi vindicat: dispensandi contra legem Dei, & à juramentis ac votis legitimis absolvendi licentiam sibi sumit: Sanctos Divos pro lubitu creat: denique se adorari, adeóque religiosè coli patitur. Quæ omnia Divina, uti S. literæ & sana ratio dictant, ἀυχήματα, cùm Papa sibi tribuat, adeóque Divinorum attributorum spoliis sese exornet; quid aliud se quam idolum, imò Matrem scortationum & Babylonium Regem prodit? Juvabit singula paulò uberiùs exponere.

Cujusmodi sunt 1. Quòd se facit objectum & regulam fidei, quale solus Deus & ejus verbum est.

X. *Primò* solum Deum esse ἀυλόπιστον fidei objectum, adeóque in solum eum credendum esse, tum S. Scriptura Exod. xx. 3. Jerem. xvii. 5. Joh. xiv. 1. alibique passim testatur: tum recta ratio docet. Is enim fidei nostræ objectum est, qui prima veritas est, qui alio teste non indiget, quip-

quippe verax adeò & fidelis, ut de ſalute hominum teſtanti fides ſine exceptione debeatur, qualis ſolus Deus eſt. Papam verò fidei humanæ objectum ſic conſtitui, ut in ipſum credere homines teneantur, liquet, tum quia ſibi de Divinitate Scripturæ authenticè teſtificandi authoritatem arrogat, & uti quondam de Ethnicis Tertullianus *Apol. c.5.* dixit, *de humano arbitratu Divinitatem penſitat;* adeò ut vetet Scripturam pro Dei verbo accipi, eidémque fidem adhiberi niſi propter dictum ſuum, non ullo alio Divino vel majore teſtimonio nixum, ſed incertis quibuſdam duntaxat teſtificantis dictis ſuffultum: tum quia verbum quoddam non ſcriptum, ſed traditum obtrudit, cujus Divinitas nullis certis & indubitabilibus notis, ſed ſolius Papæ dicto, velut authentico nititur: tum quia Scripturæ, cujus obſcuritatem, imperfectionem, impotentiam ad demonſtrandam Divinitatem ſuam, palam cauſatur, ſenſum eum duntaxat fidelibus ſuis dictat, qui à ſua voluntate & nutu pendeat, neque ampliori demonſtratione ex verbo Divino ſcripto ipſo indigeat, atque ſic Scripturam ſubjicit τῇ ἰδίᾳ ἐπιλύσει, καὶ ἰδίῳ θελήματι *propriæ diſſolutioni, & propriæ voluntati*, libidini & motui proprio; atque per miniſtros ſuos ſenſum ejuſdem ad ſtabilimentum potentiæ & authoritatis ſuæ detorqueri, & pravis gloſſis corrumpi non tantùm patitur, ſed etiam curat: tum quia canonicam librorum Sacrorum authoritatem ſic ab arbitrio ſuo ſuſpendit, ut canonicos cenſeri non eos, quorum Divinitatem certis notis & traditionis evidentia compertam & exploratam omni conſcientiæ reddere poſſit, ſed eos demum, quos modò velit ipſe, non alia majori ratione, quàm nutu iſthoc proprio, fretus jubeat: tum quia non patitur legi Scripturam, & verſionibus ac explanationibus vernaculis populo illuſtrari, ut eò magis ſibi & dicto ſuo obnoxios audientéſque reddat: tum quia verſionem

ſionem Latinam authenticam eſſe, ex eadémque fontes examinari jubet, atque ſic arbiter haberi vult Divinitatis: tum denique quia definitionibus ſuis ſive in Concilio, ſive extra illud concluſis articulos fidei conſcientiam fidelium obligantes effici, qui ante definitiones ejuſmodi licet clarè etiam in ipſis Scripturis comprehenſi, tales neutiquam fuerint, adeóque liberæ hominum in utramque partem diſputantium opinioni ſubjecti fuerint, pertendit.

Walenburgiorum de objecto & regula fidei ſententia.

XI. Cuncta ferè hæc pertinent ad eam controverſiam, quæ cum Pontificiis nobis intercedit de regula fidei, ejuſdemque analyſi, ſeu reſolutione ultima, de qua jam ſupra *Diſſ. vij.* 12-18. egimus; nec non de neceſſitate propoſitionis Eccleſiæ, ut illi loqui amant, hoc eſt, Papæ. Nam Papam non equidem facere verbum Dei, ſenſum ejuſdem, vel articulum fidei, ſed tantùm proponere; ac proin fidei objectum non Papam proponentem, ſed verbum Dei à Papa propoſitum conſtitui, aſſerunt. Ut enim quis fide Divina aſſentiatur verbo Dei, quatuor requirunt, ut verbum Dei, ſive objectum, quod creditur, ſit Divinitus revelatum: ut illud objectum nobis ſufficienter proponatur: ut veritas, quæ credenda proponitur, ſit evidenter credibilis: denique gratiam Spiritus S. Sic ut probetur articulus fidei, tria exigere ſolent, Verbum Dei: ut ſit qui proponat verbum Dei: ut de fidelitate proponentis ſufficienter conſtet. Diſtinguunt etiam objectum fidei formale & materiale. Illud ajunt eſſe Deum, tanquam veritatem primam revelantem: hoc articulos fidei, uti ab Eccleſia, hoc eſt, Papa proponuntur. Sic paſſim Walenburgii aliique.

Propoſitio articulorum fidei diſtinguitur.

XII. Sed hæc mera ὑπόκρισις τῶν ψευδολόγων, affecta *ſimulatio mendaciloquorum*, adeòque fucus Babylonis Magnæ meretricius eſt. Dolum enim Sophiſtæ in voce *proponendi* ſimplicioribus ſtruunt. Aliud enim eſt *proponere* cum authoritate, ita ut ea propoſitio ſit definitio, hoc, quod

traditur, esse verbum Dei; & propter eam definitionem, tanquam credendi causam, absque ulla demonstratione, sola definientis & proponentis authoritate obligetur fides, & sine ea non obligetur. Aliud est *proponere* in significatu modestiore, hoc est, narrare ea, quæ Deus dixit, & non pati ea negligi, aut oblivioni mandari; eáque dicta esse à Deo, idoneis evidentibúsque argumentis astruere & demonstrare. Posterius non soli Papæ, sed omnibus in universum fidelibus Ecclesiæ Ministris Pastoribus & doctoribus, imò toti Ecclesiæ, pro suo cuique captu, incumbit. Quo officio mediante Divina revelatio semel ad homines facta per omnia mundi climata sic propagatur, ut etiam ii, qui non audiverunt, aut viderunt, participes fiant Divinæ revelationis, persuasi per ea, quæ constantissimè narrantur, & quæ conscientia ipsorum in verbo proposito vera, justa, Deóque decentia deprehendit, & quæ secundum verbi prædictiones in se, & extra se experitur, non ab hominibus ficta, sed à Deo facta esse. Ejusmodi propositio, humanæ modestiæ conveniens, apud eos, qui primi non viderunt vel audiverunt, ordinariè ad fidem intervenit, ut effectus revelationis Divinæ causam suam demonstrans, quia nisi talis revelatio primitùs revera facta esset, & Deus dixisset, authenticéque proposuisset, præcones, dictum à Deo evangelizantes, nulli extitissent.

Propositio authentica, & cum authoritate, quam sibi Papa asserit, solius Dei est.

XIII. Dispar longè ratio est *proponentis* cum authoritate, atque ea propositione, ceu definitione sola, absque ulla demonstratione, quòd verbum à Deo editum sit, fidem obligantis. Hoc verò solius Dei est, qui solus cum authoritate, & sine demonstratione, ceu primus testis omni exceptione major, & prima veritas, fidem obligare potest. Nam si verbum Dei mihi revelatum est, sive primitùs, sive quòd ego, qui primitùs non vidi & audivi,

vi, tamen ἐπιστώθην (2 Tim. III. 14.) fide plenè mihi facta certior redditus sum (uterque enim habet revelationem, & qui primus audivit ac vidit, & qui cognovit ac rescivit inter ultimos) non est necessarius utique alius fidei dictator & author. Imò talem fidei auctorem ac Dictatorem introducere, est Divinæ vocis τὸ πρὸν ϗ διαπρύσιον, & veritatis fulgur, & Divinæ Majestatis authoritatem, & vim conscientiæ, Divino juri & Divinæ sapientiæ attestantis, negare; denique id quod Dei est, in hominem transferre, adeóque ex homine, qui natura mendax est, Deum facere.

XIV. Talem propositionem authenticam nuspiam Scriptura nobis commendavit. Piè potiùs considerandum, quid de propagatione Evangelii nobis Ps. LXVIII. 12. prænuntiatum sit. Verba Psaltis habent: אדני יתן אמר המבשרות צבא רב *Dominus dabat dictum. Evangelizantes exercitus magnus. Reges exercituum fugiebant.* En loquentem Deum, turmas narrantium visa & audita, easque magis magisque increbrescentes passim; hoc est, prædicationem Euangelii per Christi discipulos narrantes visa & audita, cum fide mendi; hinc certamina, hinc exercitus collectos contra Ecclesiam, & exercituum cum Regibus ingeminatam fugam. Nulla hic *propositio* authentica, dictatoria, præter אמר אדני *dictum Domini*, cui non propositio authentica unius hominis, sed ministerialis euangelizatio exercituum inservit. Atque sic Christus ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ *creditus est in mundo* I. Tim. III. 16. Eodem modo creditur à nobis & Christus, & verbum illud, in quo, uti ipso experimento cognoscimus, sic prædicatio ipsius & fides prædicta est. Papam verò, *Proponentem* scilicet authenticè, ceu Novellum Numen, Babyloniis relinquimus.

XV. *Secundò Deum se gerit Papa*, cùm *leges innume-* 11. Quòd leges innu-

novas religiosas fert, iisque conscientias fidelium obligari pertendit, quod solius Dei esse, ex Jacobi IV. 12. probatur.

ras religiosas fert, iisque conscientias fidelium obl
contendit. Etenim εἷς νομοθέτης *unicus Legislator*, I
est, *qui solus potest servare & perdere*; Jac. IV. 12. S
igitur nemo, præter solum Deum, potest servare & p
re totum hominem: ita nemo conscientiis hominum le
ejusmodi imponere potest, qua observata homo salv
violata perdatur, à solo Deo si discesseris. Possunt qu
in societate civili homines communicata à Deo pote
imperare aliis, & legibus propriè dictis eosdem obstr
re; non tamen sic, ut in religione & spiritualibus cons
tiis hominum, soli Deo obnoxiis Rom. II. 14. 15. d
nari, easque legibus nuspiam à Deo revelatis obstri
valeant. Hoc enim προνόμιον est illius *Unius Legislat*
Dei, quod tam non hominibus unquam communic
quàm non potestatem creandi, vel æternùm salvandi
dendíque. Alias leges humanæ æquales Divinis, &
Deo homo foret. Et sanè Leges ac judicia Ecclesia
cumprimis, longè inferiora sunt conscientia hominis
Apostolo 1. Cor. IV. 3. 4. *Mihi minimùm est, ut à*
judicer, vel ab ulla humana die. Cúmque leges ecc
sticæ de adiaphoris merè externæ sint, conscientiæ,
interna tota est, dominari nequeunt. Denique sic Le
torem unicum, Deum, esse, S. Jacobus pronuntia
inde nemini fas esse judicare alterum, concludat. M
stè igitur legislationem & judicium in conscientias ho
bus abrogat, & uni solíque Deo vindicat.

Petulans detorsio loci illius rejecta.

XVI. Locum disertissimum S. Jacobi putido &
lanti cavillo Walenburgii *Controv.* 8. *num.* 8. eluc
quasi mens ei fuerit distinguere Legislatores, quorum
solus salvare & perdere possit; reliqui nequeant. Si
dent Scripturas depravare, ne Papæ Babylonica i
tas subolere possit. Atqui S. Jacobus contra ex eo,
nemo potest servare & perdere nisi unus, unitatem Le

toris clariſſimè probat. Nam quid ad rem, quam tractabat, pertineret, ſi non eſt unus abſolutè Legiſlator, dicere, unum eſſe Legiſlatorem talem, qui poſſit ſalvare & perdere?

XVII. De Papa, legibus religioſis latis conſcientiis hominum dominante res manifeſta eſt. Concilii enim Tridentini Patres *Seſſ. vij. can.* 8. illam Lutheri propoſitionem, *baptizatos liberos eſſe ab omnibus humanis præceptis*, religioſis videlicet, & ceu parte neceſſaria cultus Divini conſcientiam per ſe obligantibus, anathemate notârunt. Nos quidem Baptiſmum authoritatem, vel reverentiam Eccleſiaſtici Miniſterii abolere, quaſi videlicet baptizati Eccleſiam non audire, cùm monendi ſunt; vel ei, qui in nomine Dei monentur aut corripiuntur, non obedire teneantur, haud ſtatuimus. Neque etiam negamus, debere baptizatos omnibus & ſingulis fidelibus, nedum Eccleſiæ reverentiam, obedientiam & ſubjectionem, ut pareant admonitionibus in nomine Dei factis, & ordinem externum actionum toti cœtui communi conſenſu non contra verbum Dei injunctarum, conſtitutum non turbent, & congregationem non relinquant; & talem denique, quæ ex Eccleſiaſtico præcepto, non Divino, cultui, ut pars quædam, adjungatur, ſed præceptorum Dei executioni unicè inſerviat. Sed aliud eſt, quod Tridentinum anathema intendit; eſſe videlicet in Eccleſia, capite cumprimis ejus, Papa, poteſtatem quandam *αὐτοκρατορικὴν* & *νομοθετικὴν*, *ἀρχὴν* & *βασιλείαν*, *Principatum* & *Regnum* quoddam, propter quod Eccleſiæ, Papæ inprimis, qui Eccleſiæ Pontificiæ caput, cor & ſtomachus eſt, liceat leges Divinis æquipollentes, utpote à Spiritu S. perpetim Papæ aſſiſtente æquè immediatè profectas, & quidem plerunque de rebus carnalibus & terrenis, quas myſteriis Papa, alter ſcilicet אל מסתר *Deus myſteriorum*

Concilii Tridentini de Papa poteſtate legislativa definitio.

Esai. xlv. 15. imprægnare poſſit, condere: ſubditis verò neceſſum ſit propter conſcientiam, & in judicio Dei obedire. Quam poteſtatem νομοθετικὴν & αὐτοκρατορικὴν ad omnes actiones, corpora & bona baptizatorum, ipſorum etiam Summorum Regum & Principum ſaltem *indirectè*, quatenus ad Spiritualem finem referuntur, (quaſi non omnis actio ad finem Spiritualem referenda ſit. unde ſive *directè*, ſivè *indirectè* dicas, perinde eſt) extendunt. Hic, ſi uſpiam, Papa venit in nomine ſuo ἀποδεικνὺς ἑαυτὸν, ὅτι ἐστὶ θεὸς, *demonſtrans ſe ipſum, quòd Deus ſit.*

Papa innumeris legibus ſuis Eccleſiam oppreßit & omnibus ferè creaturis, actionibus humanis &c. peccati labem aſperſit.

XVIII. In rem præſentem ut deſcendamus, annon Papa innumeris legibus, Decretis & Decretalibus Eccleſiam oppreſſit; actiones humanas infinitas ſua natura liberas, ſaltem non malas, voluntate ſua malas, peccaminoſas eſſe juſſit; omnibus propemodum creaturis peccati labem aſperſit, ut jam nefas ſit veſci butyro, ovis, caſeis, lacticiniis, carnibus &c. quod jubente & permittente Deo fas erat; tempora & dies peccatorum nova labe polluit, ſic ut certis & fixis nutu ejus temporibus, ſub mortalis peccati reatu, prohibeantur homines uſu ciborum, quos Deus condidit, ut à fidelibus & cœleſtis veritatis peritis cum gratiarum actione ſumantur; loca & vaſa plurima aurea, argentea, lapidea, lignea puta altaria, calicem, patinam, corporale, aliáque ejuſmodi ſic ſanctificavit, ut ſine gravi peccato à plebe ne contrectari quidem poſſint; thorum, quem almus Dei Spiritus apud omnes, juxta leges videlicet in verbo ejus præſcriptas, honeſtum & impollutum eſſe juſſit, ipſe inhoneſtum & pollutum apud eos, quibus Deus in verbo ſuo liquidò matrimonium permiſit, eſſe voluit, juſſit: ipſos capitis mentique capillos immundos declaravit, tonſuram raſurámque lege lata, & ſub peccato, ſanciendo; omnem hominum plebejorum vitam, actionéſque impuras declaravit,

ravit, ſolúmque clerum & Hierarchiam ſuam ſacerrimam, puram, ſpiritualem ſanctámque declaravit; veſtimenta Monachorum & Sacerdotum peculiaria ſic conſecravit, ut non ex præſcripto ea geſtantes grandem peccati reatum contraherent; denique ex pluribus aliis non peccatis peccata fecit, adeoque ſe ſupra Deum Deorum nefariè extulit? Nam Deus quidem per Moſen leges varias tulit, iiſque actiones hominum liberas ſic conſtrinxit, ut tranſgreſſores ſe peccatorum reos efficerent. Ita ſcilicet Supremo Numini, & Domino dominorum licuit. At hæc Dei, Supremi Numinis, ſimia non tantùm æmulum ejus ſe gerit, ſed imperiis etiam ſuis & oneroſis & numeroſis Deum unicum Legiſlatorem multis paraſangis antecellit, leges cultúmque ejus mirificè obſcurat, contaminat, abrogat, peccata in immenſum multiplicat, denique nihil non pro Numine Supremo & infinito, novus Deaſter vel potiùs purpurata hæc Meretrix facit.

Jugulum ei ex Col. ij. 18-22. petitum.

XIX. Jugulum novo huic Deaſtro rectà petit S. Paulus Col. II. 18 —— 22. ſic ſcribens: *Nemo vos* καταβραβευέτω *ſeducat* (jure veſtro privet, brabeo defraudet) *volens* (ex proprio motu) *in humilitate & religione* (cultu) *Angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ,* καὶ οὐ κρατῶν τὴν κεφαλὴν *& non tenens caput* &c. *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquàm viventes in mundo* δογματίζεσθε *decretis oneramini* (cujuſmodi ſunt) μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς· *Ne tetigeris, ne guſtaveris, neque contrectaveris.* Dogmata, decreta Papæ, prohibentis quibuſdam *tangere* uxores, nubere, veſci certis cibis, &c. adeóque ex indifferentibus facientis neceſſaria, ligantis, ſolventis, quod illis valet, jubere, vetare, liberum facere &c. denique *Caput non tenentis*, hoc eſt, à vero Capite, Chriſto, deficientis, & ſe ipſum Eccleſiæ ſuæ Caput,

put, adeoque DEUM, Legiſlatorem unicum venditantis, ab Apoſtolo perſtringi, clariſſimè liquet. Nam quod de Judæorum feſtis & reliquis umbris, non de Papæ decretis S. Paulum ibi agere regerunt, dilutum eſt. Manifeſtè enim ab umbris ad totum genus præceptorum humanorum progreditur, & illa futurorum præſcius exempla ponit, quæ naturam præceptorum Eccleſiæ Romanæ exprimunt, qualia ſunt ταπεινοφροσύνη, ἀφειδία σώματος, θρησκεία ἀγγέλων, μὴ ἅψῃς &c.

XXI. Quòd media juſtificationis proprio motu, & aliunde non accepta tradit, quod ſolius Dei eſſe probatur.

XX. *Tertiò* Divinitatem Papa affectat, cùm *media juſtificationis proprio motu, & aliunde non accepta tradit.* Modum & media juſtificationis, & reconciliationis peccatoris cum Deo à ſolius Dei voluntate, εὐδοκία liberrima & revelatione ubique S. Scriptura arceſſit. Nam θεὸς ὁ δικαιῶν *Deus ſolus juſtificat*, hoc eſt, & juſtificationis rationem omnem revelat, & ſecundum eam juſtificat, Rom. VIII. 33. Et meritum Chriſti, offerentis ſe ipſum ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων *redemptionis pretium pro omnibus*, verum juſtificationis medium eſt μαρτύριον *teſtimonium* Dei, & quidem καιροῖς ἰδίοις, *propriis* ſuis *temporibus* manifeſtatum diſpenſatúmque, 1. Tim. II. 6. Cujus teſtimonii ibidem v. 7. S. Paulus ſe *præconem, Apoſtolum, doctorem gentium in fide & veritate* conſtitutum ait. Solus Deus notificavit nobis *myſterium voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum ſuum, quod propoſuit in Chriſto*, Eph. II. 9, 10. Media quoque illa juſtificationis noſtræ non alia, quàm Chriſti meritum, ejuſque vera fide acceptati donationem paſſim, inprimis Rom. III. 24. &c. v. 14. &c. Gal. II. 16. definit. Qui igitur media juſtificationis à Deo non conſtituta, non revelata, motu proprio, & ex animi tantùm ſui ſententia conſtituit, is haud obſcurè Divinitatem ſibi arrogat, ſe Numen, Deum quendam novitium demonſtrat.

XXI. At-

Tridentini Concilii de modo & mediis justificationis definitiones proponuntur,

XXI. Atqui id Papa, in Concilio suo Tridentino *Sess. vj. δογματίζων definiens* justificationis media manifestè fecit. Nam explosis, imò dirissimo anathemati subjectis veris justificationis mediis, justitia puta & merito Christi per gratiam Dei peccatori imputato, & fide justificante apprehenso; nova illa, nuspiam revelata, ex animi sui libidine depromta justificationis media definivit, *districtiùs* pro Divina sua authoritate *inhibens, ne audeat quisquam aliter credere aut docere, quàm decreto suo statuit & declaravit*: uti patrati ejus Patres præfantur. Supposita autem, uti ex Sessione illa liquet, cap. 1. *naturæ & legis ad justificandos homines imbecillitate*, sed non impotentia (nam in justificandis liberum arbitrium *viribus licet attenuatum & inclinatum, minimè* tamen *extinctum* sciscunt) nec non cap. 5. &c. *necessitate & modo præparationis ad illam*, quem in eo collocant, quòd justificandi disponantur ad justitiam, *dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur ad Deum, credentes vera esse, quæ Divinitus revelata & promissa sunt, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, quæ est in Christo Jesu; & tamen peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illúmque diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium & detestationem; denique proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata*, demum *cap.* 7. justificationem, quæ dispositionem hanc consequatur, definiunt, *quòd non sit sola peccatorum remissio, sed & Sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico ami-*

amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ.
sas deinceps justificationis recensens, efficientem fac
sericordem Deum, qui gratuitò abluit & sancti
Meritoriam *dilectissimum* ejus *unigenitum, Dominu*
strum Jesum Christum, qui sanctissima passione in
crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis De
tri satisfecit; Instrumentalem *Sacramentum Bapt*
Formalem *justitiam Dei, non qua ipse justus est, se*
nos justos facit, qua ab eo donati renovamur Spiritu
tis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi
namur & sumus; justitiam in nobis recipientes,
quisque secundum mensuram Spiritus. Lapsos porr
semel acceptam justificationis gratiam *cap.* 14. rursu
stificari asserunt, *cùm excitante Deo, per Sacrame*
pœnitentiæ, merito Christi amissam gratiam recup
procuraverint. Justificationis sic explicatæ fructum
ritum bonorum operum *cap.* 16. statuunt. *Cùm enim*
quiunt, *ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in*
bra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificat
giter influat virtutem, quæ virtus bona eorum oper
per antecedit, comitatur & subsequitur, sine qua
pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil jus
tis ampliùs deesse credendum est, quò minùs plenè
quidem operibus, quæ in Deo facta sunt, Divin
pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam
promeruisse censeantur. Paucis, media justification
spositiones varias libera & cooperante voluntate adr
justitiam inhærentem, Sacramentorum Baptismi &
nitentiæ adeóque satisfactionis & absolutionis etiam
operatum, indulgentias &c. definiunt, eidem merit
rum succenturiant; denique ne Christum & gratia
planè ejerasse videantur, virtutem se præparandi,
justitiæ inhærentis perficiendi, merendi, satisfac

à gratia & merito Christi, tanquam causa, eandem in homine operante, arcessunt. Sic Tridentini, imò Papa potiùs, in quem Conciliorum Pontificiorum omnis authoritas resolvitur.

XXII. Sed justificatio hæc, quocunque colore pingatur non est profectò justificatio à vero Deo tradita, & à S. Paulo descripta; Nam dispositiones fidei, spei, dilectionis, obsignationis per Sacramentum Baptismi, libera voluntate admissas non recipit is, quem S. Paulus Rom. IV. 5. à Deo justificari ἀσεβῆ *impium*, adeóque nondum credentem, sperantem, diligentem testatur. Neque S. Paulus ubi justificationem describit, usquiam mentionem facit ullius justitiæ inhærentis, ac charitatis habitualis, quam novelli illius Deastri Apostoli justificationis causam formalem esse defendunt. Quid enim in Christi meritum dici posset injuriosius, quid in Dei gratiam contumeliosius? At *Christi*, & solius quidem, mentionem facit S. Paulus, quem dicit propitiationem factum esse pro peccatis nostris: *fidei* mentionem facit, qua propitiationem illam amplectimur & quidem χωρὶς ἔργων *sine operibus* ullis: *imputationis* mentionem facit, per quam justitia Christi fit nostra. Sicut enim Christus, qui peccatum non novit, factus est peccatum pro nobis: ita nos, qui justitiam non novimus, facti sumus justitia Dei in ipso, 2. Cor. v. 21. Nondum dulcissimam illam ἀντάλλαγὴν, optatissimam permutationem, ut quemadmodum Christo peccata nostra imputata fuerunt, ita nobis justitia ejus imputetur, novi illi novæ justificationis Architecti percipiunt. Hic aliquid aliud qui supponunt, quo justificemur, hi fundamentum nostræ cum Deo reconciliationis penitus evertunt.

& justificationem sic definitam non esse eam, quam Deus in verbo suo revelavit, ostenditur.

XXIII. Accedunt Baptismi, Pœnitentiæ, quam Sacramentalem vocant, opus operatum, satisfactiones, absolutio Sacerdotalis, indulgentiæ, merita hominis, nu-

Neque baptismi pœnitentiæ opus operatum satisfactio-

nes, absolutio Sacerdotis, indulgentiæ, merita media justificationis in verbo Dei revelantur, quinimò cum merito Christi pugnant.

spiam in verbo Dei revelata, vel ut media, vel ut fructus justificationis; imò & ἀντίχραφα planè, uti alibi ostendimus; & Christi satisfactioni & merito undiquaque consummato iniquissima. Adeò ut, dum umbris & quisquiliis his miseri Mortales inhiant, non possint non, Canis Æsopici instar, satisfactionis & meriti Christi nucleum perdere. Nam quòd omnem Pœnitentiæ, operis operati, satisfactionum, meritorum virtutem à merito & satisfactione Christi, ceu *conditione causæ formalis* justificationis, hoc est, justitiæ inhærentis, ut ea nobis donetur, sive communicetur, vel etiam causa suspendunt; in eo meretricium potiùs & Babylonicum fucum produnt, cocci & purpuræ externa specie contumeliam in meritum Christi vetantes, & plumis Christi diras hasce aves suas, quæ ex cantu suo dignoscuntur, exornantes. Requiritur enim ad justificationem peccatoris *δικαίωμα opus & justitia* secundum legem perfecta, quæ nisi donata & imputata peccatori absolvere à peccatis, eorúmque pœna, & jus vitæ adjudicare nequit. Non meruit autem Christus, ut ejusmodi δικαίωμα in nobis & insita justitia nostra hæreat: neque etiam ejusmodi δικαίωμα planè in nobis hæret. Si ergo meritum ipsum & justitia Christi peccatori non imputatur, ita ut ipse pro peccatis mortuus, legi faciendo & patiendo satisfecisse censeatur (2. Cor. v. 15.) nihil pro nobis Christus egit, frustra mortuus est, sub ira sumus, peccata nostra expiata nulla sunt, meritum ejus omne expirat. Tantum abest, ut meritum Christi causa esse justitiæ inhærentis, pœnitentiæ, satisfactionum &c. cásque ad virtutem justificandi provehere possit.

XXIV. Non justitiam profectò, pœnitentiam, satisfactiones nostras, non Sacramenta, ut ex opere operato justificent, sed peccata nostra sanguine suo tinxit Christus. Aliás non solus ipse Servator noster esset, sed in tanti operis socie-

ſocietatem hominem ipſum ſervandum aſciviſſet; & hac ratione ſervandi Servatores fierent. En atrocem in Chriſtum Servatorem injuriam! Pro pœnis temporalibus ipſi fideles, & pro fidelibus Monachi ſatisfacere dicuntur. Si Chriſtum immeritò excluſum conquerimur, ad tincturam ſuam confugiunt, quòd Chriſti meritum & ſanguis ſatisfactiones ſuas tinxerit. Atqui Chriſtus purgationem peccatorum *δι' ἑαυτοῦ per ſemet ipſum* fecit, Hebr. 1. 3. Quid ergo commentitia illa tinctura opus eſt? An ut plebecula paulatim in amore Chriſti langueſcat, & in Sanctos majori feratur deſiderio, utpote depulſores pœnarum temporalium, quarum metus & depulſio longè præſentior & gratior eſt homini carnali, quàm metus & depulſio pœnarum infernalium. Et quanta, proh Deum immortalem! hæc perverſitas eſt, cùm juſtitiæ Chriſti imputationem exſibilent, optent tamen ſibi imputari Opera ſupererogationis Sanctorum ſuorum per indulgentias.

XXV. Quid verò meritum crucis Chriſti à juſtificatione peccatoris excludi querimur, cùm illud in dramate ſuo Miſſatico, Regni Pontificii nervo, & Eccleſiæ Papalis palladio, prorſus aboleverint? Nam ſacrificium Chriſti cruentum in incruentum, corpus Chriſti in machinam farinariam, propitiationem pro peccatis vivorum & mortuorum per Sanguinem Chriſti in propitiationem pro peccatis vivorum & mortuorum per oblatam ſpumam panis; Pontificem & Sacerdotem unicum Chriſtum in Pontificem neſcio quem Italum, & Sacerdotem impurum, Creatoris ſui Creatorem, converterunt pridem. Miſſam enim eſſe Sacrificium reale propitiatorium propriè dictum pro peccatis vivorum & mortuorum, Concilium Tridentinum ſonorè canit, & contrarium tradentibus anathema dicit. Sic profectò Miſſa non ſubordinatur Sacrificio Chriſti, tanquam ejus *ἀνάμνησις commemoratio*; ſed ei, tanquam

Miſſæ ſacrificium inprimis ſacrificium Chriſti, juſtificationis cauſam unicam, evertit.

quam sacrificium æquè propitiatorium, in quo fiducia collocanda sit, opponitur. Quid multa? Missa aut est ipsum sacrificium Christi, aut non est. Si ipsum est, Christus quotidie innumeris in locis moritur, quod blasphemum est; & jam Sacrificium Christi non illud est, quod ante Sessionem Christi ad dextram ab ipsomet in cruce semel peractum est; sed quod post Sessionem Christi ad dextram à Sacerdote Creatoris sui Creatore, nomine Christi se sistente quotidie innumeris super altaribus peragitur. Sin ipsum non est, sed ejus applicatio tantùm, sacrificium propriè dictum non est, nec eo peccata vivorum & mortuorum expiantur.

Antithesis veri Dei, & Papa, novelli Numinis, justificationis modum & media dictantis.

XXVI. Jam ergo in conspectu omnium est novellum Numen, Papa dictator Supremus novæ rationis, novorúmque mediorum, quibus peccator coram tribunali Dei justificatur. Gratiæ Dei ille liberum hominum arbitrium, utcunque à gratia adjutum: Sacrificio sanguinis Christi in cruce semel peracto Sacrificium incruentum quoddam, à Sacerdotibus suis non Christi, sed suo nomine quotidie innumeris super altaribus offerendum: merito & justitiæ Christi peccatori, ut legi Divinæ agendo patiendóque satisfecisse ex justitiæ Divinæ tenore censeatur, donandæ, imputandæ diro à se anathemate percussæ, justitiam inhærentem propriam, satisfactiones, absolutionem Sacerdotis, opus operatum Sacramentorum, indulgentias, merito sanguinis Christi, in Missam scilicet converso, veluti dibapho, cocco, purpura quadam leviter tincta omnia, fidei salvificæ, cujus pax illa conscientiæ, quæ omnem intellectum superat, verum πάθος est, eique soli, diro itidem anathemate percussæ, leves præviásque justificationi dispositiones quasdam, & inter eas fidem quandam generalem, quòd Christus passus, mortuus ac sepultus sit, qualem etiam Diabolus omnésque reprobi habent; nec non hete-

rogenea

rogenea applicationis media, satisfactiones inprimis proprias; denique fructibus justificationis, operibus resipiscentia dignis, operum merita propriè dicta, substituit. Sic venit in nomine suo, demonstrans se ipsum, quòd Deus sit.

XXVII. *Quartò* Divinam sibi authoritatem Papa vendicat, cùm *potestatem clavium herilem, & in peccatis remittendis judicialem* affectat. Potestas clavium principalis & herilis in eo consistit, quòd, qui iis instructus est, potestatem habet plenam aperiendi Cœlum & claudendi, cui voluerit; adeóque media etiam cœlestis consequendæ gloriæ, remissionem imprimis peccatorum, dispensandi pro lubitu. Quæ potestas cùm liberimam ἐξουσίαν, omnipotentiam, animarum & conscientiarum regimen, facultatem adducendi ad Ecclesiam per illuminationem, & excludendi per indurationem, docendi, leges ferendi, ut quisquis in Christum credit, & verba ejus tenet, sit filius Dei; qui non tenet, Diaboli; judicandi vivos & mortuos; denique potentiam ad subjiciendum sibi omnia, & removenda obstacula fidei ac propagationis Ecclesiæ includat, soli unique Deo eximia est. Unde Apoc. III. 7. Angelus Philadelphiensi Ecclesiæ scribens illum, *qui habet clavim Davidis, quo aperiente nemo claudit, & claudente nemo aperit*, vocat τὸ ἅγιον, καὶ τὸ ἀληθινὸν *Illum Sanctum, & illum Veracem;* hoc est, immaculatum, secretum ab omni impuritate & vilitate, facientem fideliter ea, quæ promisit; verbo, Christum. Cui, claves eas manifestè appropriat, dicens, ὁ ἔχων, *Qui habet*, quod valet, *Qui solus habet;* & opponens eundem aliis claudentibus & aperientibus, οὐδεὶς ἀνοίγει, οὐδεὶς κλείει· *Nemo aperit, nemo claudit;* denique vocans κλεῖδα Δαβὶδ *clavem Davidis*, hoc est, Clavem Regiam, qualem David typum Christi gerens habuit; & Davidi, omnibúsque fidem Davidis habentibus pro-

IV. Quòd potestatem clavium herilem, & in peccatis remittendis judicialem, quæ solius Dei est, affectat.

promiſſam. Quomodo idem Chriſtus tum Apoc. I. 18. de ſe loquitur: ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου, καὶ τοῦ θανάτου. *Habeo claves inferni & mortis*, quia morte ſua poteſtatem mortis extinxit, omnémque Diaboli potentiam ſuperavit, ut nec infernus corpus noſtrum detinere, nec Sathanæ Regnum ſibi datos retinere, nec portæ inferorum Eccleſiam vincere valeant: tum Apoc. xx. I. dicitur de Cœlo deſcendens habere κλεῖδα τῆς ἀβύσσου *clavim Abyſſi*. poteſtatem educendi ex morte & inferno, & rurſus τοῦ ταρταρῶσαι conjiciendi in gehennam.

Clavium poteſtas miniſterialis explicatur. XXVIII. Alia longè ratio eſt *clavium Regni Cœlorum*, quæ S. Petro, & in ejus perſona Miniſtris Eccleſiæ, ut ἐπιτρόποις *curatoribus* & œconomis, non ut heris & Dominis Matth. XVI. 19. datæ ſunt. Notant enim verbum Euangelii à S. Petro & Miniſtris Chriſti prædicandum, quo ſcilicet vocantur homines ad Regnum Cœlorum, puta gratiæ & gloriæ, quodque potens eſt per gratiam Dei ad dandum hominibus aditum, ſive ad ducendum eos in Regnum Cœlorum. Explicantur ab ipſo Chriſto ſtatim per poteſtatem ligandi & ſolvendi, atque hæc per poteſtatem remittendi & retinendi peccata Joh. xx. 23. quæ tum in prædicatione remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti; tum in conſolatione & applicatione remiſſionis ad ſingulos, rata in Cœlis utraque non ſimpliciter, ſed ſi Spiritus S. docens per verbum iis utriuſque author fuerit; adeóque ſi claves non erraverint, ligatióque vel ſolutio legitima fuerit, conſiſtit. Planum eſt, nec S. Petro quicquam hic conceſſum eſſe, quod conceſſum non fuerit omnibus Apoſtolis & Eccleſiæ Miniſtris, tum nihil hic δεσποτικὸν *herile*, poteſtatem Dominicam nullam vel S. Petro, vel cuiquam alii à Chriſto communicatam eſſe; ſed merè miniſterialem & œconomicam. Ita cùm in Republica Quæſtor inſtituitur, qui publicam pecuniam tractet, clavis illi traditur

æra-

ærarii: & Pater familiâs, cùm promum condum instituit, cellæ penuariæ clavim ei tradit. Ubi clavis traditio ministerii symbolum in accipiente; herilis imperii in tradente est.

Papa clavigermagnus sibi soli potestatem clavium vindicat.

XXIX. Quid nunc de magno illo Clavigero, Papa, dicemus? Uni solique ubi claves vindicat: claves vindicat heriles, dominicas: claves in enses, lanceas, sceptra & coronas conflavit, atque earum obtentu sibi plenam in maxima Regna, denique in animas & corpora potestatem non pretio ullo, sed vi rapuit; adeóque sic Supremum aliquod Numen se mundo venditavit.

XXX. Uni solique sibi vindicat claves, personatus scilicet successor S. Petri, cui soli clavium jus & potestatem Supremam à Christo assertam pertendit. Hinc adeò inter insignia Papæ sunt *Claves*, jurisdictionis Papalis symbolum: sicut tiaram dignitatis symbolum possidet. Et quod mireris, cùm claves aliàs sint ministræ crucis, εἴδωλον hoc claves dextra, crucem sinistra gerit. Ea carnis scilicet est indoles. Claves potius quærit, quàm crucem. Ne dicam crucem in calceis suis purpureis auream eum gestare, atque sic impuris pedibus suis calcare.

Claves insigne Papæ sunt.

XXXI. Quo tempore insignia hæc usurpare cœperit, difficile conjectu equidem est. Jam A. C. 726. Gregorius Papa *Claves venerandi sepulchri cum aliis muneribus suis* per legatos suos, inusitato antea more, Carolo Martello obtulisse *in Apend. ad Gregorium Turonensem Cap.* 110. dicitur, illius scilicet patrocinium ambiens. Eandem ob causam Leonem III. claves aureas cum vexillo Romanæ urbis Carolo M. Martelli nepoti transmisisse, Aimo *lib. iv.* 89. & Sigonius *lib. iv. de Regno Italiæ* scribit, addens ex Annonio rogatum simul à Leone Carolum, *ut aliquem ex Optimatibus suis Romam mitteret, qui populum Romanum in fide & subjectione per Sacramenta*

Ooo *firma-*

firmaret. Patriarcham quoque Hierosolymitanum eidem Imperatori *claves sancti sepulchri misisse in signum benedictionis*, refert Baronius ad A. C. 719. Sed de usus clavium antiquitate quicquid fiat, citiùs sibi Hercules aliquis clavam, quam Papa & insigne ipsum clavium, & potestatem eo insigni significatam extorqueri sibi, aliísque vel tradi, vel communicari utcumque patietur. Solus ergo eas sibi vindicat, sicut clavim Davidis sibi soli Christus.

Petro claves in pictura appropriantur.

XXXII. Jam olim quippe in picturarum quodam volumine, quod inscribitur, *Non recedet volumen legis hujus ab ore tuo*, Romæ A. 1577. excuso, res illa ante oculos simplicium vivis quasi coloribus pigmentísque exornata est. Depingitur in eo Christus, non quasi promitteret Petro, claves ei se daturum; sed quasi illo articulo temporis eas illi in manus traderet; & illi soli, non cæteris Apostolis traderet, adscriptis simul Christi verbis, & paraphrasi elegantula, à Poëta nescio quo, sic expolitis:

Pastorum princeps esto, tibi jus datur uni,
Claudere cœlestes, & reserare fores.

Petro autem & Papæ sors eadem tributa pridem est.

De eodem solo clavigero fabula vetus, à Rege Angliæ Os Wi recepta, à Baronio laudata,

XXXIII. Anxiè profectò illam de Petro & Papa Clavigero & Janitore Cœli persuasionem apud plebeculam sic Pontificum gnathones nutriverunt, ut suo jam tempore Beda *Hist. Eccl. Angl. lib. iij.* 25. de Rege Oswi lepidum quid narraverit. Cùm enim orta de Paschalis celebratione Controversia Synodus convocaretur, & pars altera se Orientis Ecclesias sequi diceret, quæ ritum suum à Johanne Euangelista, dilecto Christi discipulo acceperant; altera, se Ecclesiam Romanam sequi, quæ suum à Petro acceperat, cui Christus claves dedit Regni Cœlorum; Regem litem tum composuisse, & secundum Ecclesiam Romanam judicasse. *Nam ego* inquiebat, *vobis dico,*

dico, quia hic eſt Oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo, ſed in quantum novi vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire ſtatutis, ne forte me adveniente ad fores Regni Cœlorum, non ſit qui reſeret, averſo illo, qui claves tenere probatur. Atque hanc craſſam de clavibus & Oſtiario Regis illius cogitationem, ipſi etiam Eccleſiæ Romanæ eatenus adverſantem, quòd per Regnum Cœlorum Eccleſiam militantem, ut viſibilem Monarchiam probet, intelligit; non tantùm Synodus probavit; ſed etiam Stapletonus in Anglicano Beda ſuo, his verbis, *Nota Regis concluſionem*, aliíque cantârunt; imò Baronius ſic laudavit, ut diceret, *ſcita ſententia clauſam diſputationem.* Perſuaſos quippe aſſidentes, *veluti evidenti demonſtratione*, rem deductam *certis principiis*, ad quæ vult provocandos omnes à veritate devios; quibus & illud Propheticum ſit inclamandum: *ad petram, de qua ſciſſi eſtis:* quod perabſurdè ita παραφράζει· *Ad Petrum, à quo diviſi eſtis.*

XXXIV. Animadverterunt nempe, Eccleſiæ Romanæ Antiſtites, inſulſam & craſſam iſtam de ſolo Petro Clavigero & Oſtiario Cœli opinionem, ad Imperii ſui fines propagandos & ſubjugandas terras omnes perquam commodam & opportunam eſſe. Nam in Papæ offenſionem ſi quando homines incurrerent, in Petri offenſionem ſe incurriſſe perſuaſi ſunt. De Petro autem acceperunt, Janitorem illum Cœlorum eſſe. Erant verò de eo anxii, ne omnes Janitor, præter Papæ, ſucceſſoris ſui amicos, ab ingreſſu Cœli propulſaret. Ut igitur æterna vita fruerentur, Papam colebant, obſervabant, & præmiis ſibi conciliabant; ne ſi ille modò frontem contraheret, apud Petrum favore & gratia omni illi exciderent. Quare, utcunque exigua iſta de Petro habeantur, in otioſis vulgarium ſermonum generibus, non exiguum certè attulerunt emo-

& ab Eccleſia Pontificia ſtudioſè nutrita.

lumentum Petri Romani Curiæ, nec mediocres opes in ærarium ejus invexerunt: denique Papæ Divinæ Majestati augendæ non parùm inserviverunt.

De subjecto potestatis clavium Scholæ Papalis doctores licet disceptent, soli tamen Petro, ut ordinario, & cum jure successionis à Christo collatas esse, consentiunt.

XXXV. Haud equidem nos latet, Cadmæos fratres in sua umbra acriter satis disputare, an soli Petro, an reliquis etiam Apostolis à Christo claves traditæ sint? Sunt enim qui verba, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, à sequentibus, *& quicquid ligaveris in terra* &c. sic divellant, ut priora illa latiùs patentia, & omnem omnino potestatem complexa, ad solum Petrum; posteriora, utpote per particulam *Et* divisa, particulares quosdam clavium actus, quales sunt non in universum aperire & claudere; sed ligare & solvere; comprehendentia, ad Apostolos etiam reliquos referenda sint. Quam observationem à Cajetano mutuati sunt Monarchici, Maldonatus, Stapletonus, Baronius, qui vanissimum illud commentum *Anno* 34. *num.* 205. recitat. *Verùm*, sic Bellarminus *de Rom. Pont. lib.j. cap.* 12. reclamat, *hæc doctrina subtilior est, quàm verior. Inauditum est enim in Ecclesia alias esse claves, quàm ordinis & jurisdictionis, & planus verborum illorum, Tibi dabo claves Regni Cœlorum, sensus iste est, ut primò promiatatur authoritas seu potestas designata per claves, deinde & actiones, seu officium explicetur per illa vocabula, solvere & ligare.* Atque hoc ipsum Sanctius *in Esai. cap.* 22. observat. Proin claves Petro promissas, fatetur idem Bellarminus etiam reliquis Apostolis exhibitas esse; & quidem clavem jurisdictionis his verbis: *Sicut me misit Pater;* clavem verò Ordinis subsequentibus, *Quorum remiseritis peccata*, &c. Ne tamen Papæ Majestas detrimentum aliquod inde patiatur, Petro ut Ordinario, & cum jure successionis: reliquis Apostolis ut subdelegatis, mediante, & sine jure successionis claves collatas pertendit. Utrique ergo, diversa li-

ſa licet via, ſcopum feriunt, & nunc Papæ ſoli jus clavium competere, ὁμοψήφως Pontificii veri omnes ſeverè pertendunt. Eos enim, qui cum Gerſone aliiſque Papam coactivæ Concilii ſententiæ ſubjiciunt, & claves præcipuè & originaliter Eccleſiæ datas eſſe aſſerunt, Pontificii veri, ceu minùs bonos Catholicos, plorare, & res ſuas ſibi habere hodie jubent.

XXXVI. Cùm ergo Papæ ſoli claves Hiero-Monarchici vindicent, præcipuam quandam, & minimè vulgarem poteſtatem clavium inſigni adumbratam; verbo, herilem, dominantem, Divinam ei vindicare eoſdem, mirum non eſt. *Nos*, ita Bellarminus *de Rom. Pontif. lib. I.* 15. ſcribit, *& Catholici omnes per claves Petro datas, intelligimus ſummam poteſtatem in omnem Eccleſiam.* Baronius clavium traditionem *ſupremum dominium* ſignificare aſtruit. Tirinus in *Matth. xvj.* 19. per claves intelligit ait *ſummam & abſolutam poteſtatem regendi, quia hoc fine claves urbium ſolent Regibus tradi.* Summa autem & abſoluta in omnem Eccleſiam poteſtas, ſupremum dominium, Regia authoritas non humana certè, ſed divina eſt, teſte Chriſto, Matth. XXVIII. 18. & S. Paulo I. Cor. III. 21. 22. 23. Et ne Divinam ſic Papæ Majeſtatem tribui dubites, vetant iidem Cardinales, qui ſupremum iſthoc Papæ in Eccleſiam imperium probaturi, comparant cum poteſtate Papæ poteſtatem clavis Davidis, quam ipſe Sanctus ille & verax, Chriſtus Apoc. III. 7. ſibi aſſerit: quam Divinam eſſe, ſupra probavimus, & res ipſa certè loquitur. Quomodo etiam apud Othonem Friſingenſem *lib. j. de vita Friderici cap.* 57. Cardinalis de Sede Romana loquitur: *Hæc eſt ſola, quæ claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit.* Planè uti de Solo illo Sancto & verace Angelus loquebatur. Ut jam Papa non Vicarius Chriſti, ſed alter Dominus & Deus, pari vel majori jure cum Chriſto

Papam ſolum ſibi clavium poteſtatem, & quidem herilem ac dominantem aſſerere, probatur.

imperans, censeri debeat. Quam horrendam blasphemiam si audisset Petrus, vestem lacerans præ detestatione impietatis atrocissimæ, dixisset procul dubio cum Paulo: Ego, & cæteri Apostoli *prædicamus unum Dominum Jesum Christum: nos autem servos vestros per Jesum*. 2. Cor. IV. 5.

Idem claves in enses, lanceas, sceptra, coronas convertit.

XXXVII. Denique claves Papa in enses, lanceas, sceptra, coronas conflando, ex iisdem potestatem non Regni duntaxat Cœlorum, sed etiam terrarum, confecit. Nam clavium potestate munitus sibi in totum mundum potestatem merè & directè temporalem, uti supra fidem pluribus argumentis fecimus, vindicat. Facit huc, quod olim Hildebrandini, referente Mornæo *Myst. Iniq. p.* 238. jactare non dubitârunt, Clavi Romanæ Reges non minùs quàm cæteros esse subjectos; utpote æquè oves Papæ, in spiritualibus & temporalibus. Cùm tamen, uti annotavit Ferus, tam signanter dictum sit, Tibi dabo claves *Regni Cœlorum*, non *Regni terrarum*. Quod Feri testimonium ita Sixtum Senensem perturbavit, ut *Biblioth. lib. vj. Annot.* 72. ad testes fide dignos, scilicet, confugiat, qui pro certo asseverent, hunc ejus locum ab hæreticis corruptum esse. Quod quidem facere nihil attinebat, cùm etiam tacente Fero, res ipsa non tam id loquatur, quàm clamet. Neque mirum profectò, Regni terrarum claves rapturivisse, qui Regni Cœlorum claves rapturivit. Nam qui Cœli dominus est, multò magis terræ dominus est, in qua Sedem & thronum suum Regium potiùs, quàm in Cœlo habet. Hinc adeò ab adulatoribus *DEUS in terris, Numen terrestre, quod in terris id est pollétque, quod Deus in Cœlis, Visibilis Deus, qui quævis faciat non tanquam homo, sed tanquam Deus,* &c. frequenter insignitur. Canonistarum flosculos ejusmodi plures apud Wolphium *Lect. Memorab. Tom. I. pag.* 992. legere est.

XXXVIII.

XXXVIII. Chriſtum abyſſi quoque clavim habere, ſupra aſtruximus. Suas quoque claveis Papa in abyſſum, Purgatorium (ens illud fictum) & infernum, uti quidem Regum longæ manus ſunt, protendit. Movet Auguſtinus Triumphus Anconitanus *Summ. de Poteſt. Eccl. quæſt.* 29. *art.* 4. quæſtionem: *Utrum Papa poſſit dare indulgentiam iis, qui ſunt in Purgatorio.* Affirmat ille: & ſententiam illam fide tenendam eſſe, Toletus *Inſtruct. Sacerdot. lib. vj.* 26. aſſeverat. In eo tamen, an id Papa faciat *per modum juriſdictionis*, an *per modum ſuffragii*, applicando ſatisfactiones aliorum in pretium, non planè calculi concordes ſunt. Prius idem Auguſtinus Triumphus, Medina, alii ſtatuunt, eò quòd purgatoriani viatores adhuc ſint, & ad forum Papæ pertineant. Poſterius Toletus, aliique plures, qui animas illas ſudantes ad forum Papæ pertinere inficiantur. Sed quo modo clavibus ſuis fores exeuntibus aperiat, parùm refert: aperiat modò: Huc pertinet diſceptatio: *An Papa per communicationem indulgentiæ poſſit totum Purgatorium expoliare?* Triumphus idem ſecundum abſolutam potentiam ſuam poſſe, affirmat. Quis ergo Clavigerum hunc Purgatorii dominum & Deaſtrum eſſe, dubitaverit?

Et claves abyſſi, in purgatorium & infernum ſibi vindicat.

XXXIX. Sed non Purgatorii duntaxat, verùm Inferni etiam claves habet. Nam Regni Cœlorum & reſerandi, & claudendi, adeóque ad inferos præcipitandi æqua ipſi poteſtas eſt. Præterea etiam non parùm in liberandis damnatis pollet. Cùm enim damnatorum pœna ſit partim damni, partim vermis conſcientiæ, partim ſenſus, recepta Pontificiorum ſententia eſt, indulgentias Papales damnatis ad imminutionem pœnæ ſenſus proficere. Imò & damni, & vermis, & ſenſus pœnam aliquando Papam non tantùm minuere, ſed penitus averruncare, adeóque clavibus ſuis exitum ex inferno patefacere, non deſunt,

desunt, qui pronuntient assa voce. Quomodo apud Rodolphum de Diceto *in Abbreviationibus Chronicorum*, inter Scriptores Anglos antiquos relatum, *pag.* 461. Dæmones inducuntur plangentes, quòd de suis manibus animæ sic eripiantur. Stella etiam, aliique longo ordine à Gerhardo *de Inferno Ss.* 63. recitati, Trajanum, hominem gentilem, Gregorii precibus ex inferno liberatum tradidere. Denique quanta cum authoritate Pluto hic dominium suum apud inferos exerceat, vel hinc etiam liquet, quòd Angelis ipsis præcipit, quid mortuis facere, quò eos, in Cœlum, an in infernum avehere debeant. Sanè Clemens VI. in Bulla Jubilæi sic bullat: *Et nihilominus prorsus mandamus Angelis Paradisi, quatenus animam à purgatorio penitus absolutam in Paradisi gloriam introducant.* Item: *Nolumus quòd pœna inferni sibi aliquatenus infligatur.* Ad quæ verba sic olim Johannes Hussus, Wolphio *Lect. Memorab. Tom. I. pag.* 751. citante commentatus est: *Idolum illud Meretricium Romæ Clemens VI. Papa nimis potestatem suam laxaverat, mandans in sua Bulla Angelis Paradisi, quòd animam peregrinantis Romam pro indulgentiis, & decedentis à purgatorio absolutam ad gaudia perpetua introducant. Iste enim volebat, quòd ad mandata ejus genua Angelorum Cœlestium flecterentur. Et cùm adjecit: Nolumus quòd pœna inferni sibi aliqua infligatur: & sic ibi imperavit, quòd potestas vel genu inferorum ad mandatum ejus flecteretur.*

In usu clavium se à quoquam judicari posse, quod solius Dei est, Papa negat.

XL. Ne verò ad dignoscendum isthoc idolum desiderari quicquam possit, Papolatræ, Papam, quocunque demum modo clavibus suis in aperiendo, claudendóve Cœlo, Purgatorio, gehenna utatur, judicio cujusquam Mortalium subjacere negant. *Est enim*, sic Baronius *in Actis Controversiæ inter Paulum V. & Venetos pag.* 39. baccha-

bacchatur, *monstrum atque portentum Luciferi, velle judicare judicia Pontificis, Christi vicarii.* Et *pag.* 43. sic Venetam Rempublicam ille alloquitur: *Unde tanta vobis authoritas, ut judicetis* (NB) JUDICEM UNIVERSORUM, *quem nullum hactenus Concilium legitimè congregatum ausum est judicare.* In Jure Canonico *Dist.* 40. *C. Si Papa* hæc aprime huc spectantia, leguntur: *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quòd magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit, primò mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos, hujus culpas isthic redarguere præsumit Mortalium nullus: quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus.* Cùm igitur Deus solus sit judex Ecclesiæ, à nemine Mortalium judicandus & judicium Ecclesiæ legitimum, juxta Dei verbum susceptum sit judicium ipsius Dei; Papa idem sibi arrogans, & Ecclesiæ judicium, ceu suo inferius, despectans, Divinitatem utique affectat, & idolum se constituit.

Iudicialem in remittendis peccatis potestatem, quæ solius Dei est, sibi Papa vendicat.

XLI. Accedit his omnibus judicialis illius processus, quo in remittendis vel retinendis hominum peccatis, clavium earundem obtentu, utitur, potestas. Nam remittendi peccata potestatem judicialem soli Deo competere, adeóque creaturis planè incommunicabilem esse, liquet clarissimè, tum quia solus Deus judex est Genes. XVIII. 24. Psal. XCVII. 19. Hebr. XII. 23. Jac. IV. 26. tum quia peccata remittere propriè, Dei proprietatis essentialis est, Esai. XLIII. 15. Mich. VII. 18. Matth. VI. 12. IX. 2. 5. 6. tum quia quisquis peccata propriè remittit, oportet sit & Καρδιογνώστης, qui peccata animi; quæ sub sensum non cadunt, cognoscat; & animarum conscientiæque dominus, qui pœnas iis convenientes dictare & irrogare possit. Papa

autem ſive immediatè, ſive in delegatis à ſe Sacerdotibus, judicialem & prætoriam peccata remittendi poteſtatem ſibi tam ſeverè vendicat, ut Concilii Tridentini Patres *Seſſ. xiv. can.* 9. anathema dirum intonuerint iis, qui dixerint, *abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi, remiſſa eſſe peccata confitenti*, &c. De qua poteſtate verè Divina à Papa ſibi arrogata, cum plura in Anatome & Funere Concilii Tridentini dixerimus, heic ea repetere ſuperſedemus. Satis eſto inde cognoſcere, quòd Papa Divinam juriſdictionem involaverit.

Claviger Papa non Regni Cœlorum, ſed abyſſi claves habere, ab Angelo Apoc. ix. 1. pronuntiatur.

XLII. Sed de Clavigero hocce novello Numine abundè ſatis, ubi hoc unum adjecero, non obſcurè illud ab Angelo quinto buccinante Apoc. ix. 1. ſugillari. Vidit enim Angelus ille buccinans ſtellam, quæ ex Cœlo in terram ceciderat, cui data fuerit ἡ κλεὶς τοῦ φρέατος τῆς ἀβύσσου, *clavis putei abyſſi.* Quæ cùm data ſit ſtellæ ex Cœlo cadenti, alia longè eſt haud dubiè à clavi illa abyſſi, quam Apoc. xx. 1. Chriſto datam eſſe, ſupra obſervavimus. Nam Chriſtus quidem Abyſſum clavi ſua aperiens Sathanam coërcuiſſe dicitur: hæc verò ſtella in terras proturbata, aperiens puteum abyſſi fumum inde, ut fumum fornacis magnæ, & ex fumo illo locuſtas in terram elicuit. Stella ex Cœlo cadens notabilem quendam Eccleſiæ doctorem, Epiſcopum, qui tanquam in Cœlo ſedens loquebatur, authoritate, quam ſibi arrogaverat, privatum notare poteſt. Talis profectò Papa eſt, quem Eccleſiæ Reformatio magna apud populos complures authoritate privavit, & ex Cœlo ſuo in terram extorrem provolvit. Reſtitare tamen ille, & clavium Regni Cœlorum ſibi traditarum prætextu apud ſuos authoritatem retinere, & apud eos, qui Majeſtatem ejus dedignantur, aſſerere. Angelus concedit ipſi clavem, ſed per inſignem μυκτηρισμὸν clavem

putei

putei abyſſi vocat, quia omni hac clavium poteſtate & exercitio homines ſibi addictos non in Cœlum adducit, ſed inferno, tanquam alter Deus hujus Seculi, mancipat, & fumum inſuper falſarum doctrinarum, atque inde etiam pullulantes locuſtas ex inferno protruſit.

XLIII. *Quintò* Divinam ſibi Majeſtatem Papa vendicat, cùm ſe *caput, Fundamentum, Petram Eccleſiæ* mentitur. Nam caput, Fundamentum, Petram Eccleſiæ eſſe, eſt πλεονέκτημα ſolius Chriſti. Is enim eſt ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος *caput illud corporis* Eccleſiæ Epheſ. I. 22. Col. I. 18. II. 19. ubi cum articulo ὁρίζεται definitè notatur is, qui eſt caput Eccleſiæ. Tum in Chriſto ſolo reperiuntur proprietates capitis, quales ſunt, conjungi cum Eccleſia ἀχωρίστως καὶ ἀδιαιρέτως, diligere Eccleſiam, συμπαθῆσαι, pro ea fieri ſacrificium, repræſentare corpus, ἐπιχορηγεῖν *ſuppeditare* ei omnem vim & facultatem vivificam, nec non augmentum, ut creſcat & educetur Eccleſia εἰς πᾶν πλήρωμα τοῦ Θεοῦ, eſſe lucem corporis Eccleſiæ, & Doctorem unicum. Quæ capitis Eccleſiæ hieroglyphica ſoli Chriſto Epheſ. I. 22. 23. I. Cor. VIII. 6. I. Tim. II. 8. I. Cor. XV. 45. 47. Joh. I. 4. 46. Matth. XXIII. 8. 10. &c. tribuuntur. Sed & θεμέλιος *fundamentum* Eccleſiæ ſolus Chriſtus Eſai. XXVIII. 16. I. Cor. III. 2. neque alius quiſquam uſpiam deſignatur. Denique *Petram* eſſe Eccleſiæ, ex uſu Scripturæ notat, ſalvandos, rupis ad inſtar, verbo ſponſionis ferre, & in Spiritualem domum extruere. Unde צור *rupes*, quod idem eſt cum πέτρα *petra*, non alius uſpiam, quàm Deus, Chriſtus inſignitur.

V. Quòd ſe Caput, Fundamentum, Petram Eccleſiæ, qua ſolus Chriſtus eſt, mentitur.

XLIV. Papam porro ſe ferre Caput, fundamentum, Petram Eccleſiæ totius militantis, probatione equidem nulla indiget. Hoc enim eſt, quod ejus hyperaſpiſtæ mordicus propugnant, & quibuſvis interdictis defenſitant. Hoc in dubium revocare, vel negare, ſcelus habetur piacu-

Papam non æquo jure aut gradu cum Chriſto caput eſſe Eccleſiæ, verbis præ-

fitentur, at dicis causa tantùm.

laribus flammis expiandum. Atque licet verbis profiteantur, Papam non æquo aut jure aut gradu cum Christo Ecclesiæ caput, fundamentum, Petram constitui, tàmen sic amplificant postea, ut facilè appareat, dicis tantùm causa Christum præferri. Nam tum Papam sic summum faciunt, ut nulli prorsus potestati, quæcunque illa tandem sit, Civilis aut Ecclesiastica, obnoxium esse velint, etiam tum, cùm officio suo non fungitur: tum sic exempto ab omni potestate omnes reliqui absque exceptione ulla non in Ecclesiasticis tantùm, sed in temporalibus etiam negotiis subjiciuntur, ipsámque adeóque Conciliorum authoritatem Sedis Apostolicæ authoritati subesse contendunt: tum Papæ sententiam definitivam esse ejusmodi volunt, ut contra ne hiscere quidem cuiquam liceat; perinde *ac si ipsa Divina voce Petri firmata esset*, uti Gratianus, *Dist.* 19. loquitur. Facit huc Concilii Florentini de potestate Papæ definitio, quam *Differt. viij. sect. iij. thes.* 28. posuimus: tum summam potestatem legislativam & judicialem, extensam etiam ad subjectionem omnis creaturæ, Papæ asserunt, uti hac ipsa dissertatione nec non supra *loc. cit. sect.* 30. &c. ostendimus: tum denique potestati huic mirè velificans dogma infallibilitatis Papæ in quæstionibus juris & facti, hodie inprimis præstruunt, uti ibidem *sect.* 34. 35. &c. latè deduximus.

Capitis primarii & Secundarii distinctionem nil hic obstare, quò minùs Papa Deum se faciat, probatur.

XLV. Neque Capitis & fundamenti *primarii* & *secundarii, imperialis* & *ministerialis* distinctio quicquam medetur. Præterquam enim quòd Bonifacius VIII. *Cap. Unam Sanctam*, Papaliter & Bullariter definivit, *Christum, & Vicarium Christi Petrum, & Petri successorem Papam unum tantùm esse omnes caput Ecclesiæ*; etiam Scriptura unius solius Capitis & fundamenti, Christi, meminit. Propriè etenim caput illud est, quod ordine, dignitate, imperio & influxu cæteris membris præest. Vel igi-

igitur Papa propriè Caput Ecclesiæ non est; vel tale est, quale Christus est. Ec quæ verò illi Capiti *imperiali* & *ministeriali* officia deputant? Stapletonus quidem *Princip. Doctr. lib. vj.* 16. sic officia partitur, ut imperiale à se, tanquam fonte, vitam in cæteras corporis partes diffundat: ministeriale corporis externa munia imperio & potestate sua dirigat & administret. Atqui *imperio* & *potestate* sua sive interna, sive externa corporis munia dirigere, præcipua seu principalis est capitis functio, illo unico digna capite, quod vitæ, sensus, & motus potestatem omnem Spiritu suo corpori impartitur. Cúmque imperium hoc exercere sit prærogativa Regia, & Regis Regum propria, qui eam totam, vel partem ejus cuiquam subditorum, qui εἰς ἔργον διακονίας *ad opus ministerum* (Ephes. IV. 12.) constituti sunt, tribuit, is læsæ Majestatis Christi reum se reddit. Caput igitur esse, & ministrum esse, ἀσύστατα sunt. Unde Papam suum Ecclesiæ caput non aliter Pontificii constituere potuerunt, quàm infinitam, meram, & reapse directam in temporalibus & spiritualibus potestatem ei arrogando, eúmque Regem Regum, & Dominum dominorum faciendo. Cujus videlicet actus proprios faciunt, adorari instar Numinis, oscula pedum à summis Monarchis excipere, Scripturæ Divinitatem suo arbitrio subjicere, fidem non probatam ex Dei verbo, non exploratam à fidelibus, conscientiis obtrudere, Concilia à suo nutu suspendere, contra leges Divinas dispensare, spiritualium prætextu Regnum merè terrenum in Imperatores, Reges, Principes mundi exigere, atque illud maximo cum splendore in mundo proferre. Hi Capitis hujus ministerialis actus ἐξαίρετοι, merè Divini utique sunt.

XLVI. Fundamenti inprimis Ecclesiæ *primarii* & *secundarii* distinctio monstrosa cui non videatur meritò? Etenim fundamentum quodvis ædificio suo adæquatum

Fundamenti primarii & secundarii monstrosa distinctio.

ſit oportet. Vel igitur ſecundarium illud fundamentum adæquatum eſt, vel non. Si adæquatum, unicum eſt, nec primarii vel ſecundarii nomine venire poteſt. Si inadæquatum, ne quidem fundamentum eſt. Sed quid multis? S. Paulus 1 Cor. III. 11. diſertis verbis dicit: Θεμέλιον ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός. *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter illud, quod poſitum eſt; quod eſt Jeſus Chriſtus.* Eſt autem profectò fundamentum ſecundarium, vicarium non tantùm ἕτερον *alterum* (quod ipſum etiam poni nefas erat, quia nullum aliud ponendum eſt παρὰ *præter* id, quod poſitum eſt ab Apoſtolis) ſed etiam ἄλλο *aliud*, quippe numero diverſum, & quidem peregrinum, propriæ domus, propriæ Eccleſiæ, ab Eccleſia Chriſti diverſiſſimæ fundamentum, neutiquam ejuſmodi, quale eſt *Lapis ille in Sione fundatus, probatus, angularis, fundatiſſimè fundatus.* Eſai. XXVIII. 16. Neque quiſquam Eccleſiæ fundamentum qualecunque propriè eſſe poteſt, niſi per meritum ſanguinis, ſuper quo, ceu fundamento unico, Eccleſia ædificari potuit. Qui igitur propriè fundamentum Eccleſiæ haberi vult, qualecunque illud, DEUM, Chriſtum ſe faciat planè neceſſe eſt.

Caput & fundamentum principale Papam haberi velle, ejuſdem tituli, & Scripturæ locorum, quæ de ſolo Chriſto intelligenda ſunt, detorſio ad ſe,

XLVII. Atque id eò magis etiam liquet, quòd is ipſe, qui ſe Caput, fundamentum Eccleſiæ, quicunque ſenſus prætexatur, haberi vult, & *Chriſti* ipſius nomen uſurpat (quomodo tum Bernhardus *de Conſid. lib. ij.* 9. Eugenium *unctione Chriſtum* appellat; tum Gregorius VII. in ſecunda bulla excommunicationis Henrici Imp. eos, qui ſibi reſtiterunt, *conveniſſe adverſus Dominum & Chriſtum ejus*, qualis Pſal. II. 2. Jeſus Chriſtus, unctorum omnium caput intelligitur, ſcribit.) & verba illa Eſaiæ cap. XXVIII. 16. *Ecce pono in Sione pro fundamento lapidem, lapidem probatum, angularem* &c. quæ & S. Paulus

lus Rom. IX. 33. & S. Petrus I Ep. II. 7. de ſolo Chriſto interpretatur, ſibi tribui patitur; (quomodo Bellarminum *Præfat. in* 3. *Controv. Gen. lib. j.* De Papa vaticinium illud blaſphemè explicantem Papa tulit) & ſe *Sponſum* Eccleſiæ, quod nomen Scriptura ſoli Chriſto θεανθρώπῳ tribuit, haberi vult; (uti non ſolùm Auguſtinus Triumphus *de Pot. Eccleſ. q.* 19. *art.* 1. ex profeſſo, Papam eſſe Sponſum Eccleſiæ diſputat; ſed etiam Innocentius III. *Serm.* 3. *in Conſid. Pontificis* ſic arguit: *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Annon ego ſponſus ſum; & quilibet veſtrûm amicus ſponſi? Utique ſponſus, quia habeo nobilem, divitem, & ſublimem, decoram, caſtam, gratioſam, ſacro-Sanctam Romanam Eccleſiam; quæ, diſponente Deo, cunctorum fidelium mater & magiſtra eſt;* & Leo X. in Bulla Concordatorum cum Franciſco I. *Nuper*, inquiebat, *ſiquidem, ut Eccleſia Sponſa noſtra in ſancta unione conſervaretur)* &, quod Chriſtus ſibi ſoli tribuit, omnem ſibi in Cœlo & terra poteſtatem datam gloriatur; (uti tum Puccius & Stephanus Patracenſis *Concil. Later. Seſſ.* 9. & 10. Julio Papæ datam eſſe blaſphemat; tum *Cerem. lib. tit.* 7. Pontifici, ſummo in terris Chriſti Vicario poteſtatem ſummam datam eſſe ſtatuit, juxta illud: *Data eſt mihi omnis poteſtas &c.)* & ſe *Leonem de tribu Juda* dici permittit (uti permiſit Leo X. ſe in Conſilio Lateranenſi *Seſſ.* 6. à Simone Begnio dici) & ſe *Agnum Dei tollentem peccata mundi* proclamari haud iniquè fert (uti à Panormitanis ſe proclamari Martinus IV. teſte Jovio in Philippo III. paſſus eſt) ut alia ejuſmodi peſſimi commatis omittam. Quid jam quæſo Chriſto relinquit? Adeò nihil tam certè manifeſtéque de eo Spiritus S. prædixit, quod non iſte ſibi ſceleratè vel aſſumat, vel attribui patiatur. Tale ergo Caput Eccleſiæ, tale fundamentum Eccleſiæ haberi poſtulat, quale

le fuit Christus; verbo Caput, fundamentum planè Divinum.

nec non vi vocabulorum, Caput, Pontifex Summus &c. arguunt.

XLVIII. Hinc adeò, ceu Caput & Oecumenicus Pontifex summus universali Ecclesiæ Christi dominatur basilicè: ne caput ministeriale somnies. Vocabulorum enim illorum, *Caput, Pontifex Summus* &c. vim modò attende, non dissimulatam ab Hierarchicis. Bonifacius VIII. *Extravag. Unam Sanctam* &c. *Subesse*, inquit, *Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus esse de necessitate salutis.* Inde scilicet sunt consectaria; *Papa est immediatus Prælatus, & judex omnium fidelium, ut in toto orbe terrarum facere possit, quicquid inferiores Prælati facere possunt.* Sic Johannes de Turre cremata in Summa *de Ecclesia lib. ÿ.* 65. & 80. *Romanus*, ait, *Pontifex jurisdictionis authoritate ac potestate superior ac major existit tota Ecclesia universali.* Glossator Gratiani *C.* 9. *quæst.* 3. *cap. Nemo*; Concilium Papam judicare posse negat. *Unde*, inquit, *si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, videtur, quòd sententia Papæ standum esset.* Idque ex vi verborum ejus Canonis eruitur, in quo sic legere est: *Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur.* Negat ergo præfractè, se à quoquam judicari posse; imò se regulam fidei constituit, uti supra ostendimus, & Caranza *Proleg. in Summam Concil. Controv.* 3. omni posita fronte, & claris verbis pronuntiat. Denique Episcopos omnes titulorum illorum vi, ad ministrorum & vasallorum suorum subsellia redegit; &, quod indignius est, Episcopos, Archiepiscopos, quorum summa dignitas erat præfici Ecclesiæ, ad eam contumeliam projecit, ut magno honori ducant, si officiarii Papæ domestici, veluti Cancellarii, datarii, Quæstores, prætores, Presbyteri, Diaconi urbis Romæ quandoque creentur.

tur. Quæ cùm ita sint, jubare meridiano clariùs emicat, Papam titulis illis Capitis, fundamenti Ecclesiæ &c. se Christo æquare, Ecclesiæ universali, ceu Numen quoddam, præferre, denique demonstrare, quòd Deus sit.

XLIX. *Sextò* Divinitatem Papa affectat, cùm sibi *potestatem transferendi Regna*, & *Regibus ipsis imperitandi* eximiam facit. Quin hoc Divinæ Majestatis πλεονέκτημα quoddam sit, nemo sanus revocare in dubium potest. Nam הוא *Ipse*, Deus, non alius quisquam מהעדה מלכין ומהקים מלכין *transfert Reges*, & *constituit Reges*, Dan. 11. 21. Non igitur consilus hominum, & eorum prudentia, aut brachio existunt, aut conservantur, aut tolluntur, sed nutu solius Dei. Qui aliquando erigit potentes in mundo, ad parvum tempus, donec destinata sua per eos fecerit. Concinit æterna Dei Sapientia, Filius Dei Prov. VIII. 15. sic clamans: בי מלכים ימלכו *Per me Reges regnant*, & *Principes justitiam decernunt*. Et S. Paulus Rom. XIII. 1. οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ, *Non enim est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.* Neque aliam certè ob caussam Deus *Regis Regum* & *Domini dominantium* nomine venit. Supra quoque *Differt. vij. sect. iij. th.* 6. fusè comprobavimus, Secularis potestatis radicem esse immediatam institutionem Dei, & delegationem quorundam cæteris dominantium. Denique dominium transferre non potest, nisi qui dominium habet. Qui ergo omne dominium, omnia Regna transferre potest, is omne dominium habet. Solus autem Deus omne dominium habet.

VI. Quòd potestatem transferendi Regna, & imperitandi omnibus Regibus, Divinam sibi asserit.

L. Hanc potestatem sibi eximiam fecisse Papam illum orbis arbitrum, & *Regem Regum, ac Dominum dominantium, cujus tribunal idem est cum tribunali Dei*, uti Isiodorus Musconius, Vicarius Generalis Archiepiscopi Bono-

A se coronatos Reges à Deo coronatos pronuntiat, & sic

crilegio huic ludibria addit.

nensis *de Majest. Eccles. Milit. lib. j. c. 7.* loquitur; ejusdem, quam modò citavimus Dissertationis octavæ Sessione tertia integra, inprimis thesi 53-66. clarissimè demonstravimus. Et indignaretur Papa haud dubiè, si de eminentissimo & verè Divino hoc jure controversiam ipsi facere cuiquam liberet. Atque illud cumprimis memorabile est, quòd Papa à se coronatos *à Deo coronatos* appellat; quódque diadema à se datum à Petra Christo, & Petro datum interpretatur, juxta Hildebrandinum illud:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Unicum addo, impietati huic & Divini honoris sacrilegio non erubuisse Pontifices subinde ludibria & contumelias addere. Nota est coronatio Henrici V. Imperatoris à Cœlestino Papa peracta; quam sic Henricus de Knygthon *de Event. Angliæ lib. ij. cap.* 13. describit: *Secundo die consecrationis suæ coronavit Henricum V. Friderici Filium in Imperatorem sub hac forma. Inprimis recepto ab eodem Henrico juramento ante gradus Ecclesiæ Romanæ, quòd Ecclesiam Dei defenderet, ejus jura conservaret, rectam justitiam teneret, patrimonium Petri, si quod oblatum fuerit, pro posse revocaret. Contra Dominus Papa in cathedra sedens, coronámque Imperialem pedibus tenens inclinato capiti Imperiali demisit, quam statim cum pedibus in terram excussit, designans per hæc, quòd ipse Papa habet potestatem (NB) CREARE Imperatorem, si meruerit; & dejiciendi, si demeruerit. Cardinales verò adstantes coronam sic excussam capiti reposuerunt.* Similem contumeliam Henrico IV. Galliarum Regi absenti coronato à Papa illatam, in Historia Papatus narravimus. Cùm ergo Papa & jus constituendi & dejiciendi Divinum Imperatores ac Reges omnes sibi vindicet, & jus illud exercuerit jam olim, uti loco citato fidem liberaliter fecimus, pro libitu; quis non hic novel-

lum Deum Babylonium, Regem regum, & Dominum dominantium palpat? Quod ipsum etiam idem, qui supra Henricus V. Imp. Aventino *Annal. Bojor. lib. vj.* teste, Papæ sic exprobrat: *Genitore oppresso adversus me conspirat, neque modum ambitioni ponit, nisi alios omnes dignitate & honore expoliet, atque tandem* PRO DEO SE ADORARI exigat.

LI. *Septimò* licentia Papalis *dispensandi contra legem Divinam, juramenta & vota legitima* Divinitatis affectatæ reum Papam liquidò reddit. Cùm dispensatio sit relaxatio quædam & solutio ab obedientia in lege præscripta in certo casu, manifestum utique est, non alii dispensandi contra legem Divinam, potestatem competere, quàm ei, qui legis author est, vel parem cum authore legis potestatem habet. Ejusdem enim est figere & refigere, obligare & solvere. Quod humanæ etiam leges demonstrant, à quarum obligatione vel in universum, vel in certo casu, relaxare, nisi qui easdem rogavit, potest nemo. Obligatio quippe ad legis obsequium, vel ab eadem obligatione solutio ab eo solo pendet, qui lege superior est. Rectè igitur Zechius *de statu Pontif. art.* 2. scribit: *Dispensare in lege potest, qui eam tulit, vel qui est supra id jus.* Qui igitur contra legem Divinam dispensat, vel ipse Deus est, legis Divinæ author; vel parem cum Deo potestatem, adeóque Divinam habeat oportet. Par ratio dispensandi contra juramenta & vota legitima. In utrisque enim Deo aliquid promittitur, vel eodem teste asseritur. Solus autem Deus liberam hic adstringendi, vel relaxandi facultatem haberet, si qua omnino ejusmodi facultas locum habere posset: de quo heic non disputamus.

VII. Quòd dispensandi contra legem Divinam juramenta & vota potestatem sibi tribuit.

LII. Papam porrò sibi dispensandi enormem illam licentiam sumere, in propatulo sanè est. Petrus de Monte in *Monarchia* disertissimè: *Papa tollit jus Divinum, di-*

Jus dispensandi contra legem Dei Papa vindic.

 spen-

natum à Petro de Monte Gobelino Persona, Glossatore juris Canonici, Innocentio III. Vasquez, Caranza.

spensando contra Euangelium. Papa dispensat contra universalem statum Ecclesiæ. Dispensat contra vetus Testamentum. Dispensat contra multa capitula quatuor Euangeliorum. Gobelinus Persona *Cosmodromii ætate 6. cap. 87. Bonifacius non solùm contra Apostolum, sed etiam contra Euangelium dispensavit. Nam Ladislao Regi Siciliæ, seu Neapolis indulsit, quòd ipse abdicata à se uxore legitima, tam multis annis cum eo commorante, aliam superinduxit uxorem.* Glossa *super Decretal. 3 1. Tit. 8. c: proposuit* crudè satis: *Papa dispensat Vetus Testamentum, Apostolos & Euangelia.* Ipse Innocentius III. *Cap. Proposuisti, de Concess. Præbend.* sibi apertè tribuit, quòd *secundum plenitudinem potestatis de jure supra jus dispensare possit.* Expressè etiam Vasquez *Tomo III. Disput. 226. num. 6. Licet*, inquit, *concederemus hoc fuisse Apostolicum præceptum, nihilominus Ecclesia & Summus Pontifex potuerunt illud justis de causis abrogare. Neque enim major fuit potestas Apostolorum, quàm Ecclesiæ & Pontificis in ferendis præceptis.* Denique Caranza *Controv. 2. Ecclesia*, inquit, *visa est aliquando facere contra Scripturas, aliquando præter Scripturas. Ergo ipsa est regula eorum, quæ traduntur in Scripturis.* Et mox: *Ergo credimus Ecclesiæ contra formam Scripturarum.*

Actu jus illud frequenter usurpat.

LIII. Quid verò multis? Res ipsa non loquitur, sed clamat. Plurima illa idololatriæ, quæ in Papatu obtinet, genera: mandatorum humanorum pro Divinis inculcatio: Calicis Eucharistici laicis surrepti nefas: Cultus Dei in Ecclesia lingua peregrina peragi solitus: Angelorum & Sanctorum cultus: Matrimonii & ciborum quorundam prohibitio, denique universa illa dogmata, quæ præter, contra & supra verbum Divinum Papa invexit & definivit, quid aliud, quàm luculenta,

Papa-

Papalis contra jus Divinum dispensationis testimonia sunt?

LIV. Concilia inprimis Constantiense & Tridentinum illam dispensandi contra jus Divinum potestatem Ecclesiæ, hoc est, Papæ in solidum asserunt. In Constantiensi enim *Sess. viij. c. 13.* Patres præfati de institutione Christi, & de expresso mandato bibendi ex calice, ad omnes sine discrimine fideles directo, subjiciunt, *Hoc (NB) non obstante* prohiberi à se Laicis calicem. Unde *Non-Obstantiense Concilium* festivè Lutherus insignivit. In Concilio verò Tridentino *Sess. xxj. cap. 7.* habetur decretum, cujus titulus est: *Ecclesiæ potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ.* Verba decreti, quo Calice Eucharistico plebs defraudatur, sic sonant: *Præterea declarat* Synodus, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia* (scilicet ablato calice, materiæ Sacramenti parte essentiali, mansit substantia Sacramenti) *ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, vel ipsorum Sacramentorum venerationi expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscurè visus est innuisse, cùm ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Audi egregiam rationem. *Paulus dicit: Sumus dispensatores mysteriorum Dei. Mysteria sunt Sacramenta: & dispensare est jus relaxare. Ergò, quæ Christus in dispensatione & usu Eucharistiæ instituit, Ecclesia potest abrogare.* In tanta luce Thais illa Babylonica perfrictæ frontis ludere vocabulis non erubuit. Et qua conscientia hanc causam agat, omnes perpendant. Mysteria enim S. Paulo notant revelationem totius doctrinæ Euangelicæ; & Apostolos vocat illorum Mysteriorum *οἰκονόμους dispensatores*; hanc ipsam innuens antithesin, quòd non sint domini horum mysteriorum, qui potesta-

Et in Constantiensi ac Tridentino Concilio, non sine putida detorsione verborum Apostoli, impudenter, cumprimis exercuit.

tem habeant mutandi & abrogandi: sed quòd tantùm sint œconomi, in quibus hæc fidelitas requiritur, ut juxta institutionem & præceptum domini sui ea dispensent, quæ iis commissa sunt. In hac significatione vetus Interpres vocabulo dispensationis usus est. Illa verò vocis æquivocatio commoda visa fuit piis scilicet Patribus illis, qua Papam ubique Papaliter dispensare, ipsámque Cœnam mutilare posse, astruerent. Crimine ab uno disce omnes.

Andradii & Melchioris Cani,

LV. Operæ pretium fuerit, σοφὰ illa φάρμακα, quæ Papalibus dispensationibus parasiti nonnulli obduxere, paucis discutere. Et Andradius quidem *Defens. Fid. Trid. fol.* 166. negat, eos erràsse, qui dicunt, *Romanos Pontifices posse nonnunquam in legibus dispensare à Paulo, primisque quatuor Conciliis, ad Ecclesiam exornandam, moresque componendos, pro temporum necessitate edictis.* Quo verò argumento? *Quia*, inquit, *leges ejusmodi non fuerunt Christi voce rogatæ, sed hominum authoritate & prudentia latæ, qui illius* (Papæ) *ditioni subsunt, qui rerum summa potitur & universæ Ecclesiæ gubernacula tractat.* Cum Andradio conspirans Melchior Canus *cap.* 18. duas constituit præceptorum Apostolicorum classes, quorum alia acceperint à Christo gentibus evulganda; alia non quidem à Christo acceperint, sed post Christum in Cœlos assumptum ipsi populis tradiderint; quæ tamen ipsa quoque Christi præcepta dicantur, quia Dei spiritu peculiariter suggerente edita fuerunt. Priora illa remitti posse negat; à posterioribus utpote propriè humanis & Ecclesiasticis liberare posse Pontificem suos subditos vel ex parte, vel omnino posse, asserit. Sed pudenda hæc esse κηροφύγια, non tantùm Scripturarum authoritas uniformiter Divina, sed etiam ipsa praxis Papalium dispensationum loquitur. Nam v. 9. *Copula Sacerdotalis nec legali, nec*

Euan-

Euangelica, nec Apostolica authoritate prohibetur (imò quavis illarum permittitur) *Ecclesiastica tamen lege interdicitur*, verba sunt Decreti Gratiani *parte 2. C. 26. q. 2. Can. Sors non est.* In Concilio etiam Constantiensi & Tridentino contra institutionem & exemplum ipsius Christi sub pœna excommunicationis, & trino anathemate munitur novitia consuetudo communicandi populo Sacramentum sub una specie. Bellarminus quoque *de Rom. Pontif. lib. v. 5.* explicans potestatem clavium, Pontifici asserit dispensationem *in lege, votis, juramentis, & similibus obligationibus*; quæ ad ecclesiasticas constitutiones nullo schemate referri possunt, sed absolutè juris Divini sunt. Taceo dispensationes contra verbum Dei innumeras supra indigitatas; quòdque authoribus *thesi L.* allegatis subdola distinctio isthæc *μηδὲ κατ' ὄναρ* in mentem venit.

LVI. Frustra ergo etiam Bellarminus *de R. Pontif. lib. v. 5.* hac protestatione utitur: *Docemus nos uno ore, Christi doctrinam & cultus non posse mutari.* Idem tamen sibi discors *lib. iij. de Antich. cap. 14.* asserit, *Papam posse dispensare in præceptis positivis Apostolorum. Non tamen hoc esse contra Apostolum, sed juxta Apostolum, quia Apostolica potestas, qua Apostolus pro tempore aliquid in Ecclesia statuit, futura erat in successoribus, qua possent illi ipsi eadem moderari vel mutare, prout Ecclesiæ expediret.* Atqui Papam dispensâsse frequenter in iis, quæ sunt non juris Apostolici positivi, (quanquam & hæc, utpote à spiritu Dei profecta humana authoritate, indispensabilia sunt) sed quæ simpliciter juris Divini & perpetui sunt, satis jam constat. Est igitur distinctio hæc *Φλυαρία σοφῶν*. Quid quæso tam Divinum, tam Euangelicum est, quàm fidem servare publicè & privatim? Ecce autem perpetua est ista nundinatio Pontificis; qui simul

nec non Bellarmini eo- [illegible] dissentiuntur.

atque

sit oportet. Vel igitur secundarium illud fundamentum adæquatum est, vel non. Si adæquatum, unicum est, nec primarii vel secundarii nomine venire potest. Si inadæquatum, ne quidem fundamentum est. Sed quid multis? S. Paulus 1 Cor. III. 11. disertis verbis dicit: Θεμέλιον ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός. *Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter illud, quod positum est; quod est Jesus Christus.* Est autem profectò fundamentum secundarium, vicarium non tantùm ἕτερον *alterum* (quod ipsum etiam poni nefas erat, quia nullum aliud ponendum est παρὰ *præter* id, quod positum est ab Apostolis) sed etiam ἄλλο *aliud*, quippe numero diversum, & quidem peregrinum, propriæ domus, propriæ Ecclesiæ, ab Ecclesia Christi diversissimæ fundamentum, neutiquam ejusmodi, quale est *Lapis ille in Sione fundatus, probatus, angularis, fundatissimè fundatus.* Esai. XXVIII. 16. Neque quisquam Ecclesiæ fundamentum qualecunque propriè esse potest, nisi per meritum sanguinis, super quo, ceu fundamento unico, Ecclesia ædificari potuit. Qui igitur propriè fundamentum Ecclesiæ haberi vult, qualecunque illud, DEUM, Christum se faciat planè necesse est.

Caput & fundamentum principale Papam haberi velle, ejusdem tituli, & Scripturæ locorum, quæ de solo Christo intelligenda sunt, detorsio ad se,

XLVII. Atque id eò magis etiam liquet, quòd is ipse, qui se Caput, fundamentum Ecclesiæ, quicunque sensus prætexatur, haberi vult, & *Christi* ipsius nomen usurpat (quomodo tum Bernhardus *de Consid. lib. ÿ.* 9. Eugenium *unctione Christum* appellat; tum Gregorius VII. in secunda bulla excommunicationis Henrici Imp. eos, qui sibi restiterunt, *convenisse adversus Dominum & Christum ejus*, qualis Psal. II. 2. Jesus Christus, unctorum omnium caput intelligitur, scribit.) & verba illa Esaiæ cap. XXVIII. 16. *Ecce pono in Sione pro fundamento lapidem, lapidem probatum, angularem* &c. quæ & S. Paulus

lus

lus Rom. IX. 33. & S. Petrus I Ep. II. 7. de solo Christo interpretatur, sibi tribui patitur; (quomodo Bellarminum *Præfat. in* 3. *Controv. Gen. lib. j.* De Papa vaticinium illud blasphemè explicantem Papa tulit) & se *Sponsum* Ecclesiæ, quod nomen Scriptura soli Christo θεανθρώπῳ tribuit, haberi vult; (uti non solùm Augustinus Triumphus *de Pot. Eccles. q.* 19. *art.* 1. ex professo, Papam esse Sponsum Ecclesiæ disputat; sed etiam Innocentius III. *Serm.* 3. *in Consid. Pontificis* sic arguit: *Qui habet sponsam, sponsus est. Annon ego sponsus sum; & quilibet vestrûm amicus sponsi? Utique sponsus, quia habeo nobilem, divitem, & sublimem, decoram, castam, gratiosam, sacro-Sanctam Romanam Ecclesiam; quæ, disponente Deo, cunctorum fidelium mater & magistra est;* & Leo X. in Bulla Concordatorum cum Francisco I. *Nuper*, inquiebat, *siquidem, ut Ecclesia Sponsa nostra in sancta unione conservaretur)* &, quod Christus sibi soli tribuit, omnem sibi in Cœlo & terra potestatem datam gloriatur; (uti tum Puccius & Stephanus Patracensis *Concil. Later. Sess.* 9. & 10. Julio Papæ datam esse blasphemat; tum *Cerem. lib. tit.* 7. Pontifici, summo in terris Christi Vicario potestatem summam datam esse statuit, juxta illud: *Data est mihi omnis potestas &c.)* & se *Leonem de tribu Juda* dici permittit (uti permisit Leo X. se in Consilio Lateranensi *Sess.* 6. à Simone Begnio dici) & se *Agnum Dei tollentem peccata mundi* proclamari haud iniquè fert (uti à Panormitanis se proclamari Martinus IV. teste Jovio in Philippo III. passus est) ut alia ejusmodi pessimi comatis omittam. Quid jam quæso Christo relinquit? Adeò nihil tam certè manifestéque de eo Spiritus S. prædixit, quod non iste sibi sceleratè vel assumat, vel attribui patiatur. Tale ergo Caput Ecclesiæ, tale fundamentum Ecclesiæ haberi postulat, quale

le fuit Christus ; verbo Caput, fundamentum planè Divinum.

nec non vis vocabulorum, Caput, Pontifex Summus &c. arguunt.

XLVIII. Hinc adeò, ceu Caput & Oecumenicus Pontifex summus universali Ecclesiæ Christi dominatur basilicè : ne caput ministeriale somnies. Vocabulorum enim illorum, *Caput, Pontifex Summus* &c. vim modò attende, non dissimulatam ab Hierarchicis. Bonifacius VIII. *Extravag. Unam Sanctam* &c. *Subesse*, inquit, *Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus esse de necessitate salutis.* Inde scilicet sunt consectaria ; *Papa est immediatus Prælatus, & judex omnium fidelium, ut in toto orbe terrarum facere possit, quicquid inferiores Prælati facere possunt.* Sic Johannes de Turre cremata in Summa *de Ecclesia lib. ij.* 65. & 80. *Romanus*, ait, *Pontifex jurisdictionis authoritate ac potestate superior ac major existit tota Ecclesia universali.* Glossator Gratiani *C.* 9. *quæst.* 3. *cap. Nemo* ; Concilium Papam judicare posse negat. *Unde*, inquit, *si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, videtur, quòd sententia Papæ standum esset.* Idque ex vi verborum ejus Canonis eruitur, in quo sic legere est : *Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur.* Negat ergo præfractè, se à quoquam judicari posse ; imò se regulam fidei constituit, uti supra ostendimus, & Caranza *Proleg. in Summam Concil. Controv.* 3. omni posita fronte, & claris verbis pronuntiat. Denique Episcopos omnes titulorum illorum vi, ad ministrorum & vasallorum suorum subsellia redegit ; &, quod indignius est, Episcopos, Archiepiscopos, quorum summa dignitas erat præfici Ecclesiæ, ad eam contumeliam projecit, ut magno honori ducant, si officiarii Papæ domestici, veluti Cancellarii, datarii, Quæstores, prætores, Presbyteri, Diaconi urbis Romæ quandoque creentur.

tur. Quæ cùm ita ſint, jubare meridiano clariùs emicat, Papam titulis illis Capitis, fundamenti Eccleſiæ &c. ſe Chriſto æquare; Eccleſiæ univerſali, ceu Numen quoddam, præferre, denique demonſtrare, quòd Deus ſit.

XLIX. *Sextò* Divinitatem Papa affectat, cùm ſibi *poteſtatem transferendi Regna, & Regibus ipſis imperitandi* eximiam facit. Quin hoc Divinæ Majeſtatis τὸ ἀτε-κίκημα quoddam ſit, nemo ſanus revocare in dubium poteſt. Nam הוּא *Ipſe*, Deus, non alius quiſquam מְהַעְדֵּה מַלְכִין וּמְהָקֵים מַלְכִין *transfert Reges, & conſtituit Reges*, Dan. II. 21. Non igitur conſilus hominum, & eorum prudentia, aut brachio exiſtunt, aut conſervantur, aut tolluntur, ſed nutu ſolius Dei. Qui aliquando erigit potentes in mundo, ad parvum tempus, donec deſtinata ſua per eos fecerit. Concinit æterna Dei Sapientia, Filius Dei Prov. VIII. 15. ſic clamans: בִּי מְלָכִים יִמְלֹכוּ *Per me Reges regnant, & Principes juſtitiam decernunt.* Et S. Paulus Rom. XIII. 1. οὐ γὰρ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ, *Non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt.* Neque aliam certè ob cauſam Deus *Regis Regum & Domini dominantium* nomine venit. Supra quoque *Diſſert. vij. ſect. ij. th.* 6. fusè comprobavimus, Secularis poteſtatis radicem eſſe immediatam inſtitutionem Dei, & delegationem quorundam cæteris dominantium. Denique dominium transferre non poteſt, niſi qui dominium habet. Qui ergo omne dominium, omnia Regna transferre poteſt, is omne dominium habet. Solus autem Deus omne dominium habet.

VI. Quòd poteſtatem transferendi Regna, & imperitandi omnibus Regibus, Divinam ſibi aſſerit.

L. Hanc poteſtatem ſibi eximiam feciſſe Papam illum orbis arbitrum, & *Regem Regum, ac Dominum dominantium, cujus tribunal idem eſt cum tribunali Dei*, uti Iſiodorus Muſconius, Vicarius Generalis Archiepiſcopi Bononien-

A ſe coronatos Reges à Deo coronatos pronunciat, & ſa-

[sac]rilegio huic ludibria addit.

nensis *de Majest. Eccles. Milit. lib. j. c. 7.* loquitur; ejusdem, quam modò citavimus Dissertationis octavæ Sessione tertia integra, inprimis thesi 53-66. clarissimè demonstravimus. Et indignaretur Papa haud dubiè, si de eminentissimo & verè Divino hoc jure controversiam ipsi facere cuiquam liberet. Atque illud cumprimis memorabile est, quòd Papa à se coronatos *à Deo coronatos* appellat, quódque diadema à se datum à Petra Christo, & Petro datum interpretatur, juxta Hildebrandinum illud:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Unicum addo, impietati huic & Divini honoris sacrilegio non erubuisse Pontifices subinde ludibria & contumelias addere. Nota est coronatio Henrici V. Imperatoris à Cœlestino Papa peracta; quam sic Henricus de Knygthon *de Event. Angliæ lib. ij. cap.* 13. describit: *Secundo die consecrationis suæ coronavit Henricum V. Friderici Filium in Imperatorem sub hac forma. Inprimis recepto ab eodem Henrico juramento ante gradus Ecclesiæ Romanæ, quòd Ecclesiam Dei defenderet, ejus jura conservaret, rectam justitiam teneret, patrimonium Petri, si quod oblatum fuerit, pro posse revocaret. Contra Dominus Papa in cathedra sedens, coronámque Imperialem pedibus tenens inclinato capiti Imperiali demisit, quam statim cum pedibus in terram excussit, designans per hæc, quòd ipse Papa habet potestatem (NB) CREARE Imperatorem, si meruerit; & dejiciendi, si demeruerit. Cardinales verò adstantes coronam sic excussam capiti reposuerunt.* Similem contumeliam Henrico IV. Galliarum Regi absenti coronato à Papa illatam, in Historia Papatus narravimus. Cùm ergo Papa & jus constituendi & dejiciendi Divinum Imperatores ac Reges omnes sibi vindicet, & jus illud exercuerit jam olim, uti loco citato fidem liberaliter fecimus, pro libitu; quis non hic novel-

lum

lum Deum Babylonium, Regem regum, & Dominum dominantium palpat? Quod ipſum etiam idem, qui ſupra Henricus V. Imp. Aventino *Annal. Bojor. lib. vj.* teſte, Papæ ſic exprobrat: *Genitore oppreſſo adverſus me conſpirat, neque modum ambitioni ponit, niſi alios omnes dignitate & honore expoliet, atque tandem* PRO DEO SE ADORARI exigat.

LI. *Septimò* licentia Papalis *diſpenſandi contra legem Divinam, juramenta & vota legitima* Divinitatis affectatæ reum Papam liquidò reddit. Cùm diſpenſatio ſit relaxatio quædam & ſolutio ab obedientia in lege præſcripta in certo caſu, manifeſtum utique eſt, non alii diſpenſandi contra legem Divinam, poteſtatem competere, quàm ei, qui legis author eſt, vel parem cum authore legis poteſtatem habet. Ejuſdem enim eſt figere & refigere, obligare & ſolvere. Quod humanæ etiam leges demonſtrant, à quarum obligatione vel in univerſum, vel in certo caſu, relaxare, niſi qui eaſdem rogavit, poteſt nemo. Obligatio quippe ad legis obſequium, vel ab eadem obligatione ſolutio ab eo ſolo pendet, qui lege ſuperior eſt. Rectè igitur Zechius *de ſtatu Pontif. art.* 2. ſcribit: *Diſpenſare in lege poteſt, qui eam tulit, vel qui eſt ſupra id jus.* Qui igitur contra legem Divinam diſpenſat, vel ipſe Deus eſt, legis Divinæ author; vel parem cum Deo poteſtatem, adeóque Divinam habeat oportet. Par ratio diſpenſandi contra juramenta & vota legitima. In utriſque enim Deo aliquid promittitur, vel eodem teſte aſſeritur. Solus autem Deus liberam hic adſtringendi, vel relaxandi facultatem haberet, ſi qua omnino ejuſmodi facultas locum habere poſſet: de quo heic non diſputamus.

VII. Quòd diſpenſandi contra legem Divinam juramenta & vota poteſtatem ſibi tribuit.

LII. Papam porrò ſibi diſpenſandi enormem illam licentiam ſumere, in propatulo ſanè eſt. Petrus de Monte in *Monarchia* diſertiſſimè: *Papa tollit jus Divinum, diſpen-*

Ius diſpenſandi contra legem Dei Papa vindic.

pensando contra Euangelium. Papa dispensat contra universalem statum Ecclesiæ. Dispensat contra vetus Testamentum. Dispensat contra multa capitula quatuor Euangeliorum. Gobelinus Persona *Cosmodromii ætate 6. cap. 87. Bonifacius non solùm contra Apostolum, sed etiam contra Euangelium dispensavit. Nam Ladislao Regi Siciliæ, seu Neapolis indulsit, quòd ipse abdicata à se uxore legitima, tam multis annis cum eo commorante, aliam superinduxit uxorem.* Glossa *super Decretal. 31. Tit. 8. c. proposuit* crudè satis: *Papa dispensat Vetus Testamentum, Apostolos & Euangelia.* Ipse Innocentius III. *Cap. Proposuisti, de Concess. Præbend.* sibi apertè tribuit, quòd *secundum plenitudinem potestatis de jure supra jus dispensare possit.* Expressè etiam Vasquez *Tomo III. Disput. 226. num. 6. Licet*, inquit, *concederemus hoc fuisse Apostolicum præceptum, nihilominus Ecclesia & Summus Pontifex potuerunt illud justis de causis abrogare. Neque enim major fuit potestas Apostolorum, quàm Ecclesiæ & Pontificis in ferendis præceptis.* Denique Caranza *Controv. 2. Ecclesia*, inquit, *visa est aliquando facere contra Scripturas, aliquando præter Scripturas. Ergo ipsa est regula eorum, quæ traduntur in Scripturis.* Et mox: *Ergo credimus Ecclesiæ contra formam Scripturarum.*

statum à Petro de Monte Gobelino Persona, Glossatore Juris Canonici, Innocentio III. Vasquez, Caranza.

LIII. Quid verò multis? Res ipsa non loquitur, sed clamat. Plurima illa idololatriæ, quæ in Papatu obtinet, genera: mandatorum humanorum pro Divinis inculcatio: Calicis Eucharistici laicis surrepti nefas: Cultus Dei in Ecclesia lingua peregrina peragi solitus: Angelorum & Sanctorum cultus: Matrimonii & ciborum quorundam prohibitio, denique universa illa dogmata, quæ præter, contra & supra verbum Divinum Papa invexit & definivit, quid aliud, quàm luculenta,

Actu jus illud frequenter usurpat.

Papalis contra jus Divinum dispensationis testimonia sunt?

LIV. Concilia inprimis Constantiense & Tridentinum illam dispensandi contra jus Divinum potestatem Ecclesiæ, hoc est, Papæ in solidum asserunt. In Constantiensi enim *Sess. vij. c.* 13. Patres præfati de institutione Christi, & de expresso mandato bibendi ex calice, ad omnes sine discrimine fideles directo, subjiciunt, *Hoc (NB) non obstante* prohiberi à se Laicis calicem. Unde *Non-Obstantiense Concilium* festivè Lutherus insignivit. In Concilio verò Tridentino *Sess. xxj. cap.* 7. habetur decretum, cujus titulus est: *Ecclesiæ potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ.* Verba decreti, quo Calice Eucharistico plebs defraudatur, sic sonant: *Præterea declarat* Synodus, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia* (scilicet ablato calice, materiæ Sacramenti parte essentiali, mansit substantia Sacramenti) *ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, vel ipsorum Sacramentorum venerationi expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscurè visus est innuisse, cùm ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Audi egregiam rationem. *Paulus dicit: Sumus dispensatores mysteriorum Dei. Mysteria sunt Sacramenta: & dispensare est jus relaxare. Ergò, quæ Christus in dispensatione & usu Eucharistiæ instituit, Ecclesia potest abrogare.* In tanta luce Thais illa Babylonica perfrictæ frontis ludere vocabulis non erubuit. Et qua conscientia hanc causam agat, omnes perpendant. Mysteria enim S. Paulo notant revelationem totius doctrinæ Euangelicæ; & Apostolos vocat illorum Mysteriorum *οἰκονόμους dispensatores;* hanc ipsam innuens antithesin, quòd non sint domini horum mysteriorum, qui potestatem

Et in Constantiensi et Tridentino Concilio, non sine putida detorsione verborum Apostoli, impudenter, cumprimis exercuit.

tem habeant mutandi & abrogandi: sed quòd tantùm sint œconomi, in quibus hæc fidelitas requiritur, ut juxta institutionem & præceptum domini sui ea dispensent, quæ iis commissa sunt. In hac significatione vetus Interpres vocabulo dispensationis usus est. Illa verò vocis æquivocatio commoda visa fuit piis scilicet Patribus illis, qua Papam ubique Papaliter dispensare, ipsámque Cœnam mutilare posse, astruerent. Crimine ab uno disce omnes.

Andradii & Melchioris Cani, LV. Operæ pretium fuerit, πφὰ illa φάρμακα, quæ Papalibus dispensationibus parasiti nonnulli obduxere, paucis discutere. Et Andradius quidem *Defens. Fid. Trid. fol.* 166. negat, eos erràsse, qui dicunt, *Romanos Pontifices posse nonnunquam in legibus dispensare à Paulo, primísque quatuor Conciliis, ad Ecclesiam exornandam, morésque componendos, pro temporum necessitate edictis.* Quo verò argumento? *Quia*, inquit, *leges* ejusmodi *non fuerunt Christi voce rogatæ, sed hominum authoritate & prudentia latæ, qui illius* (Papæ) *ditioni subsunt, qui rerum summa potitur & universæ Ecclesiæ gubernacula tractat.* Cum Andradio conspirans Melchior Canus *cap.* 18. duas constituit præceptorum Apostolicorum classes, quorum alia acceperint à Christo gentibus evulganda; alia non quidem à Christo acceperint, sed post Christum in Cœlos assumptum ipsi populis tradiderint; quæ tamen ipsa quoque Christi præcepta dicantur, quia Dei spiritu peculiariter suggerente edita fuerunt. Priora illa remitti posse negat; à posterioribus utpote propriè humanis & Ecclesiasticis liberare posse Pontificem suos subditos vel ex parte, vel omnino posse, asserit. Sed pudenda hæc esse κερεφύγια, non tantùm Scripturarum authoritas uniformiter Divina, sed etiam ipsa praxis Papalium dispensationum loquitur. Nam v. 9. *Copula Sacerdotalis nec legali, nec*

Euan-

Euangelica, nec Apostolica authoritate prohibetur (imò quavis illarum permittitur) *Ecclesiastica tamen lege interdicitur*, verba sunt Decreti Gratiani *parte 2. C. 26. q. 2. Can. Sors non est.* In Concilio etiam Constantiensi & Tridentino contra institutionem & exemplum ipsius Christi sub pœna excommunicationis, & trino anathemate munitur novitia consuetudo communicandi populo Sacramentum sub una specie. Bellarminus quoque *de Rom. Pontif. lib. v. 5.* explicans potestatem clavium, Pontifici asserit dispensationem *in lege, votis, juramentis, & similibus obligationibus*; quæ ad ecclesiasticas constitutiones nullo schemate referri possunt, sed absolutè juris Divini sunt. Taceo dispensationes contra verbum Dei innumeras supra indigitatas; quòdque authoribus *thesi L.* allegatis subdola distinctio isthæc *μηδὲ κατ' ὄναρ* in mentem venit.

LVI. Frustra ergo etiam Bellarminus *de R. Pontif. lib. v. 5.* hac protestatione utitur; *Docemus nos uno ore, Christi doctrinam & cultus non posse mutari.* Idem tamen sibi discors *lib. iij. de Antich. cap. 14.* asserit, *Papam posse dispensare in præceptis positivis Apostolorum. Non tamen hoc esse contra Apostolum, sed juxta Apostolum, quia Apostolica potestas, qua Apostolus pro tempore aliquid in Ecclesia statuit, futura erat in successoribus, qua possent illi ipsi eadem moderari vel mutare, prout Ecclesiæ expediret.* Atqui Papam dispensâsse frequenter in iis, quæ sunt non juris Apostolici positivi, (quanquam & hæc, utpote à spiritu Dei profecta humana authoritate, indispensabilia sunt) sed quæ simpliciter juris Divini & perpetui sunt, satis jam constat. Est igitur distinctio hæc *ἀπινυρία συνῆν*. Quid quæso tam Divinum, tam Euangelicum est, quàm fidem servare publicè & privatim? Ecce autem perpetua est ista nundinatio Pontificis, qui simul

nec non Bellarmini ον-θὰ φάρμακα dissentiuntur.

atque

atque per impluvium anguis inciderit, aut sorex sacris suis occentaverit, à fide absolvit populareis, civitates, regna, & de suo Vaticano canit fatale bellicum, inde ab aliquot annorum centuriis, perfidiæque publicæ publica auctoramenta præbet, Deo damnante, hominibúsque luentibus furialis illius incendii pœnas.

Bellarminus idem Papam de peccato non peccatum facere posse profitetur.

LVII. Sed magis versutiam suam idem Bellarminus libello *de excusatione Barclaii cap.* 31. hac prosopopœia Dialogistica prodit: (Populus) *Christus cùm claves Regni Cœlestis Petro tradidit, non dedit ei potestatem faciendi de peccato non peccatum?* (Pontifex) *Nescis quid loquaris, siquidem in bono sensu dedit Christus Petro potestatem faciendi de peccato non peccatum.* (En mox ἀφὲν φάρμακον.) *Verum est tamen, Claves Petri ad id se non extendere, ut possit Summus Pontifex declarare non esse peccatum, quod est peccatum, aut esse peccatum, quod non est peccatum. Id enim esse docere malum bonum, & bonum malum, quod longißimè abest, & semper abfuit, & aberit à doctrina illius, qui Ecclesiæ præest, quæ est columna & firmamentum veritatis.* Hactenus ille. Quem si audimus, bonus ille sensus, quo Christus dedit potestatem Petro faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum, non patitur quidem, ut Pontifex declaret, peccatum esse non peccatum, in sensu composito: sed non repugnat, ut idem declaret in sensu diviso, id est, supposita mutatione doctrinæ & præcepti per potestatem Papæ datam; qua jam non est ampliùs peccatum, quod modò erat peccatum. Cautum scilicet est Ecclesiæ datis Petro clavibus, ne Papæ lingua præcurrens mentem & voluntatem mutandi doctrinam virtutum & vitiorum, mentiatur. Non mentitur autem, nec fallit aut fallitur Pontifex, si usus potestatis Apostolicæ exercitio, ad veteris præcepti antiquationem, pronuntiet jam peccatum esse,

quod

quod olim Apoſtoli pronuntiârunt non eſſe peccatum, vel contra. Hæc eſt bella Judicis viſibilis Eccleſiaſtici infallibilitas, quòd ſcilicet Pontifex in doctrinæ Apoſtolicæ de peccati ἀθετήσει ſeu antiquatione, nunquam dicto factum prævertat; de facto autem ſit ὁ Ἄνομος, Exlex ille 2 Theſſ. II. 1.

Diſpenſatio Papalis circa gradus matrimonii jure Divino prohibitos.

LVIII. Diſpenſationum Papalium haud extrema pars eſt, qua ſibi arrogat Papa poteſtatem diſpenſandi in lege Divina gradus quoſdam conſanguinitatis & affinitatis in matrimonio contrahendo prohibente; adeóque quoad leges eas gratiam faciendi obſequii, & liberandi à neceſſitate parendi Deo. Fucum quidem denuo moliuntur ejus paraſiti diſtinguentes inter gradus prohibitos jure Divino naturali, & jure Divino poſitivo; atque in his, non in illis Papam diſpenſare poſſe, aſſerentes. Sed fucus ille pellucet nimiùm. Cùm enim ex Levit. XVIII. 6. &c. abundè conſtet, prohibitiones illas ejuſdem ferè generis omnes eſſe, & ob tranſgreſſionem legum illarum ipſos gentiles Cananæos, qui juri Divino poſitivo haud ſuberant, abominationi & pœnæ ſubjici, diſtinctionis illius vanitas ultrò cognoſcitur. Præterea leges Divinæ poſitivæ Chriſto adveniente non abrogatæ, Divinæ & inviolabiles manent, neque quidquam in eas juris eſſe Mortalium ulli poteſt. Ipſa Papæ diſpenſatio, quæ juris relaxatio eſt, lege in ſuo vigore permanente, arguit, leges illas obligare. Unde ergo obligandi illa poteſtas, quam leges eæ habent, eſt, niſi à Deo, authore legum? Quoties igitur diſpenſat in iis, in legis Divinæ obſervatione diſpenſat. Et ſi quod jus Papa diſpenſandi haberet, diſcrimen naturalium & poſitivarum legum non ab arbitrio Papæ ſuſpendi, ſed certis notis prius cognoſci ab omnibus deberet. Aliàs pro lubitu primò decernere, hunc vel illum gradum eſſe juris poſitivi: & poſt in eodem diſpenſare poſſet; atque ſic diſtinctio

ctio illa ludicra tota foret. Nunc autem de discrimine illo nihil Papistæ constitutum habent. Nam circa gradum primum consanguinitatis in linea transversa æquali, hoc est, circa matrimonia fratrum & sororum nondum inter eos convenit. Sunt enim, qui ea non à jure Divino naturali, sed positivo arcessunt; veluti Thomas Aquinas *in 4. dist. 4. q. 1. art. 3.* & in Summa *par. 3. q. 54. art. 3.* Bonaventura eadem *dist. par. 2. q. 2.* Richardus *ibid. quæst. 2.* Scotus *quæst. unica*, Durandus eadem Dist. *quæst. 1.* Alensis *2. par. q. 169. m. 4.* Cajetanus *22. q. 154. art. 9.* Roffensis *tract. de matrimonio Regis Angliæ Henrici VIII.* Victoria *Relect. de matrim. par. 2.* Ex principio ergo, quo Papæ potestatem dispensandi in omnibus gradibus, qui jure naturæ non sunt prohibiti, asserunt, juxta hanc capitum Scholæ sententiam, nuptias fratrum & sororum permittere, adeóque dispensare in Lege Divina eosdem prohibente poterit. Quomodo Angelus de Clavasio in Summa *fol. 307.* refert, *D. Archiepiscopum Florentinum in Summa dicere, se audivisse à fide dignis, quòd Papa Martinus V. habita consultatione cum multis doctissimis Viris in Sacra Theologia & jure Canonico, dispensavit cum quodam, qui acceperat* GERMANAM *suam in uxorem, propter multa mala & scandala, quæ evenissent, si eam dimisisset, & quæ evitari non poterant, nisi sic dispensaretur.* Alios aliter sentire, & nuptias ejusmodi jure naturæ consistere non posse, probabilius censere, haud equidem ignoro. Sed de eo quicquid sit, saltem illud inde constat, quòd discrimen illud legum incertum apud Pontificios sit, adeóque totum illud quicquid est, à nutu & arbitrio Papæ pendere. Denique dispensandi authoritas est vel absoluta ipsiusmet Legislatoris; vel à superiore inferiori delegata. Qualem ergo Papa sibi arrogat? Si delegatam, cedo tabulas! Si absolutam, legis illius

illius se facit conditorem, vel & conditore, & lege superiorem, adeóque Deum.

LIX. Jam & à legitimo juramento Papa dispensandi potestatem rapuit. Non veretur enim Regum ac Principum subditos à juramento fidelitatis, quo illis tenebantur, absolvere. Quin excommunicationem eorum, aut hæreseos declarationem à Papa factam, hanc à juramento fidelitatis relaxationem ipso facto operari, Casuistæ pronuntiant. Quomodo in excommunicati pœnam relaxari juramentum illi factum, post alios Toletus *Instit. Sacerd. lib. iv.* 23. docet, citatis etiam ex jure Canonico *xv. q.* 6. *cap. Nos Sanctorum*; & cap. *Juratos*. Quoties ergo Papis furoris sui œstro percitis libuit, Principes ob hæresin, vel aliam causam, veram vel fictam, excommunicare, eadem opera subditos à fidelitatis juramento absolverunt. Exempla obvia sunt in Germania, Gallia, quæ Papæ emissariis contranitentibus, in Comitiis Parisiensibus A. 1615. impetrare non potuit, ut articulus ille tertii ordinis, quo statuebatur, *Regem ita independentem esse, ut nulla sit potestas in terris spiritualis vel temporalis, quæ jus aliquod in Regnum Galliæ habeat, possitque vel Reges spoliare, vel eorum subditos à juramento fidelitatis absolvere*, admitteretur; Anglia cumprimis, cujus juramentum fidelitatis, ex sontica necessitate à Rege Jacobo & Parlamento, à conspiratione pulveraria horribili recens liberato, præscriptum, duobus Brevibus sic Paulus V. oppugnavit, ut illud suscipi interdixerit, & susceptum irritum declaraverit, atque ab ejus observantia *pura & perfecta voluntate*, uti verba sonant, relaxaverit. Dispensationis similis à juramento exempla Pontificum Clementis VII. Antipapæ, Eugenii V. aliorúmque referentem detestantémque Rousselium, Jurisconsultum Pontificium *Histor. Jurisd. Pontif. lib.* 3. *cap.* 6. videre est.

circa juramenta, fidelitatis imprimis,

 Quin

Quin juxta doctrinam Toleti ejusdem *Institut. Sacerd. lib.* 121. 23: 2. quilibet sacrificulus seu confessarius, ex delegata scilicet potestate Papæ, absolvere à peccatis contra juramenta patratis, & accedente privilegio, juramenti facti obligationem auferre potest. Accedit doctrina peculiaris Jesuitarum in libro *Theol. Mor. tract.* 1. *Ex.* 3. *cap.* 5. quæ statuit, *etiam perjurum dispensari posse, sive perjurium publicum sit, sive occultum.*

& votorum.

LX. Superest Papalis dispensatio votorum: quorum obligatio non à positivo utique, sed à naturali jure pendet. Disertus hic est Ægidius Coninx *Disput.* 33. *dub.* 3. *concl.* 2. ubi sic ille: *In votis potest Papa remittere nomine Dei obligationem abstinendi matrimonio: uti patet ex praxi, & communi doctorum consensu.* Jure naturali obligare votum solenne castitatis, satis constans Pontificiorum sententia est. Quò spectat illud Bellarmini *de Matrim. lib. j.* 21. *Multi*, inquientis, *iique gravissimi Theologi, S. Thomas, Bonaventura, Albertus, Richardus, Durandus, Dominicus à Soto in IV. Sent. Dist.* 38. *contendunt, votum solenne jure Divino & naturali dirimere matrimonium.* Imò cujuslibet voti obligationem esse juris naturalis, Fernandus de Moure *Theol. Mor. par.* 1. *cap.* 6. *Sect.* 9. asserit. Dispensare autem Papam posse in voto solenni castitatis, etsi sint qui negent, tamen *alii meliùs concedunt*, inquit Emmanuel Sà in Aphorismis ad vocem *Votum n.* 3. citantúrque in hanc sententiam Hervæus, Richardus, Durandus, Scotus alii. *Certè*, sic Azorius *lib. xij.* 7. scribit, *Casimirus I. Poloniæ Rex D. Benedicti Monachus professus, concedente summo Pontifice, uxorem duxit.*

Insolentia Bullarum, per quas dispensat.

LXI. Ne verò Papa sic dispensando non seriò, & summa cum authoritate agere videatur, inflare solet buccas, bullis suis inserens grandia hæc vocabula, *In virtute Sancte*

ctæ obedientiæ: Aut has: *sub indignatione Petri & Pauli.* Aut istas: *Motu proprio, & ex certa scientia*; &c, *Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis* &c. Quis ergo sic Papam, *non obstantibus quibusvis Apostolicis*, imò ne *Divinis* quidem Christi *constitutionibus*, omníque adeò jure naturali & Divino, Papaliter adeò dispensantem se ipsum demonstrare, quòd Deus sit, imò Deo verò major, in dubium ampliùs revocaverit? Nisi forte qui sic demonstrat, quòd Deus sit; palam facit, quòd sit אברון *Abaddon*, seu אבר דין *perdens jus* omne, & Ἀπολλύων, sive Ἀπολύων, *dissolvens*, dispensans, atque relaxans jus & fas omne Divinum & humanum.

LXII. *Octavò* denique Divinitatem Papa affectat in decantata sua apotheosi, qua *Sanctos & Divos pro lubitu creat.* Etenim qui vel ἐκθειάζει *Deificat* (qua voce Herodianus utitur) seu Divos & quidem adorandos facit, Deus ipse sit oportet, cùm hominem sibi Deos facere posse, neget Spiritus S. Jerem. XVI. 20. vel *Sanctos*, eósque adorandos declarat, Deus omniscius sit necesse est, cùm nemo hominum noverit, quid (adeóque quæ sanctitas,) sit in homine; sed solus Spiritus Dei, 1 Cor. II. 10. vel Cœli ipsius mansiones pro libitu suo metatur, & disponit, Cœli Dominus, & Dominus ex Cœlo sit oportet. Et quomodo qui Deus ipse non est, & Divina virtute destituitur, creaturam in Creatorem adorandum, certarum solennitatum interventu, transsubstantiare potis erit? *VIII. Quòd in apotheosi Sanctos & Divos pro lubitu creat, quod solius Dei est.*

LXIII. Artem Chrysopoeticam tradunt Chymici. At Theopoeticen Pontificii, apud quos certum habetur, posse Papam Deificare, canonizare, Divos, Sanctos adorandos declarare: tametsi forte Theopoetice illa artis Chrysopoeticæ Papalis haud extrema pars est. Si enim S. Paulus & S. Petrus nondum Cœlo potirentur, neque ceu Sancti & Divi illud ingressi essent, hodie nisi per scalam au- *Theopoetice hæc Chrysopoetices pars esse.*

ream ingredi illud neutiquam illis contingeret. Adeò ut hic redeat meritò Demetrii istius ἀργυροκόπου apud Ephesinos ad Mechanicos suos Oratio: *Viri, scitis, ex hoc quæstu nostras esse copias*, Act. xix. 25.

Canonizationis Papalis modus.

LIV. Sed de hoc quicquid sit, certè *Divos, Sanctos, Beatos* Papa, & quidem, uti hodie recepta fides est, solus creat. Et de Papali isthac apotheoseos arte ridicula & portentosa multa nobis Malvesius, Galesinus, Rocchus, & cæteri ex eadem cavea sycophantæ prodidere. Sed succum omnem exprimens Bellarminus, tres theses posuit; *Ecclesiam rectè canonizare Sanctos; Monopolium hoc ad solum hodie Papam pertinere; & in munere hoc obeundo ipsius Sanctitatem non errare.* Canonizationis hujus drama ob oculos ponit liber primus Ceremoniarum Sacrarum, *sect.* 6. & amplissimè Polyhistor Hospinianus *de Orig. Fest. apud. Christ. cap.* 6. Videre ibi est præviam intercessionem amicorum, examen miraculorum, in modo agendi pompam, solennitatem, septem canonizati honores eximios, puta, quòd jam obtinet non Beati duntaxat, sed Sancti nomen: quòd non privatim, sed publicè invocatur: quòd Templa & aræ in ipsius memoriam Deo dicantur: quòd Sacrificia & Officia in ejus honorem publicè Deo offeruntur: quòd Festum ei, in Calendario rubricatis literis distinguendum decernitur: quòd imagines ejus in signum gloriæ certo lumine decorantur: quòd denique reliquiæ ejus pretiosis thecis includuntur, & publicè honorantur. Sic quæstuosissimo hoc Deificandi artificio crebrò non tantùm procudunt & protrudunt nova Sanctorum officia, novas Missas, novas horas, novos hortulos Marianos, novos flores, novos myrrhæ & thuris fasciculos; sed etiam novos Deastros Cœlites, & novos Cœlos accumulant; dum Cœlos interim novos, & terram novam à S. Petro prædicatos, in quibus habitat justitia, negligunt.

LXV. Man-

Inscriptionem in librum vitæ, & apertionem Codicis septem sigillis clausi sibi nefariè vindicat,

LXV. Mandatis Papæ deificantis refragari, vel Divinam solenniter adeò creatorum à Papa Divorum sanctitatem in dubium revocare, crimen ingens & hæresis habetur. Petrus Coronus Jesuita *Instit. lib. j.* 26. miratur, quosdam esse, qui audeant convellere fidem canonizationum; quos ait *eousque processisse audaciæ, ut audeant falsi accusare librum vitæ, & opponere se manifestationi prædestinationis, & codicem consignatum septem sigillis mendacii insimulare.* Jam ergo Papa canonizans inscribit libro vitæ, æternam prædestinationem manifestat, & codicem septies obsignatum resignat: quod soli Christo Apoc. v. 6. tribuitur. Antequam ergo Papa sanctos canonizaret, nullus erat liber vitæ. Nisi forte statuendum est, librum vitæ, qui penes Deum ab æterno fuerat, his novissimis temporibus in Papæ scrinia translatum esse. Frustra quinetiam expectaretur Agnus Dei, qui solus potest obsignare librum obsignatum septem sigillis, cùm Papa eum aperiat, quoties vult, eíque nova subinde nomina inserat, Protonotariorum suorum ad hanc rem, ut & cætera hujus generis, opera utens.

atque sic, quòd Deus sit demonstrat.

LXVI. Cùm olim Thasii Deum Agesilaum redderent, non insipidè homo nasutus retulit, si Deos faciendi potestatem habeant Thasii, priùs se ipsos Deos facerent, quàm deificarent alios. Addere poterat, nisi Deos Agesilaum Deum reddere non potuisse. Sic planè est, uti supra probavimus. Deum nisi Deus facere, sanctitatem Cœlo, nedum tantis, qui canonizato tribuuntur, honoribus, dignam infallibiliter declarare, nisi Deus non potest. Cùm igitur id factitaverit, & factitare non desinat Papa, eo ipso etiam, quòd Deus sit, demonstrat, & cùm hoc, tum reliquis, quæ hactenus prosecuti sumus nominibus, Numen illud Babylonicum, seu potiùs Meretricem Babylonicam, quam Reges & incolæ terræ incestis amoribus suis deperierunt, & depereunt, se esse, clarissimè prodit. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DIS-

DISSERTATIONIS DECIMÆ SECTIO POSTERIOR.

QUA

Papam Romanum, Hierarchiæ Caput, sibi cultum Divinum religiosum vindicare, astruitur.

BREVIARIUM.

I. *Quisquis Deus est, vel Divinitatem affectat, se religioso & Divino cultu affici vult jubétque.*
II. *Papam à suis adorari, & praxis, & scriptores, vocem adorandi, adorationis usurpantes, arguunt.*
III. *Ant. Mazaronii, Dianæ, Stevani de adoratione Papæ libri publicè prostant.*
IV. *Adoratur Papa recens electus à Cardinalibus in Sacrario Conclavis, & Basilica Petri, altari impositus.*
V. *Adoratur idem in coronatione. Cardinalis Columnæ claves ei tradentis adoratio solennis.*
VI. *Adoratur etiam in Missa.*
VII. *In Jubilæo.*
VIII. *In Processionibus solennibus.*
IX. *Christolatria & Papolatria, seu deportatio & gestatio Christi & Papæ comparatur.*
X. *Stevani argumentum ex Esai. xlix. 22. pro gestatione Papæ*

Papæ petitum discutitur. Eandem Diana ex pompa Regis apum derivat.

XI. *Adoratio Papæ in Conciliabulis, coronatione Imperatoris, canonizatione, &c.*

XII. *Adorationis ceremoniæ multiplices enumerantur; velut apertio capitis, etiam cùm nominatur tantùm; ipso interim caput aperiente nemini;*

XIII. *incurvatio tum capitis, quoties nomen ejus nominatur, perinde ac cùm nominatur nomen Jesu; nec non capitis unà cum superiori parte corporis usque ad genua; genuum, & totius corporis:*

XIV. *incensatio, nudipedalia, tunsio pectoris, servilia ministeria Magnatum,*

XV. *osculum oris, pectoris, humeri, manuum, brachiorum, genuum, inprimis pedum ejus.*

XVI. *Pedum oscula Papa & solus, & ut jure debita, & ab omnibus, maximis etiam, & post mortem exigit.*

XVII. *Marcelli, Dianæ, Antonini Flor. de eo testimonia.*

XVIII. *De origine ritus illius Stevani, Cæs. Bullengeri, Dianæ, Lorini ariolatio.*

XIX. *Primus Cajus Caligula oscula pedum excepit, à Seneca increpitus graviter. Lorini exceptio elisa.*

XX. *Caligula & Papa, oscula pedum admittentes, comparantur.*

XXI. *Caligulam Maximinus Junior & Diocletianus oscula eadem sibi figi præscripserunt: à qua superbia Trajanus, & Principes optimi quique abhorruerunt. Græcorum Imperatorum recentiorum fastus similis notatur.*

XXII. *Papæ, successorem S. Petri, & humilem se jactantis superbia exaggeratur; & à Cuspiniano etiam exagitatur.*

XXIII. *Nihil eum exempla quædam veterum juvant; & S.Petri ac Mardochæi exempla potiùs damnant.*

XXIV. *Augustinus Christianos pedibus aliorum subjici vetat.*

XXV. *Olim quidem Pontifices Imperatorum præceptis se subjecerunt, & genubus advolverunt.*

XXVI. *At metamorphosi horrenda deinceps Pontifices maximos Imperatores & Reges, lege lata, ad oscula pedum adegerunt:*

XXVII. *tam rigidi exactores juris sui, ut in coronatione Imperatoris absentes protestati fuerint, ne quicquam ei derogetur.*

XXVIII. *Exceptio quòd oscula pedibus Papæ fixa in honorem Christi redundent, examinatur. Legatus nemo Regis sui, nec Papæ Legatus Papæ honores impunè delibat.*

XXIX. *Papa ab eo qui Christi personam gerit in sexta Dominica Quadragesimæ in Palmis, ipsóque adeò Christo oscula pedum excipit.*

XXX. *Et crucem auream calceamentis suis intextam, osculandam præbens, Christum conculcat.*

XXXI. *Dianæ exceptio, quòd crucem in sandaliis Papæ adorantes non tam Papæ pedes osculentur, quàm crucem Christi adorent, expenditur.*

XXXII. *Impietatem illam malè Stevanus ex Psal. lxxviij. 24. incrustare conatur.*

XXXIII. *Idem Stevanus, Bullengerus, Diana Scripturæ loca, quæ de adoratione Dei & Christi apertè sonant, ad oscula pedibus Papæ infigenda malignè detorquent.*

XXXIV. *Adoratio Papæ non est civilis; & si civilis etiam foret, pridem in idololatriam, qualis Politica est, degeneràsset.*

XXXV. *Cul-*

XXXV. *Cultus civilis & religiosus distinguitur.*

XXXVI. *Religiosum cultum eundem Divinum esse, probatur.*

XXXVII. *Adoratio Papæ civili & humana major;*

XXXVIII. *adeóque cultus religiosus & Divinus est: quod octo argumentis demonstratur.* I. *Quia adorationis nomine venit: quod in N.T. religiosum semper & Divinum cultum notat.*

XXXIX. *Dianæ exceptio, quòd adorationis nomen commune sit, ventilatur.*

XL. II. *Quia defertur ei personæ, quæ Divinitatem affectat.*

XLI. *Exceptioni, quòd Papæ cultum à cultu Dei Papicolæ distinguant, neque Papam pro æterno Numine habeant, occurritur.*

XLII. *Adorandum esse Papam, ut Deum, non semel Papolatris excidit.*

XLIII. III. *Quia Papa adoratur, ut Pro-Deus, Pro-Christus, Ecclesiæ Monarcha, religionis vertex.*

XLIV. *Neque honor Papæ habitus in honorem Christi vergit: & sic illum Pro-Deum, Pro-Christum suum adorant, ut ejus adoratio à Christi, quà is Deus est, adoratione nihil distet; & in Missa major Papæ, quàm Christo honor habetur.*

XLV. IV. *Quia Papicolæ ab adorato Papa maxima quæque & Divina sibi beneficia promittunt.*

XLVI. V. *Quia adorationis Papalis ceremoniæ religiosum & Divinum ejusdem cultum arguunt: inprimis tunsio cordis,*

XLVII. *incensatio;*

XLVIII. *& Papæ in altari sedentis adoratio.*

XLIX. VI. *Quia Papæ cultus haud inferior eo, quem Papicolæ Angelis, Deiparæ, Sanctis, cruci, Eucharistiæ,*

stiæ, imaginibus Christi, ossibus Sanctorum deferunt; & quem olim arcæ fœderis delatum dictitant,

L. *adeòque religiosus & Divinus est.*

LI. VII. *Quia ex hypothesi Papicolarum cultus duliæ, hyperduliæ & latriæ religiosus, adeòque etiam Divinus est.*

LII. *Atqui adorationem Papæ ad duliam Diana, Baldellus, Mazaronius: ad hyperduliam Rainaudus, Florentini Legati; ad duliam simul & latriam Caramuel, referunt.*

LIII. VIII. *Quia adorationem Papæ religiosum & Divinum cultum esse, questi sunt Imperatores Fridericus II. & Ludovicus Bavarus, nec non Gerson; asserunt. Alcasar, Gordonus Huntlæus, Petrus à Cordua, Hieronymus Balbus, Polydor. Vergilius, Steuchus, &c.*

LIV. *Argumenti conclusio.*

Quisquis Deus est, vel Divinitatem affectat, se religiosè & Divino cultu affici vult jubetque.

I.  ivinitatem Papam, Tarpejum illud Numen, affectare, tum ex nomine DEUS, quod sibi tribuit, & tribui patitur; tum quia vel fecit vel passus est, quæ nominis illius defectum suppleant: tum ex octo attributis Divinis, quorum se spoliis exornavit, hactenus ostendimus. Superest attributum Divinum haud postremum, cultus religiosus Divinus, quo se affici vult patiturque, affectatæ Divinitatis locupletissimus testis. Et sanè quisquis se Deum facit eo modo, quo se facere Papam superiori diatriba demonstravimus, is religiosè se coli, & Divino cultu affici, non potest non velle, jubere. Qui Deus est, is pro Deo religiosè colendus, adorandus est. Omne σέβασμα Numen venerabile, σεβαστὸν & σεβάσιον, actu venerandum, religiosè colendum, adorandum est.

Papam à suis adorari.

II. Papam *adorari* à suis, inficiari nisi extremè impudens

dens ausit nemo. Non tantùm enim praxis id clamat; sed & etiam scriptores vocem *adorandi*, *adorationis* frequentissimè hic usurpant. Blondus *Instauratæ Romæ lib. iij.* sic scribit: *Dictatorem nunc perpetuum, non Cæsaris, sed Piscatoris Petri successorem, & Imperatoris prædicti vicarium, Pontificem summum Principes orbis adorant & colunt.* Jovius *Histor. lib. ij. Carolus* (VIII. Galliæ Rex) *ad ea respondit, se priusquam Galliæ fines exiret, voto pro salute & felicitate suscepto, decrevisse Romana Templa invisere, &c. ipsúmque Pontificem, qui pietatis religionisque fastigium obtineret, adorare.* Idem *lib. xxvij.* de Imperatore Carolo V. *Ille piè inflexo genu, pronus exosculato pede Pontificem adoravit.* Antoninus *par. iij. tit.* 22. *c.* 5. *ss.* 4. negat minorem Papæ, quàm Angelis honorem deberi: *Vnde*, inquit, *Papa recipit à fidelibus adorationes, prostrationes & oscula pedum, quod non permisit Angelus à Johanne Euangelista sibi fieri.* Idem *Histor. par. iij. tit.* 23. *cap.* 17. Orationem Florentinorum Legatorum, quorum Princeps erat Archiepiscopus, recitat, in qua hæc disertè habentur: *Beatitudinem Tuam ipsa Civitas præcelsa &c. per nos Oratores veneratur: de tui magnifica exaltatione gratulatur plurimùm, & Sanctitatem hyperduliæ adorat, &c.* Notum celebre illud Mantuani vatis:

& praxis, & scriptores, vocem adorandi, adorationis usurpantes, arguunt.

Ense potens gemino, cujus vestigia adorant
Cæsar, & aurato vestiti murice Reges.

Apud Georgium Dounamum *Diatribe de Antichristo lib. iv.* 10. ex Capistrano hæc habentur verba: *Omnes Christi milites sacris pedibus Summi Pontificis incurventur, & flexis poplitibus etiam Reges & Imperatores adoratione debita prosequantur.* In Concilio Lateranensi *Sess.* 5. & 10. Papa, ceu Deo simillimus, ab omnibus populis adorandus pronuntiatur.

 III. Quid

Ant. Mazaronii, Dianæ, Stevani de adoratione Papæ libri publicè prostant.

III. Quid verò multis? De adoratione Papæ Antoninus Mazaronius tractatum integrum *de Adoratione & osculo pedum Pontificis* edidit; & post eum similiter Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, nomen inter laxiores Casuistas percelebre, Episcoporum sub Innocentio X. Examinator, tractatum integrum scripsit, undecimæ Resolutionum Moralium parti subjunctum, cui titulus est: *De adoratione, qua Summus Pontifex à Catholicis veneratur.* Tractatum, nobilem scilicet, claudit his verbis: *Et hæc dicta sufficiant circa præsentem tractatum, quæ omnia sanctissimo Domino humiliter corrigenda submitto; præmissa priùs adoratione Pontificia. Ideò procumbens & pronus in terra ejus pedes deosculando, in detestationem omnium hæreticorum, ingenti animi submissione ipsum venerabundus adoro.* Macte, macte animo, Flamen, seu potiùs Scortator Babyloniæ! Sed & ante utrumque Josephus Stevanus Valentinus, Doctor Theologus *de Osculatione pedum Romani Pontificis* librum Gregorio XIII. inscriptum, & Coloniæ A. 1580. impressum, edidit, in quo vetustissimam esse adorationem tam manuum, quàm pedum, præfatus, Papæ adorationem adversus hæreticos (sic ipse lepus pulpamentum quæsitans) pluribus comprobare & vindicare conatur.

Adoratur Papa recens electus à Cardinalibus in Sacrario Conclavis, & Basilica Petri, altari impositus.

IV. Adoratio Papæ celeberrima omnium illa est, qua recens electus à Cardinalibus ille adorari consuevit. Nam altari primò in Conclavis Sacrario, post in Templo D. Petri insidens à Cardinalibus cernuis adorari solet. Adorationem hanc Marcellus *Ceremon. lib. j. tit.* 1. *p.* 8. his verbis exponit: *His peractis ducitur electus in Sacrarium, & à Diaconis Cardinalibus exuitur vestimentis communibus, quæ ex antiqua consuetudine cedunt Clericis ceremoniarum, induitúrque Papali habitu.* Paulò post: *Demum Domini Cardinales depositis croceis, & parvis caputiis*

suas

ſuas cappas reſumunt, imponunt novo Pontifici pluviale rubeum pretioſum, & mitram auro & gemmis ornatam, illúmque ſedere faciunt ſupra altare, cui Cardinales omnes reverentiam exhibent, per ordinem pedes, manus & os deoſculantes. Poſt *de deſcenſu Novi electi ad Eccleſiam S. Petri* hæc habet: *Pontifex novus præcedente cruce & Cardinalibus ad Eccleſiam S. Petri deſcendit, & proſtratus ante altare ſine mitra aliquandiu orat, agitque gratias Deo, & Beatis Apoſtolis. Tum ſurgens à Cardinalibus ſuper altare ad ſedendum conſtituitur cum mitra, & prior Epiſcoporum genuflexus incipit: Te Deum laudamus; quem hymnum cantores perſequuntur. Interim Cardinales iterum pedes Electi, manus & os deoſculantur, ſervato ordine, quod & alii, qui adſunt, Prælati & nobiles faciunt.* Hæc illa ſolennis maximè Pontificis in altari, quod ſoli Deo ſacrum habetur, reſidentis adoratio eſt; cujus exempla moderna conclavia Pontificum, velut Innocentii X. Alexandri VII. &c. luculenta prodúnt.

Adoratur idem in coronatione. Cardinalis Columnæ claves ei tradentis adoratio ſolennis.

V. Sed & ſolennis admodum eſt adoratio Papæ in coronatione ejuſdem, quam fusè admodum idem Marcellus *Cerem. lib. j. tit. 2. pag. 12.* deſcribit. Tum enim ad manus & pedum oſcula devotiſſima Cardinales, Prælatos, Canonicos &c. inter triumphalia ſigna humiliter adorantes admittit. Extat apud Banckium *Romæ Triumph. pag.* 383. formula adorationis, qua Archipresbyter Cardinalis Columna, unà cum toto Baſilicæ Lateranenſis Clero, poſt oſcula pedibus ter infixa, Innocentium X. traditis duabus clavibus, una aurea, argentea altera, conceptis his verbis adoravit: ***Sanctiſſime & Beatiſſime Pater, Caput Eccleſiæ, Rector orbis: Quem Suprema illa Majeſtas, ſuum in Terris Vicarium, æterni gaudii diſpenſatorem, & libertatis Chriſtianæ Reſtitutorem ac Vindicem, ſin-***

singulari sua & Divina providentia elegit, nobisque suis famulis, totique Mundo stitit; Cui claves Regni Cælorum sunt commissæ; cui potestas in terris ligandi & solvendi est concessa; Quem Angeli in Cælis reverentur, portæ inferorum timent, totúsque mundus adorat. Nos quoque Te solum nostrum Patronum, summum Caput & Episcopum ac Spiritualem Patrem, unicè veneramur, colimus & adoramus, & nos omniáque nostra paternæ, & PLUS QUAM DIVINÆ *Tuæ dispositioni ac curæ reverenter submittimus, ac summè commendamus. Claves enim ligandi & solvendi, quas Christus ipse S. Petro tradidit, ejusque omnibus successoribus reliquit, tuæ Sanctitati submissè offerimus in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus S. Amen.*

Adoratur etiam in Missa.

VI. Longum esset narrare, quemadmodum in Missa adorari Papa solenniter Missæ sacra faciens soleat. Marcellus idem *Cerem. lib. ij. p.* 69. &c. fuse admodum ceremoniam edisserit; neque recensendo tot Cardinalium, Prælatorum, laicorum, ipsius etiam Regis & Imperatoris, si fortè præsto illi essent, aquam porrigentium ad lotionem manuum, reverentias, oscula manibus, chirothecis, pectori, genubus, pedibus ejus fixa, genuflexiones &c. sibi satisfacere potest. Ibi *pag.* 70. Subdiaconus *altari & Papæ reverentiam exhibens* nullo discrimine; Diaconus incensum ministrans, & Pontificem incensans; Christus absque ullo Sanctitatis epitheto simpliciter *Domini;* Papa verò *Sanctissimi Domini, Sanctissimi Patris, Sanctitatis,* nomine insignis; pomposior longè Papæ, quàm ipsius Panacei Numinis adoratio, aliaque ejusmodi, Jove hoc Capitolino digna leguntur. Neque absque causa Pontifici à nostris hoc exprobratum est, quòd Papa, secus ac reliqui sacrificuli, sedens Missam celebrat, neque adeò Christo assurgendum, vel præsenti ei corpore tenus, uti credere jubet,

jubet, reverentiam exhibendam putat. Námque, teste Marcello *pag.* 79. facta Deo oblatione, in ara non persistit, sed *eminentem conscendit sedem* sicque sedens peculiari ritu communicat, & absoluta communione *surgens descendit à sede eminente ad altare*. Cujus rei causam non allegoricam, sed historicam se audivisse, sed silentio premendam putare Innocentius III. *de Myst. Missæ cap.* 7. & 9. scribit. Forte vel turpe ac pudendum quicquam fuit, tenebris quàm luce dignius; vel affectata Divinitas Tarpejo Numini, ut in omni semper Missa Christo, pari, vel inferiori etiam assurgat, non permisit. Unde in precibus quoque suis, narrante eodem Marcello lib. II. pag. 72. aliquando *tecto*, aliquando *semidetecto capite* preces Deo fundit.

VII. Jam & in Jubilæo illo, uti cum Chamiero nostro loquamur, *Papismi corculo & deliciis, peccantium asylo, purgatorii* scilicet *mærore*, & *Diabolorum terriculamento*, Papam magnificè se proferentem, adorari humiliter, cujus animum mirari subeat? Vis præsens Numen contemplari? Finge tibi Papam, terrestrem illum Deum, in Jubilæo, circumstantibus suis creaturis, præeunte illo suo furfuraceo Numine, crucibus ac reliquiis, quasi de Deo ipso sub his simulachris triumphantem; augusto illo suo habitu & triplici tiara, in aurea sella sublimem transvectum; dein aureo malleo Paradisi valvas (sic enim portam Basilicæ Petri nuncupant) aperientem, Missam intus eodem, quo supra diximus, modo celebrantem; & mox potentissimorum Regum ac Principum Legatos, quosdam etiam præsentes, sublimem illum re ipsa, ut alterum Deum, adorantes, circumstantem turbam ab eo vitam æternam expectantem ac petentem, denique ad pedum suorum osculum miseros ac cæcos homines vix admittentem! *In Jubilæo.*

VIII. De Processionibus solennibus & Pontificalibus *In Processionibus solennibus.*

 Pa-

Papæ quid dicam? In iis Papa, dominus omnium, insidens humeris suorum belphonierorum sublimis portatur, & corporibus hominum, ceu vehiculo nobilissimo, vehitur. *Præsertim Pontificem*, sic Diana *de Ador. P. p.* 10. loquitur, *reverenter adoramus; cùm in quibusdam diebus solennioribus procedit ad Capellam, gestatus super humeros cum tiara in capite*, &c. Exemplum ejusmodi *Resol.* 8. *p.* 6. recenset: *Cùm quidam Concivis meus ex nostra religione, Vir satis pius, trina vice vidisset Summum Pontificem super humeros gestari cum tiara in capite, tanta devotione & reverentia erga illum affectus fuit, ut cœperit iteratis vicibus pectus suum obtundere. Tunc dubitavit, an ex condicto sic adorare Pontificem esset licitum, & in rigore ac speculativè loquendo, adhæsi sententiæ affirmativæ.* Quinimo portandi isthoc officio ipse Imperator, aut Reges, si qui præsentes essent, defungi tenerentur. Sic enim Marcellus *Cerem. lib. j. tit.* 2. *p.* 17. scribit: *Cùm Papa per scalam, quàm superiùs diximus, ascendit equum, major Princeps, qui præsens adest, etiamsi Rex esset aut Imperator, Stapham equi Papalis tenet, & deinde ducit equum per frænum aliquantulum. Si verò Pontifex non equo, sed sella vehetur, quatuor majores Principes, etiamsi inter eos Imperator, aut Princeps maximus adesset, in honorem Salvatoris Jesu Christi sellam ipsam cum Pontifice* HUMERIS SUIS PORTARE *aliquantulum debent.* Licet enim hodie Reges, terrentibus vestigiis, uti Rodolphus I. Imperator dicebat, Romæ non ampliùs visantur; leges tamen has conditas esse eo tempore constat, quo Imperatores Germani Roma potiebantur, & Romam coronandi proficiscebantur. Exemplum Papæ Martini V. Sigismundi Imperatoris humeris in Concilio Constantiensi gestati, ipse Stevanus *de Osculat. Pedum Papæ pag.* 89. prodidit.

dit. Interim hodie ab Imperatoris & Regum Legatis servilia isthæc munera quandoque obeuntur.

IX. Libet hic Papolatriam cum Christolatria contendere. Nam Papa quidem procedens sublimis, humeris Principum innixus, vehitur. An sic etiam hostia, quam creatum per transsubstantiationem Christum esse tuentur illi? Audi Marcellum eundem *Cerem. lib. j. pag.* 16. ubi sic ille: *Post eos ducitur per familiarem Sacristæ rubro etiam indutum, & baculum in sinistra habentem equus albus, mansuetus, portans Sacramentum; habens ad collum tintinnabulum bene tinniens, & supra portatur baldachinum cum insignibus Papæ.* En, equus, cui insidet Papa, ducitur manu Imperatoris aut Regis. At equus, quo vehitur juxta eos Christus, ducitur manu famuli sacristæ, qui servus servuli est. Si Papa sella vehitur, bajulant sellam Imperator, Rex, Principes. Christus verò bestiæ, neque equi duntaxat, verùm quandoque etiam mulæ, uti Theodoricus de Nyem *Nem. Vnion. Tract.* 6. *cap.* 43. testis est, dorso imponitur. Cardinalis quoque Perronius *de Euchar. lib. iij.* 19. scribit, Papæ extra urbem procedenti, vel peregre agenti, nunquam deesse crucem & Eucharistiam, quæ ante eum præferuntur, ad sacri scilicet illius capitis *custodiam præsidialem & patronalem*, non autem ministerialem: uti solerter ille distinguit.

Christolatria & Papolatria, seu deportatio & gestatio Christi & Papa comparatur.

X. Celebrem hanc gestationem Papæ Esai. XLIX. 22. verbis his: *Et afferent filios tuos in ulnis, & filias super humeros portabunt*, prædictam esse, Stevanus, Diana, aliique pertendunt. Mirùm certè, Papam sic non ferri in ulnis, sed super humeros Principum. Hoc enim de filiis, in quorum censu haberi vult, prædictum est. Et quæ tum filiæ portantur humeris? Papissa enim Johanna una filia fuit. De filiabus Papissis aliis nihil constat. Et frustra Regi-

Stevani argumentum ex Esai. xlix. 22. pro gestatione Papæ petitum discutitur. Eandem Diana ex pompa Regis apum derivat.

ginas Romæ humeris Principum gestari speres. Ipsi in Papatu doctores non inepti, Lyranus, Hector Pintus, Sanctius &c. de vocatione gentium ad Ecclesiam, filios filiásque suas promtè adducturarum, agi non diffitentur: & textus ipse, à fidiculis malorum illorum Interpretum Papolatriæ quovis modo velificantium liberatus loquitur. Rectiùs longè Papolatræ gestationi huic Papæ loca Amos. V. 26. Act. VII. 43. ubi gestasse quidam tabernaculum Molochi, & sidus Dei Remphan dicuntur, accomodassent; vel certè, quod Diana, sorex suo indicio sese prodens, *Resol.* 10. *p.* 11. scribere non erubuit, Majestatem illam Pontificis in magnis festivitatibus sese proferentis, graphicè depictam ostentassent in versibus illis Virgilii *Georg. lib. iv.* quibus pompam Regis apum sic ille describit:

—— Illum admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso, stipántque frequentes,
Et sæpe attollunt humeris.

Adoratio Papæ in Conciliabulis, coronatione Imperatoris, canonizatione, &c.

XI. Omitto Papæ adorationem in Conciliabulis suis (quomodo in Concilio Florentino Patriarcha Constantinopolitanus ab Angario Papam προσκυνεῖν *adorare* frustra equidem jussus est; & Burgundici Legati, nullo exhibito Imperatori Orientali reverentiæ signo, approximantes Papæ προσκυνήσαν καὶ ἠσπάσαντο πάντες τὸ πόδα *adorârunt, & osculati sunt omnes pedem* ejus, *manum, genámque,* narrante fusiùs Silvestro Sguropulo *Histor. Flor. pag.* 92. 176.) in coronatione Imperatoris, in receptione Imperatoris Romam profecti, canonizatione, creatione Cardinalium, Legati Apostolici de latere; Benedictionibus variis; Festis; Epistolis ad eum datis &c. Quæ, aliáque eò pertinentia, ex Marcello, aliisque studiosiùs ὁ μακαρίτης Cl. Myllerus suis *de Adoratione Papæ* diatribis excerpsit.

XII. Va-

XII. Variæ equidem Papolatriæ partes & ceremoniæ commemorari possunt. Omitto libens ejus vestitum, coronationem, positionem super altare, portationem, de quibus, idololatriæ crimine haud vacantibus, jam egimus. Omitti etiam poterat apertio capitis, vulgaris cætera ritus, nisi Marcellus *Cerem. lib. iij. p.* 113. negaret, Papam cuiquam Mortalium reverentiam facere, assurgendo manifestè, *aut caput detegendo;* nisi forte Imperatori vel Regibus; privatim scilicet, & cùm in Pontificalibus non sedet, *caput aliquantulum inclinando*, non ex officio, sed laudabili humanitate; more scilicet, uti Baronius *ad A.C.* 324. *n.* 79. nos docet; Sacerdotum Gentilium, *nunquam pileum, insigne Flaminum, deponentium;* & contra idem Marcellus *Cerem. lib. iij. pag.* 129. asseveraret, Oratorem, quoties inter orandum Pontificem nominat, *caput detegere;* addente Diana *Resol.* 9. *p.* 70. ritè & licitè per apertionem capitis & inclinationem *nomen* Papæ *adorari;* imò *nomen* ipsum, non personam duntaxat eo nomine significatam, æquè ac nomen Christi & Deiparæ, apertione capitis & quidem ex præcepto religionis, adorandum esse.

Adorationis ceremoniæ multiplices enumerantur; velut apertio capitis, etiam cùm nominatur tantùm; ipso interim caput aperiente nominis

XIII. Sed & adoratur Papa incurvatione tum *capitis*, quoties vel nomen ejus nominatur; adeóque *sicut nomen Jesu per adorationem latriæ, inclinando caput adoratur, ita Sanctorum, Summique adeò Pontificis nomen cultu duliæ adorari per inclinationem capitis debet*, uti Diana *Resol.* 9. *p.* 6. nos edocet: *tum capitis una cum superiori parte corporis, ad genua usque;* qualis, nisi fallor, est profunda inclinatio Cardinalium, qua bis coram Papa incurvari solent: tum *genuum*, quæ γονυκλισία *genuflexio* dici solet; átque duobus coram Papa perinde ac coram Deo, genubus flexis peragi debet, Suarezio *de Virt. & Stat. relig. Tr. lib.* 5. *cap.* 2. asserente; neque semel duntaxat, sed

incurvatio tum capitis, quoties nomen ejus nominatur, perinde ac, cùm nominatur nomen Iesu; nec non capitis unà cum superiori parte corporis usque ad genua; genuum, & totius corporis;

sed ter, inprimis quando in altari & Missa adoratur, tum denique *totius corporis*: quomodo, Marcello *Cerem. p.* 68. teste, etiam Imperator à Pontifice excipiendus, in terram pronus, Pontificis pedes deosculatur. Quod inprimis Fridericum Barbarossam Alexandro III. collum ejus nefariè & Papaliter calcanti fecisse, historiarum monumenta, & ipsius Papæ pigmenta prodidere.

incensatio, nudipedalia, tunsio pectoris, servilia ministeria Magnatum,

XIV. Sunt & aliæ adorationis ceremoniæ nonnullæ; veluti quòd Papolatræ Pontifici in solio & altari sedenti incensum faciunt: quòd nudipedes quandoque Papæ limina salutant; cujus rei exemplum Henricus IV. Imperator præbet: quòd tunsione pectoris eum adorari posse, Diana *Resol.* 8. *pag.* 6, 7. eo argumento tuetur, quia *καρδιοπληξία* illa signum sit agnoscentis ac deprecantis peccata, eorúmque remissionem, quam Pontifex inprimis impertiatur, suppliciter orantis: quòd Papa pedem à limine suo movente, missificante, comessante, equitante, Imperatoribus, Regibus, Principibus servilia quandoque munera injungantur: qualia & Marcellus in Sacris suis Ceremoniarum libris definit, & historiarum scriptores posteris noscenda reliquerunt. Sed missis his, cùm utramque ferè Papolatriæ paginam oscula sacra, Tarpejo Numini fixa, faciant, de iis paulò uberiùs agendum fuerit.

osculum oris, pectoris, humeri, manuum, brachiorum, genuum, inprimis pedum ejus.

XV. Septem ferè modis Pontificem oscula admittere, nimirum *ad os, ad pectus, ad humerum, ad manus, ad brachia, ad genua & ad pedes* Durandus Mimatensis *Rat. Div. offic. lib. iv. par.* 3. *Rubr.* 5. notat. Osculum ad os complecti etiam potest *osculum faciei*, quod Imperator percepto Sacramento, Subdiaconus communicante Papa, nec non subindè Cardinales faciei Papæ figunt, & fixit quondam Guicciardino *Histor. lib. j.* teste, Carolus VIII. Galliæ Rex Alexandro VI. postquam pedes ejus deosculatus est; nec non *genæ*, à Legatis Burgundicis Eugenio V. nar-

narrante Sguropulo in Concilii Florentini historia, fixum. Ad *oris* verò osculum strictè dictum Papa Imperatorem, Reges, Cardinales, Legatos à Latere, Electores, sed non nisi prævia osculatione pedum, admittit. *Pectoris* oscula Cardinales; *Humerorum* Pontificis juxta cum mensa altaris, Primicerium in principio, Diaconum in medio, & Sacerdotem in fine Missæ, cui Papa præsens est: *Manuum* (quarum osculum propriè adorationem significare, apud Dianam *Resol.* 10 *p.* 7. Raphael de Torre & Thomas asserunt) & quandoque etiam *chirothecarum & auriphrygii* Imperatorem, Augustam, Legatum Apostolicum de Latere, Electores & Principes primores, Legatos ad Papam, denique omnes illos, qui Papæ aliquid tradunt, vel ab eodem aliquid accipiunt, *quia*, uti Stevanus *pag.* 37. loquitur, *sicut dat propria, sic nunquam recipit aliena;* gratitudinem sic testificaturos utrosque: *Brachiorum* eosdem ferè: *Genuum* Cardinales in Canonizatione, Episcopos Prælatos in Missa majori, Papa ipso celebrante, & Coronatione Papæ, admittit. Singula hæc ex libris Ceremoniarum Sacrarum eruere, & exemplis confirmare, adeóque camarinam hanc movere nihil attinet.

XVI. Papolitriæ potiùs caput proram & puppim *Oscula pedum*, seu calceamentorum Papæ, perstringere juvabit. Nam, ut paucis multa dicam Papa solus post triplicem adgeniculationem non tantùm admittit ut libera, sed etiam exigit ut debita oscula pedum, seu potiùs crepidarum, cruce phrygionis opere intexta insignitarum; neque ab idiotis duntaxat, qui raro aut nunquam ad osculationis illum honorem admittuntur; sed ab ipsis Imperatoribus, Regibus, Principibus aliisque, quos honore scilicet tanto dignatur; neque denique qui mos inprimis barbarus & brutus est, vivus duntaxat, sed etiam mortuus oscula excipit. quomodo Sixti V. corpus in Sacello Gregoriano ita repositum

Pedum oscula Papa & solus, & ut jure debita, & ab omnibus, maximis etiam, & post mortem exigit.

tum fuiſſe ſcribitur, ut pedes extra cancellos ferreos prominerent, ut à populo ſpectatum veniente oſcula illis figi poſſent.

Marcelli, Diana, Antonini Flor. de eo teſtimonia.

XVII. Marcellus equidem *Cerem. S. lib. iij. ſect.* 1. *p.* 113. illud ante omnia, ceu maximè compertum, ſupponit, Papam *nemini Mortalium reverentiam facere, aſſurgendo manifeſtè, aut caput inclinando, ſeu detegendo; Romanorum verò Imperatori, poſtquam illum ſedens ad oſculum pedis & manus ſuſcepit, aliquantulum aſſurgere ad oris oſculum; mutuo charitatis amplexu eum recipientem; atque idem eum facere aliquàndo magnis Regibus.* Quomodo autem clientes ejus Maxumi, Medioxumi, Infimi ad illud oſculum, & quibus prævиis ceremoniis veniant, ſic porro exponit idem: *Omnes Mortales & præſertim Chriſti fideles, cujuſcunque ſint dignitatis & præeminentiæ, cùm primùm in conſpectum Pontificis adveniunt, diſtantibus ſpatiis ter debent ante illum genu flectere, & in honorem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus vices gerit in terris, ejus pedes oſculari.* Atque id Papam ſibi, tanquam eximium quid vendicare, Stevanus *de Oſcul. ped. Papæ pag.* 97. ex dictatibus Hildebrandinis confirmat; quorum nonus eſt, *Quòd SOLIUS Papæ pedes omnes Principes deoſculentur.* Diana *Reſol.* 4. *p.* 4. monet, in aliis Eccleſiis ſufficere promtitudinem ad oſcula pedum, modò manibus oſcula figantur: ſed *Papæ Romano ſemper ritum genu flectendi, & pedes oſculandi inviolabiliter à Chriſti fidelibus obſervari.* Antonius quinetiam ſtrenuus Papæ paraſitus, propter oſcula hæc pedum Papam Angelis ipſis ſuperiorem arguit: *Nam,* ita *Sum. par.* 3. *tit.* 22. *cap.* 5. *ſect.* 4. loquitur, *Papa recipit à fidelibus adorationes, proſtrationes, & oſcula pedum; quod non permiſit Angelus à Johanne Euangeliſta ſibi fieri.* Pari ſcilicet ratione à facto ad jus procedendo, convictu-

rus;

rus, & Nebucadnezaris ſtatuam, & Antichriſtum ipſum Angelis ſuperiores eſſe.

XVIII. De origine moris hujus variè Pontificii ipſi ariolantur. Non deſunt tamen, qui æmulatione gentilium, Divorum ſuorum pedes aut manus oſculantium, introductam divinent. Laudat hic Stevanus *loc. cit. pag.* 12. 13. morem Romanorum, Statuas oſculo manuum venerantium, allegatis hiſce Lucretii *lib. j.*

De origine ritus illius Stevani, Caſ. Bullengeri, Dianæ, Lorini ariolatio.

Signa manus dextras oſtendunt attenuari,
Sæpe ſalutantum tactu, proptérque meantum &c.

Ex Prudentio idem ſubjungit, vetuſtam in apotheoſi conſuetudinem fuiſſe Divorum & Divarum *pedes lambere; plantis Herculis advolvi: genua incurvare Dianæ.* Apertè ſatis Cæſar Bullengerus *adv. Caſaub. Diatr.* 10. *p.* 29. *Mos*, inquit, *ex eo fortean ortus, quòd priſca ſuperſtitio Deorum pedes aut manus oſculabatur, cúmque Sanctos illos Viros Petrum, Clementem, Cletum, Numinis pœne loco haberent, eorum manus pedéſque adorârunt.* A Regibus Perſarum, & Imperatoribus Romanorum alii morem derivant. Sic enim Diana *Reſol.* 5. *p.* 4. 5. ſcribit: *Cum Regibus Perſarum nemo loqui poterat, niſi proſtratus in terram veſtigia pedum Regiorum exoſcularetur, teſte Xenophonte lib.* 8. *& Plutarcho in Alcibiade. Hic etiam mos fuit apud Romanos. De Cajo, Othone, Caligula, Nerone, Adriano, Antonino probat Lorinus in Act. c.* 10. 24.

XIX. Ita eſt, Diana & Lorine. Ritus hic viliſſimi oſculi, quem *turpem & pluſquam ſervilem* Lipſius veſter *Elect. lib.* ÿ. 6. appellat, natus eſt, eodem Lipſio judice, ſub Cajo Caligula, *imò à* Cajo, qui, uti Dio ait, ἐφίλει ὀλιγίςους, τοῖς γὰρ πλείςοις ἐκ τῶν συμβουλευτῶν ἢ τὴν χεῖρα, ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε, *Pauciſſimos oſculatus eſt, pleriſque autem Senatorum, vel manum, vel pedem adorandum dedit.* Planè ſicut Veſter ille neminem oſculatur, & omnium,

Primus Cajus Caligula oſcula pedum excepit, à Seneca increpitus graviter. Lorini exceptio eliſa.

etiam Imperatorum & Regum oscula servilia & vilissima ambit. Sed audite Senecam hominem paganum, Caligulam, & in eo vestrum illud idolum, quod se servum servorum profitetur, sic *de Benefic. lib. ij.* 12. detestantem: *Cajus Cæsar dedit vitam Pompejo Penno, si dat, qui non aufert. Deinde absoluto & agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem:* (hæc verba etiam Stevanus *cap. j.* adducit, subdolè tacens sequentia, quibus profligatissimi Imperatoris tyrannidem execratus est; ne redivivum in Papa Caligulam agnoscamus) *Qui excusant & negant* (sic enim Seneca pergit) *id insolentiæ causa factum, ajunt, socculum auratum, imò aureum, margaritis distinctum, ostendere eum voluisse. Ita prorsus: quid hic contumeliosum est, si vir consularis aurum & margaritas osculatus est, & alioqui nullam partem in corpore ejus electurus, quam puriùs oscularetur? Homo natus in hoc, ut mores liberæ civitatis Persica servitute mutaret, parum judicavit, si Senator senex, summis usus honoribus in conspectu Principum, supplex sibi eo more jacuisset, quo victi hostes victoribus jacuere: invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non hoc est Rempublicam calcare, & quidem dicet aliquis (non potest ad rem pertinere) sinistro pede. Parùm enim fœdè, furioséque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat, nisi in os Senatoris injecisset Imperator pigros* (Scaliger, à Gronovio *Not. ad h. l.* defensus *epigros*, clavos ligneos soccis suppactos legit) *suos. O superbia magnæ fortunæ! O stultissimum malum!* Occurrit Lorinus, Lojolæ pullus, Senecam *non damnare morem absolutè, sed in aliquo casu, ob superbiam Principis.* Egregiè sanè. Nam quod superbiam in Imperatore domino, id jam humilitatem in Pontifice Piscatoris successore, & Servorum servo redolet?

XX. Sed

Caligula & Papa, oscula pedum admittentes, comparantur.

XX. Sed compara, si vis, Lorine, invicem Caligulam & Papam. Caligula semel osculandum pedem suum porrexit. Si enim ordinarium id fuisset, cur factum excusare studuissent nonnulli, quod commune fuisset? Papa id facit diebus singulis. Caligula osculandum pedem obtulit homini supplici, & cui vitam condonaverat: cui pro supplicio erat osculum. Papa offert non supplicibus, sed sospitatoribus, iis, quibus se & fortunas suas omneis debet, Imperatoribus. Auro & margaritis Caligula pedem suum ornavit. Papa pedem suum aurea crepida, & aurea cruce insignit. Caligula mores liberæ civitatis mutavit in luxum Persicum, *quia*, uti Lipsius notat, *Persas Regibus suis manus pedésque osculatos, & humi stratos serviliter adorasse, constat*. Papa mutavit mores liberorum Regnorum & Rerum publicarum; neque solùm hominem Senatorem ad pedes suos abjecit, eósque ori ejus injecit; sed id ab Imperatoribus, Regibus exigit, quotiescunque potest. Et tamen, si Lorinum audimus, pedum admissa oscula in Caligula nil nisi insolentiam, in Papa extremam modestiam spirant. Macte virtute, incomparabiles parasitastri!

Caligulam Maximinus Iunior & Diocletianus oscula eadem sibi figi præscripserunt: à qua superbia Trajanus, & Principes optimi quique abhorruerunt. Græcorum Imperatorum recentiorum fastus similis notatur.

XXI. Semel forte Caligula osculum pedis sinistri à Senatore, ceu supplicium pro noxa poposcit. Sed Maximinus Junior, Capitolino narrante, *in salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, & genu sibi osculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes*: quod Maximinum seniorem passum nunquam esse, notavit idem, dicere scilicet solitum: *Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat*. Excepit Diocletianus, de quo hæc Pomponius Lœtus *Comp. Hist. Rom.* habet: *Diocletianus edicto sanxit, ut omnes sine generis discrimine prostrati, pedes exoscularentur, quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta au-*

 ro,

ro, gemmis, margaritis. Eundem ornatum commiſcuit veſtibus. Trajanum contra Plinius in Panegyrico ſic laudat: *Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec oſculum manu reddis.* Ex eo tempore oſculi pedum vel exacti vel infixi exempla apud Romanos quidem nulla legere eſt. Aſt apud Græcos recentiores, teſte Curopalote *de Offic. Palat. Conſtantinop. p.* 145. uſu invaluit, ut Imperatoris dextrum pedem, manum & genam Principes oſcularentur, parato in triclinio throno, ſimul atque ille ex Eccleſia exibat. Quinto etiam die hebdomadis, cui διακαινισμοῦ *renovationis* nomen, Patriarcham una cum Summis Sacerdotibus Archimandritis, & Antiſtitibus mutatis veſtibus conveniſſe Imperatorem, ſtantem in throno ſuo; accedentem oſculatum eſſe Imperatorem ad os; & ſimiliter ab Imperatore Δεσπότην *Deſpotam, Dominum* deſignatum, qui ei proximus eſſe deberet, *oſculatum eſſe Imperatoris pedem;* addit.

Papa, ſucceſſorem S. Petri, & humilem ſe jactantis ſuperbia exaggeratur, & à Cuſpiniano etiam excogitatur.

XXII. Sic ergo Papæ gnathones morem à monſtro impuro, Cajo Caligula, cœptum, à non bonis Imperatoribus, Maximino & Diocletiano uſurpatum, à bonis, qualis Trajanus erat, recuſatum; Lipſio judice *turpem, pluſquam ſervilem, ſuperbum & inhumanum,* laudant & defendunt in eo, qui ſe ſucceſſorem jactat Petri, cui, æquè atque aliis Apoſtolis, à Chriſto dictum eſt: *Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ſic. Sed qui maximus eſt inter Vos, ſit ſicut qui minimus eſt; & qui Princeps eſt, ſicut qui miniſtrat.* Luc. XXII. 25. qui à Magiſtro ſuo ſic edoctus conſervos ſuos *juſſit paſcere gregem Dei, non ut dominantes cleris, ſed ut qui ſint exemplaria gregis.* 1 Pet. V. 2, 3. Malunt tamen illi expreſſis Caligulæ & Diocletiani veſtigiis inſiſtere, quàm Petri, cujus aliàs ſpoliis ſuperbiunt. Quos Cuſpinianus ètiam, Maximiliano Imp. à

con

consiliis, immeritò à Stevano *de osculat. ped. p.* 6. traductus, uti mendacia ejus perstringens Cl. Rivetus *Jes. Vap. cap.* 28. ostendit, agens de Diocletiano, sic exagitavit: *Divinos sibi* (Diocletianus) *usurpavit honores, veluti in eo esset Cœlestis Majestas, voluit adorari more Regum Persarum, pedésque exosculandos omnibus sine discrimine gentis exhibuit, idque edicto sanxit; quemadmodum hodie nostri sancti Pontifices faciunt, Caligulam imitatus, qui calceamenta auro gemmis & margaritis exornavit.*

XXIII. Quòd si quondam oscula quorundam pedibus fixa sunt (exempla autem mulieris peccatricis, & mulierum Christum resurgentem sic osculantium huc referri neutiquam possunt) ex voluntate, affectione, humilitate, devotione pia & libera sine apparatu, pompa & præscriptis ritibus figentium; nihil hoc Ausonium hunc Jovem juvat, qui oscula exigit, & solus exigit, & à summis, quandoque etiam additis ludibriis, exigit. Certè S. Petrus, quem primum & maximum Papam illi faciunt, adorationem liberam Cornelii Centurionis, pedibus ejus se advolventis, nec dum tamen eos osculantis; neque ignari, quòd Petrus Deus non esset, neutiquam admisit, argumento eo usus, *quòd & ipse homo sit*, Act. x. 25. 26. Ne quidem Angelus se à S. Johanne pedibus ejus accidente adorari passus est, Apoc. XIX. 10. Unde majorem esse Papam Angelo Antonium supra egregiè arguentem vidimus. Sed & ἀξιομνημόνευτα sunt Mardochai in Apocryphis, quæ Adversariis nostris Canonica habentur, ad Estheram additionibus cap. XIII. 12, 13, 34. verba ad Deum ipsum: Σὺ πάντα γινώσκεις, σὺ οἶδας, κύριε, ὅτι οὐκ ἐν ὕβρει, οὐδὲ ἐν ὑπερηφανίᾳ, οὐδὲ ἐν φιλοδοξίᾳ ἐποίησα τοῦτο τὸ μὴ προσκυνεῖν τ̃ ὑπερήφανον Ἀμαν, ὅτι εὐδόκουν φιλεῖν πέλματα ποδῶν αὐτοῦ, πρὸς σωτηρίαν Ἰσραὴλ, ἀλλ' ἐποίησα τοῦτο, ἵνα μὴ δῶ δόξαν ἀνθρώπου ὑπεράνω δόξης Θεοῦ, καὶ

Nihil enim exempla quædam veterum juvant; & S. Petri ac Mardochai exempla potius damnant.

οὐ προσκυνήσω οὐδένα, πλὴν σοῦ κύριε, καὶ οὐ ποιήσω αὐτὸ ἐν ὑπερηφανίᾳ. *Cuncta nosti & scis, quia non pro superbia, & contumelia & aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc ut non adorarem Aman superbissimum (libenter enim pro salute Israël etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem) Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem excepto Deo meo.*

Augustinus Christianos pedibus aliorum subjici vetat.

XXIV. S. Augustinus quin etiam magnam in eo superbiam agnoscit, qui pedibus suis Christianos velit subjicere. Explicans enim verba illa Psalmi XLVII. 4. *subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris* inter alia, *Mirum*, inquit, *si Apostoli tam superbè loquerentur, & gauderent, gentes esse positas sub pedibus suis: id est, Christianos sub pedibus Apostolorum. Etenim gaudent nos esse sub pedibus illius, qui mortuus est pro nobis. Nam sub pedibus Pauli currebant, qui volebant esse Pauli, & dicebat eis: Num quid Paulus pro vobis crucifixus est? Quid ergo hic? Quid accepturi sumus? Subjecit plebes nobis, & gentes sub pedibus nostris. Omnes pertinentes ad hæreditatem Christi in omnibus gentibus sunt, & omnes non pertinentes ad hæreditatem Christi in omnibus gentibus sunt.* En sensum Augustini, cui Christiani sic visi sunt subjecti pedibus solius Christi, ut schismatis, seu divisionis à Christo reos peragat, quotquot pedibus suis Christianos subjicere, adeòque sibi, non Christo mancipare conantur!

Olim quidem Pontifices Imperatorum præceptis se subjecerunt, & genubus advolverunt.

XXV. Quid ergo Papæ dicturus fuerat S. Pater, si ejus pedibus subjectos, imò pedes ejus plusquam serviliter osculantes, neque id liberè, sed lege lata inviolabili vidisset non promiscuè hos vel illos Christianos, plebejos, servos; sed cunctos, Tros Rutulúsve fuant, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, Reges, Imperatores? Qui si ad pedum oscula adacti sunt; magno jure ministri eorum Papæ nates osculari tenerentur; uti de Rablæso illo Bellaii Præ-

sulis

ſulis Papæ pedes oſculantis famulo, poſt herum pedes Papæ deoſculantem, Papæ approximare renuente cantavit neſcio quis vates:

Si Domino ſoleas porrexit ad oſcula Pappas,
Heu vereor ſervo porrigat ille nates.

Olim quidem Pontifices per multa Secula Imperatoribus ſe ſubmiſiſſe, clariſſimè Rivetus *Jeſ. Vap. cap.* 28. probavit. Octavo adhuc Seculo Papa Agatho ad Heraclium & Tiberium Auguſtos in ſexta Synodo Conſtantinopol. *Act. iv. Ep. j.* ſcribens, *promptam præceptis, juſſioni eorum obedientiam, cum ſupplici cordis devotione, flexo mentis poplite* &c. obſtrinxerunt. Hadrianus quoque Papa ſic A. 781. ad Conſtantinum & Irenem *Synod. vij. Act.* 2. ſcripſit: *Per veſtram* JUSSIONEM *exultatione ſumus perfuſi. Obſecrantes interim ex animi fervore veſtram manſuetudinem obteſtando, & veluti præſentes* GENUBUS ADVOLUTI, *& coram veſtigia pedum volutando, ego cũ fratribus meis coram Deo ſupplico, obteſtor, adjuro.*

XXVI. Quanta verò, Deum immortalem! deinceps rerum converſio ſecuta eſt? Quando videmus ſcilicet *ſervos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſervos*, Eccleſ. x. 7. Quando, ut Blondi *Rom. Inſtaur. lib. iij.* verbis utar, *Dictatorem* (non olim, ſed) *nunc perpetuum, non Cæſaris ſed Piſcatoris Petri ſucceſſorem, & Imperatoris* (Chriſti) *vicarium Pontificem Summum, Principes orbis & adorant & colunt.* Quando, uti famoſus ille Marcellus *Cerem. S. lib. iij. tit.* 1. *pag.* 113. ſententias Papæ loquens ſcribit, *Imperator, Reges, maximi Principes, & omnes alii in omnibus actibus pedem & manum Papæ oſculantur.* Exempla oſculantium Imperatorum non pauca ipſi Papiſtæ decantant; veluti Juſtiniani II. Anaſtaſius Bibliothecarius apud Baronium *A.* 710. *n.* 2. & Stevanus *pag.* 87. 88. Caroli M. idem Stevanus *pag.* 92. Dia-

At metamorphoſis horrenda deinceps Pontifices maximos Imperatores & Reges, lege lata, ad oſcula pedum adegerunt:

Diana *Resol.* 3. *p.* 3. Sigismundi Bulengerus adv. Casaub. *pag.* 30. Caroli V. Stevanus *pag.* 129. Regum & Principum exempla ab eodem Stevano, Diana & aliis jactata ad compendium pono. Jactata, dico. Nam de singulis fidem non fecerint; saltem quæ ex comitate delata sunt; quasi ex contractu jam deberi perperam illi censent. Sed quosdam serviliter osculatos, & osculantes, veluti Carolum V. & Carolum VIII. Regem Galliæ Romæ depictos, vel æri incisos, compertum est. Mirumne ergo cuiquam est, Imperatores & Reges Papolatras plures cruentis contra fideles consiliis innexos esse hactenus, cùm à pedibus Papæ nonnisi cruentum & pollutum os referre possint; uti non inscitè Budæus *de Asse p.* 436. dixit.

Tam rigidi exactores juris sui, ut in coronatione Imperatoris absentes protestati fuerint, ne quicquam ei derogetur.

XXVII. Tam rigidi insuper Pontifices sunt adorationis & osculi hujus exactores, ut si quando in coronatione Imperatoris ob absentiam Papæ exigi nequiverunt, legati Pontificii solenniter protestati sint, nihil sic juri Papæ derogari. Quomodo in coronatione Caroli IV. *voluit Innocentius Pontifex* (verba refero ejusdem Marcelli *pag.* 65.) *quòd Cardinales* ad hoc delegati *publicè protestarentur Domino Imperatori, quòd propter omissionem reverentiarum, obsequiorum & multarum ceremoniarum, quæ pertinent ad personam Romani Pontificis, non esset aliquo modo derogatum privilegiis & honorificentiæ Romanæ Sedis & successorum. Et de hac protestatione & consensu Imperatoris exigerent quadruplices literas, Regalibus & Imperialibus sigillis munitas: sicut factum.* O horrendam metamorphosin! Tu, Domine Jesu, non habuisti, ubi reclinares caput tuum. Isti, vicarii tui scilicet, habeant ipsas Regum Imperatorúmque cervices, quibus incumbant etiam pede, & premant nolentes pro authoritate officii! Veniet tempus, quando non catulus aliquis morsu (quomodo quondam pusillus catulus Comitis Angli Wiltoniensis,

ſis, pedes Papæ protenſos oſculari dedignati, eoſdem gemmis auróque radiantes laſcivis dentibus morſúque, uti Britannicæ Antiquitates à Joſſelino collectæ, referunt, appetiit, indignante Papa, & ridentibus Anglis) ſed Cœleſtis Judex piacularibus flammis ſcelus ulciſcetur.

Exceptio quòd oſcula pedibus Papæ fixa in honorem Christi redundent, examinatur. Legatus nemo Regis sui, nec Papæ Legatus Papæ honores impunè delibat.

XXVIII. Sed id omne vergere in honorem ipſius Chriſti, cujus Papa in mundo vicarius ſit, Papolatræ cauſantur. Quis verò unquam vicarius (quanquam Chriſti vices ne quidem Papa gerit) impunè delibavit honores ſoli Regi debitos? Etiamſi, ſic ipſe Navarrus *Tom. j. com. in can. Humanæ aures*, ſcribit, *vicarius honorandus ſit, tanquam vicem tenens & locum principalis Domini, tamen non eodem honore.* Idque ex hoc ipſo ritu oſculationis pedum probat. *Oſculamur*, inquit, *pedes Papæ honoris gratia, non tamen facimus id ejus gratia etiam à latere, minùs ejus delegato.* Si legatus, vicarius Pontificis, non eodem quo Pontifex honore affici debet, cùm uterque tamen homo ſit: quomodo vicario Chriſti honor Chriſti, qui Deus & homo eſt, adeóque infinities major, competere poteſt? Sed duo inſuper ſunt, quæ nullam hic honoris Chriſti rationem haberi, apertè ſatis comprobant.

Papa ab eo qui Christi personam gerit in sexta Dominica Quadragesimæ in Palmis, ipsóque adeò Christo oscula pedum excipit.

XXIX. *Prius* eſt, quòd Papa in ſexta Dominica Quadrageſimæ in Palmis à perſona illa, quæ Chriſtum repræſentat, pedibus ſuis oſculum infigi patitur. De eo ſic Marcellus *Cerem. S. lib. ij. pag.* 89. ſcribit: *Ibi tres dicturi paſſionum parantur amictu, qui Euangeliſtæ perſonam ſuſtinet, albo, Judæus rubro, Chriſtus nigro. Et circa finem tractus movent ſe à loco, ubi ſe induerant, & ille, qui Euangeliſtam aget, portat librum & præcedit; ſequitur Judæus; deinde Chriſtus. Faciunt reverentiam altari & Papæ, deinde*

de ascendunt ad osculum pedis Papæ, unus post alium, prout venerunt, &c. Viden Christum ipsum, seu eum, qui Christi personam gerit, æquè ac Euangelistam & Judæum, Papæ pedibus oscula figentem? In cujus ergo honorem Christus Papæ pedes osculatur?

Et crucem auream calceamentis suis intextam, osculandam præbens, Christum conculcat.

XXX. *Posterius* est, quòd Papa calceo, quem osculandum porrigit, intextam phrygionis opere habet crucem. Quæ non obscura professio est, crucem Christi à Papa non honorari, sed conculcari, ad pedes scilicet abjiciente id, quod in Ecclesia Romana cultu latriæ adoratur. Atque hic notabile etiam illud est, quòd Imperatores & Reges crucem in capite & diademate suo; at Papa in pedibus eam gestat. De quo more impio & profano, si quispiam alius est, sic apud Dianam *Resol. j. p.* 1. Papirius Massonus, scriptor Pontificius scribit: *Qui mos an sit antiquissimus, nescio. Nondum enim omnia legi. Sed hoc scio, consuetudinem illam Cisalpinis populis minùs probari, quàm Italicæ genti, ad hujus generis obsequia & demissiones natæ.* Nati sint ergo Itali ad *hujus generis obsequia* impia, & parùm ab Atheïsmo sejuncta. Nos Cisalpini ab iis toto pectore abhorremus, ne incidamus in pœnam eorum, qui Filium Dei conculcant, & sanguinem ejus profanum ducunt, Hebr. x. 29.

Dianæ exceptio, quòd crucem in sandaliis Papæ adorantes non tam Papæ pedes osculentur, quam crucem Christi adorent, expenditur.

XXXI. Neque omnino insignitam impietatem illam purgavit Diana, qui *Resol. 20. pag.* 16. 17. obtendit, *Papas crucem sandaliis seu calceamentis fixisse, ut Christi fideles coram genubus advoluti, & ad eorum prostrati pedes, deosculentur non tam eorum pedes, quàm Christi triumphale signum adorent; ipsique Papæ à se honorem illum ad Christi Domini gloriam transferant, & tam suavi pedum præconio crucem Christi* po-

populo commendent. Veram Chriſti crucem, ſive quam ipſe pertulit, ſive quam fidelibus impoſuit, pro ſtultitia illi habent: præconium crucis ejus, ceu rem vilem & indignam aſpernantur, ac poſteriore loco amandant; denique cum Leone X. in ſinu rident, quòd illæ de Chriſto & cruce ejus fabulæ, multùm ſibi profuerint. Pictam verò fictámque crucem, quam Chriſtus & fideles viciſſim pro ſtultitia habent meritò, loco corporis ſordido intexunt, atque ſic honori Chriſti egregiè ſcilicet illi velificantur. *Decipimur ſpecie recti*, verba Polydori Vergilii, ex libro ejus quarto, cap. 13. Expurgatorum ſpongia expuncta ſunt, *& ſæpe cum Caligula pedes protendimus, dum Chriſti humilitatem vel ſpernimus, vel fucato conſervandæ Apoſtolicæ authoritatis titulo exornare laboramus.* Quis amabo in Dominos redundabit honos, ſi Miniſtri illorum & Legati publica eorum inſtrumenta non manibus teneant, tracténtque, ſed fœdis pedibus intexta & infixa propinent? Quin potiùs ore & pedibus illi ad Euangelizandum & veram Chriſti crucem ex puro Dei verbo prædicandam, non ſordidis ſoccis vel calceamentis ad exponendum ludibrio impiorum hominum Chriſtum uterentur! Sed & hac in re prævivere illis non Chriſtus, non Petrus, non ullus Apoſtolus, non ullus Imperator Chriſtianus (cujus potiùs pedem, & in pede crucem, ſi decorum foret ibi eam pingere, Papa oſculari deberet) ſed Caligula, Diocletianus, Maximinus, calceamenta ſua auro, gemmis, margaritis, velut oſculantium illecebra quadam; perinde atque hi oſores veræ crucis, ficta & aurea cruce exornantes; uti ex Seneca & Pomponio Lœto ſupra oſtendimus.

XXXII. Haud felicior Stevanus *de Oſcul. pedum cap.* 3. Pontificem crucem pedibus impreſſiſſe nos edocet, *Impietatem illam malè Stevanus ex*

Ps. lxviij. 24. incrustare conatur.

cet, juxta illud Psal. LXVIII. 24. *Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis, ab Ipso:* uti malè Vulgatus Interpres Hebræa reddidit: Quid enim ex verbis, uti jacent, Papæ applicatis, aliud quàm Mulierem illam ebriam sanguine Sanctorum, & sanguine Martyrum Jesu, extundi rectiùs potest? Sed lepidè sanè Stevanus: *Tunc pedes sanguine tinguntur, cùm cruce Christi decorantur. Tunc linguæ canum imbuuntur sanguine, cùm hæretici, canum more, vestigia Summi Sacerdotis lingunt, & crucem sandaliis impressam osculantur.* Mirúmne ergo, repeto salem Budæi, dignum scilicet, quo carnis Stevani putredo perfricetur, Imperatores & Reges Papæ pedem osculantes, os inde cruentum referre, & ferro flammáque adversus eos, qui veram crucem fictæ pictæque præferunt, sævire? Sed ampliùs quid insani illius hominis verba portendunt; canes scilicet, hæreticos, inimicos Christi esse, qui *vestigia Summi Sacerdotis lingunt, & crucem sandaliis impressam osculantur.* Sunto sanè, & pace nostra sunto. Cæterùm verba Davidis obtorto collo ad stabilienda pedum Papæ oscula Jesuita rapuit.. Sic enim habent: למען תמחץ רגלך בדם לשון כלביך מאיבים מנהו *Ut altè deprimas pedem tuum in sanguinem, linguam canum tuorum, ex Inimicis, ex illo.* Sensus est, ita verberaturum Deum caput inimicorum suorum, *verticem illum comatum* (v. 22.) ut sanguis fluat ex inimicis ejus, tanta copia, ut pedem & linguam canum in eo demergere in proclivi futurum sit. Si Stevano innotesceret mysterium ראש פרעות איב *Capitis illius comati Inimici*, non jam osculum pedum Papæ ex verbis illis invita Minerva elicere conaretur, sed potiùs impiæ illius osculationis pedum Papæ pœnam justam subodoraretur facilè.

XXXIII. Ne-

Idem Stevanus, Bullengerus, Diana Scriptura loca, qua de adoratione Dei & Christi apertè sonant, ad oscula pedibus Papæ infigenda malignè detorquent.

XXXIII. Neque illud prætereundum est, quòd idem Stevanus, Bullengerus, Diana, alii probare pedum Papæ osculandorum necessitatem conantur iis Scripturæ testimoniis, quæ de solo Deo disertè loquuntur. Ita enim verba Psal. LXXII. 11. *Et incurvabunt se ei omnes Reges, omnes gentes servient ei;* de Christo sine omni exceptione dicta, tum Romani, visis osculis, quæ Saracenorum Princeps & Comites Alexandro III. fixerunt, in eundem Papam; teste Baronio *ad A.* 1162. *n.* 2, 3. tum Ant. Puccius in Concilio Lateranensi V. Sess. 9. in Papam Leonem X. deflexerunt. Et Stevanus *pag.* 55. verba Psal. XCIX. 45. *Tu stabilivisti rectitudinem. Judicium & justitiam fecisti in Jacob. Exaltate Jehovam Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus:* ad Papam traduxit eo argumento, *quòd ipse justitiam maximè tueatur, & ad ipsum, tanquam supremum Christi Magistratum provocatio fiat.* Sed verba Psaltis de exaltando Jehova, & adorando scabello pedum ejus apertè loquuntur. Sic jam Deo justitiæ authori & vindici unico, & Papæ, *maximè* scilicet justitiam tuenti, & *supremo* Christi *Magistratui*, unus idémque honos debebitur. Idem Stevanus *pag.* 29. verba Esai. LX. 14. *Adorabunt ad plantas pedum tuorum omnes spernentes te;* de Christo ἀντιδιαςῶς intelligenda, ad Papam referre non erubescit. *Si Christi*, inquit, *pedibus oscula deferuntur, nonne & Ecclesiæ, quæ est caro de carne Christi?* Taceo transsubstantiationem Ecclesiæ in Papam. Saltem inde constat, Papæ & Christo unum eundemque honorem homines illos asserere; & quæ de Christo dicuntur, ad Papam rapere. Loca Esai. XLV. 23. & XLIX. 7. de Christo clarè vaticinantia ad se ab insanis verpis trahi, Innocentius X. passus est, narrante Banckio *Romæ Triumph. pag.* 331. *&c.* Idem Stevanus

nus *pag.* 23, 26. nec non Diana *pag.* 3. quæ Matth. XXVIII. 9. & Luc. XXIV. 52. de religiosa Christi adoratione, non de pedibus nudi hominis, osculo cultis, dicuntur, Papæ eadem eximia faciunt, & ex iis osculandos ejus pedes esse, conficere satagunt. Sed & ex osculo Christi pedibus à Muliere fixo Luc. VII. 38. Stevanus *pag.* 22, 23. necessitatem osculandorum pedum Papæ probare nititur. Pœne oblitus eram, quòd Diana, Stevanus, Lorinus consentientes, verba illa Deuteron. XXXIII. 2, 3. *In manu dextra illius ignea lex. Dilexit populos. Omnes Sancti in manu illius sunt, & qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius*, à Mose de uno Jehova illo, qui venit in montem Sion, & illuxit è Paran &c. pronuntiata, non dubitant ad oscula Papalium pedum trahere. *Cùm Romanus Pontifex*, ita Stevanus *cap.* 10. scribit, *omnes homines Christi authoritate perfunctus; Legem Dei ut Magister & (NB) Legislator edoceat, controversiásque omnes ut Judex dissolvat, status excellentia omnibus præsit; in fide & religione aberrantes fratres instituat, atque confirmet: meritò ad ejus pedes exosculandos accedimus, ut religionis & fidei disciplina imbuamur. Quod ex Deut.* 33. *liquidò constare arbitror &c. Quamobrem meritò ad Pontificis nostri pedes pervolvimur, non tam ut hoc humili pietatis voto ejus summam dignitatem atque excellentiam indicemus, quàm quòd etiam dum ejus pedibus obvolvimur, certissimis fidei & religionis institutis imbuamur.* Non occurrerunt credo alii de pedum osculis, vel teverentia Deo & Christo Symbolo hoc deferenda textus; non immunes aliàs haud dubiè à fœdissima hac à Divino ad Papalem honorem detorsione futuri. Saltem hinc clarissimè constat, adorationem Papæ per oscula pedum, Divinum & re-

religiosum cultum, qualis uni solique vero Deo debetur, à Papolatris haberi.

Adoratio Papæ non est civilis; & si civilis etiam foret, pridem in idololatriam, qualis Politica est, degenerâsset.

XXXIV. Atque id ipsum nunc certis & irrefragabilibus argumentis confirmandum restat; ne Divino & religioso honore à se Numen isthoc coli, inficiari, adeóque de injuria sibi facta, uti solent, quos Papolatriæ pudet, expostulationem facere sustineant. Quanquam enim ex iis, quæ hactenus diximus, inprimis nefario vaticinorum illorum Divinorum ad stabilimentum honoris Pontificii raptu, nemo non, cui sanum sinciput est, penitus intelligit, honores illos concatenatos, à Summis & Infimis Papæ habitos humanis majores esse; & cultum etiam merè civilem, quando in eo *sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera*, ut Augustini verbis *de Civit. D. lib. x.* 4. hoc exprimam, modus exceditur; in idololatriam & tyrannidem degenerare posse, non solùm exempla Hamanis & Herodis fidem faciunt, sed etiam à Doctiss. Johanne Filesaco, Sorbonico Theologo, libro *Idololatria Politica* scripto, abundè probatum est; tamen omnem illum, qui Pontifici seorsim & singulari ratione exhibetur, honorem sua natura religiosum & Divinum esse, pluribus etiam nunc & dedita opera demonstrandum venit.

Cultus civilis & religiosus distinguitur.

XXXV. Cultus & honos omnis vel civilis seu humanus, vel religiosus seu Divinus est. Illum *dilectionis & societatis*, hunc *servitutem Divinitati debitam*, S. Augustinus *contra Faust. Manich. lib. xx.* 21. appellat. Cùm enim cultus & honos amoris quædam species sit; & amor omnis vel Dei vel proximi sit, non aliæ etiam honoris cultúsque species, quàm Divini & humani obtinere possunt. Accedit, quòd omnis cultus & honor recognitio quædam est excellentiæ personæ illius, quæ honoratur, ex affectu sic illam recognoscendi. Excel-

cellentia autem omnis vel finita, vel infinita est. Illa personæ finitæ, quales Angelus & homo sunt; hæc infinitæ, quæ Deus est. Illa proin cultu civili, humano, societatis, dilectionis: hæc religioso & Divino recognoscitur. Neque medium inter duo illa dari potest. Sic finitum inter & infinitum medium nihil interjacet.

Religiosum cultum eundem Divinum esse, probatur.

XXXVI. Tum omnis honos & cultus religiosus idem Divinus quoque est. Nam illi cultus religiosus debetur, in quem religio fertur. Fertur autem illa in solum Deum, ceu præcipua amoris Divini species. Unde Deus religionis objectum unicum & adeò adæquatum est, ut ad aliud illa objectum sine gravissima Dei injuria referri non possit. Huc enim spectat ille titulus Dei, quo passim קנא *Zelotes*, seu *Zelotypus* nuncupatur. *Religio & veneratio* (sic Lactantius *Instit. Div. lib. j.* 20. jam olim scripsit) *nulla alia, nisi unius Dei tenenda est.* Augustinus quoque *de vera relig. cap. ult.* apertè: *Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo: quia inter mentem nostram, qua illum intelligimus Patrem & veritatem, hoc est, lucem interiorem, per quam illum intelligimus, nulla interposita est creatura.* Ratio quoque, sub qua religio Deum respicit, est Divina illa excellentia, quæ in sufficientia & efficientia ejus elucet; adeóque non unum aliquod attributum, sed perfectio ex omnibus ejus attributis coalescens: quæ Exod. xxxiv. 6, 7. ab ipso Deo proclamatur. Omnis ergo cultus, qui vel ex natura & conditione sua, vel ex lege & consuetudine communi, vel ex mente & institutione deferentis, religiosum honorem alii defert, præterquam Deo vero, ille Deum novum ac falsum, catenus saltem, sibimet ipsi fingit. Et qui religiosum illum cultum Deo non defert, is *profanus:* qui alii quàm

quàm Deo defert, *idololatra* eſt, Act. x. 26. Apoc. xix. 10. & xx. 8.

XXXVII. Vel igitur omnis ille Pontificis cultus civilis, vel religioſus, adeóque Divinus eſt. Civilem eſſe, ex Papolatris largiuntur pauci: ii videlicet, qui nondum pudorem omnem decoxerunt, Politici nonnullli, qui ſe Papam, ut Principem politicum potentem, immenſa illa ceremoniarum mole, adorare præferunt. Cùm verò is, qui tali adoratione civilem adorato honorem exhibet, eo ipſo inferiorem ſe in civilibus profiteatur; Imperatores ergo, Reges & Principes, qui Papæ pedes oſculantur, in civilibus & temporalibus ſe ſubeſſe Papæ profiteantur pariter, neceſſum eſt. Unde conſequens eſt, Papam etiam in Civilibus & temporalibus directa & eminentiſſima poteſtate ſupra omnes alios pollere, adeóque eſſe Regem Regum, & Dominum dominantium: qui Babylonis, Magnæ illius Meretricis certiſſimus character eſt, Apoc. xvii. 18. Cúmque tantus honor civilis nullo jure Papæ competat, utpote ejus excellentia multis paraſangis inferior, idololatriæ Politicæ labem eo ipſo contrahit, adeóque in religioſum ſimilémque illi, quem ſibi Hamari Nebucadnezar, Herodes haberi quondam juſſerunt, degenerat.

Adoratio Papæ civili & humana major;

XXXVIII. Et ſanè non civilem licitum, ſed merè religioſum, uti veri Pontificii omnes teſtantur, adeóque Divinum honorem illum eſſe, jubare meridiano clarius eſt. Etenim *primò* honor ille *Adorationis* nomine venit. Nam libros de honore Papæ deferendo Mazaroninus, Diana disertè *de adoratione Papæ* inſcribunt: & in diſputatione hac *adorationis* vox frequentiſſima eſt: & ſupra hiſtoricos induximus, qui *adoratum* Papam ſcripſere: & Romæ phraſis illa, *Adorare Papam*, in quotidiano uſu eſt. Fatendum equidem, verbum השתחוה quod Græci προσκυνεῖν, Latini *adorare* reddunt; apud Hebræos promiſ-

adeóque talis cultus religioſus & Divinus eſt; quod octo argumentis demonſtratur. 1. Quia adorationis nomine venit; quod in N. T. religioſum ſemper & Divinum cultum notat.

miscuum esse, & Deo juxta atque creaturis tribui. Sed primò tantùm apud Orientales, ex quorum usu illa sunt, quæ in Scripturis legimus. Occidentales verò ceremoniarum harum fuêre parciores, atque apud eos προσκυνήσεως *adoratio* non usitata fuit, nisi in Sacris: neque aut admissa, nisi ab iis, quibus tyrannidis insolentia mentem mutâsset; aut delata nisi ab iis, qui servilem in modum potentioribus adulari sueverunt. Quod verò ita in V. T. promiscuum erat, illud in N. T. Christianos inter cultui religioso factum est eximium. Nunquam proin in N. T. legas aliter: & improbata προσκύνησις *adoratio*, cùm Petro, Angelo, quanquam neutri ut Deo, delata est. Neque apud veteres Theologos aliter legas; donec quidam posteriorum seculorum idololatria fascinari cœperunt. Quanquam hodie modestiores Pontificii à se *adorari* Sanctos, imagines negant: metuentes scilicet, ne sibi eos adorantibus impingatur meritò, quòd Divinum iis honorem tribuant. Denique nunquam illi ferent, ut dicatur, Imperatorem, Reges, Principes adorari debere: quamvis civili & humano honore summo eos colendos esse constat. Cùm ergo Papam adorandum esse sciscunt, alium certè honorem, quàm civilem & humanum, adeóque ei immediatè oppositum religiosum & Divinum intelligant oportet.

Dianæ exceptio, quòd adorationis nomen commune sit, ventilatur.

XXXIX. Frustra ergo Diana *Resol.* 2. *p.* 2. nomen *adorationis* commune Deo, Angelis & hominibus facit, idque ea ratione, *quòd in Deo & creaturis reperiatur excellentia adoratione digna*. Si de honore & cultu sermo foret, id admitti posset. At de *adoratione*, juxta vim vocis, à Christo, Apostolis & omnibus Christianis veris in N. T. usurpatæ, admitti neutiquam potest. Nam quòd idem Diana illam προσκύνησιν *adorationem* allegat, quam à Christo Sathanas Matth. IV. 9. exigere ausus est, nec

nec non illam, quam Cornelius S. Petro Act. x. 25. detulit: profectò suo se mucrone sauciavit. Nam *adorationem* à Sathana exactam Christus repulit v. 10. eò argumento, quòd scriptum sit: *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.* Pariter S. Petrus Cornelium *adorantem* v. 26. jussit surgere; eo argumento quòd etiam ipse homo sit. Annon hinc clarissime liquet, juxta stylum N. T. adorationem omnem uni solique Deo deferendam esse: & nullam homini ulli deferendam esse; adeóque adorationem Papæ delatam non aliam, quàm religiosam & Divinam esse posse.

II. Quid defertur ei personæ, quæ Divinitatem affectat.

XL. *Secundò* religiosam & Divinam esse adorationem Papæ, multò magis res ipsa loquitur. Nam defertur ei personæ, quam sibi Divinitatem arrogare, ex titulis, & octo attributorum Divinorum, in quorum prædam Aquila hæc rapacissima involavit, complexione, superiori diatriba fecimus manifestum. Qualis excellentia putatur esse personæ, quæ colitur, talis cultus ipse est: quod fundamentum suæ disputationi Diana substravit. Atqui Papæ excellentia Divina putatur, non quasi æternum & infinitum Numen verbis asseratur, sed quia ea ei vendicantur, quæ solius Dei πλεονεκτήματα sunt. Cultus ergo, quo is colitur, merè religiosus & Divinus sit oportet. Quæ etiam haud dubiè causa est, quòd adorationem Papæ, uti jam jam vidimus, iisdem textibus probatum eunt, quibus Dei & Christi adoratio præcipitur.

Exceptioni; quòd Papæ cultum à cultu Dei Papicolæ distinguant, neque Papam pro æterno Numine habeant; occurritur.

XLI. Nihil ergo Papolatrarum causam juvat, quòd se Papam à Deo, adeóque cultum etiam Papæ à cultu Dei distinguere; neque Papam pro æterno Deo venerari, protestantur. Quomodo Costerus *Enchirid. cap.* 3. nobis maximo crimini vertit, quòd dicamus, Papistas *Papam pro Deo, ac loco Numinis venerari.* Similis enim hic verborum lusus est, quem etiam in quæstione de adora-

ratione Sanctorum ludere solent; verborum, inquam, meræ præstigiæ, rei verò ipsius certa confusio. Quomodo si latro se absolvi vellet, quòd se profiteretur bonum virum; aut meretrix, quòd se adulteram dici non pateretur, imò castæ matronæ elogium adfectaret. Quasi videlicet nunquam res vera sua nomina amisissent; vel injustitia illa, qua capitaliorem nullam esse Cicero affirmat, ut qui malus est, bonum se haberi velit, non crebrò obtineat. Sic omnino solent Papolatræ rem dissimulare, contenti externo verborum crepitu. Nam cùm reapse creaturis exhibeant cultum Divinum, tamen idololatriam negant, addentes modò summis labris, se Sanctos, imagines &c. non ut Deum venerari, neque pro Deo habere. Nos verò cordatiores non patimur nos hoc φενακισμῷ transversos abripi; sed missis inanibus, rei hærentes, ut in capite de Sanctis fœdam idololatriam, ita hic detestandam Papolatriam agnoscimus, traducimúsque meritò.

Adorandum esse Papam, ut Deum, non semel Papolatris excidit.

XLII. Interim haud rarò sorex suo se indicio prodit. Crebrò enim Papolatris, moderante sic Numine, ea verba excidunt, quibus adorandum esse Papam, ut Deum, affirmant. Etenim Romvaldus, qui teste Baronio *ad A.* 1177. *n.* 40. præsens fuit, cùm Fridericus Imp. Alexandrum III. adorâsset, *ib. n.* 68. sic de Imperatore eodem scribit: *Cùm ad Papam appropiâsset, tactus Divino Spiritu, Deum in Alexandro venerans &c. Pontificis pedes exosculatus est.* Et eodem sensu Aug. Steuchus Papæ Bibliothecarius, in libro suo contra Vallam, disertè dixit, *Fideles in Papa ipsum Filium Dei venerari, & suspicere ipsum non tam mortalem hominem, quàm in ipso Deum ipsum, qui eum sibi in terris suffecerit.* Sic ergo in Papa adorant Deum, ac si Papa non homo mortalis, sed Deus ipse esset. Idem Steuchus *de Donat. Constant. p.* 141. hæc habet: *Audis, summum Pontificem à Constan-*

ſtantino Deum appellatum, & habitum pro Deo. Adoravit ut Deum, ut Christi & Dei ſucceſſorem, Divinos ei honores, quoad ejus potuit, contulit, &c. Induſtrius ille Saracenorum Princeps Baronio *ad A.* 1162. *n.* 2, 3. Alexandrum III. *tanquam Sanctum & pium Chriſtianorum Deum adorâſſe* dicitur. Petrus à Cordua, Comes Capræ, & Hieronymus Balbus, Epiſcopus Gurcenſis, Ferdinandi Arthiducis Auſtriæ Oratores, Papæ *vicariam Chriſti perſonam, quam gerit in terris, ut Divinam & Cæleſtem colendam eſſe*, dixêre: non improbante Bzovio *de Rom. Pontif. pag.* 55. Archipresbyteri Cardinalis Columnæ verba, quibus Lateranenſis Baſilicæ Clerum *Papam venerari, colere, adorare, & ſe omniáque ſua paternæ & pluſquam Divinæ ipſius diſpoſitioni reverenter ſubmittere*, teſtatur, ſupra *th.* 25. recitavimus.

III. Quòd Papa adoretur, ut Pro-Deus, Pro-Christus, Eccleſiæ Monarcha, religionis vertex.

XLIII. *Tertiò* adorandum eſſe Papam *οἱ ἐξ ἐναντίας* contendunt, quatenus is eſt Pro-Deus, Pro-Chriſtus, Chriſti Vicarius, Eccleſiæ Monarcha *Religionis vertex*, uti ipſum Cardinalis Gabriel Palæottus *de Conſult. S. Conſtit. p.* 2. *q.* 3. *pag.* 75. appellat. Adoratio illa cùm civilis & merè humana dici non poſſit, utpote qua non propter ullum civilem vel merè humanum reſpectum, ſed propter ſolam religionem adoratores defunguntur, religioſa & Divina ſit oportet. Nam mediam nullam dari ſupra oſtendimus. Accedit, quòd Eccleſiæ caput & Monarcha, religionis vertex, niſi Divinitatis particeps nemo eſſe poteſt: uti ſuperiori etiam diatriba demonſtravimus: quòdque adoratio ea Papæ eo modo defertur, qui ſpecialis ei eſt, & nulli alii, Imperatori etiam vel Regi, communicabilis. Qua re aperta idololatria committitur. Si enim coleretur Papa honore cum aliis communi, fortè præcaveri idololatria poſſet. Sed cùm honor ille ſit ſingularis, & ſoli Papæ debitus, & ab omnibus, & Chriſti loco, jam dubium non eſt, quin

civilis cultus non gradum duntaxat, sed speciem egrediatur, adeóque merè religiosus & Divinus evadat.

Neque honor Papæ habitus in honorem Christi vergit: & sic illum Pro-Deum, Pro-Christum suum adorant ut ejus adoratio à Christi, quà is Deus est, adoratione nihil distet; & in Missa major Papæ, quàm Christo honor habetur.

XLIV. Argumenti hujus nervum tria adstringunt. *Primum* est, quod supra jam probare occupavimus, honorem, quem se Papæ, ut Vicario Christi deferre præ se ferunt, in honorem Christi neutiquam redundare. Terminatur ergo & quiescit in Papa. Cúmque religiosus & divinus sit, Divinus ergo & religiosus honor in Papa quiescit & terminatur. *Secundum* est, quòd sic Pro-Deum illum, Pro-Christum, Vicarium Christi, Monarcham Ecclesiæ se adorare profitentur, ut ejus adoratio à Christi, qua Deus est, adoratione nihil distet. Sic enim Augustinus de Ancona *Summ. de Pot. Eccles. q. 9. art. j. pag.* 63. hanc quæstionem movet: *Utrum Papæ debeatur honor, qui debetur Christo, secundum quod Deus?* Respondet inter alia: *Videtur, quòd honor, qui debetur Christo, secundum quod Deus, debeatur Papæ, quia honor debetur potestati. Sed una est potestas Christi, secundum quod Deus est; & Papæ. Quod probatur, quia potestas Christi secundum quod Deus est, peccata remittere, juxta illud Marc. II. 7. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Illud autem convenit Papæ, quia quodcunque ligat vel solvit supra terram, est ligatum vel solutum in Cœlis: sicut dictum est Petro Matth. xvj. 19. Idem ergo honor debetur utrique.* Sed & Stevanus *de Oscul. Papæ cap. iij. p.* 27. hoc ipsum insinuat: *Quis*, inquit, *potest negare, Apostolos Christi pedes, & locum plantis signatum, osculis minimè contigisse? Quis inficiari, eodem pacto non adorandos esse Divinos maximósque Sacerdotes? Cùm Spiritus S. Templa sint, & uberrimi fontes gratiarum, quæ per eorum manus in nos omnes effunduntur.* Johannes de Turrecremata *Eccles. Hier. p. ij. lib. 5. pag.* 298. *Osculo*, inquit, *submissis humi genibus dato, non tantùm benevolentiam signifi-*

ficamus, sed etiam honorem devotionem & observantiam, qua adstricti sumus, & tenemur Pontificem Christi personam in Ecclesia sustinentem, ceu ipsius Ecclesiæ fundamentum & basin perpetua cum reverentia venerari, & SANCTISSIMUM VELUT NUMEN *excolere.* Denique Adamus Tannerus Lojolita *Tom: iij. Disp. 5. q. 2. dub. 2. n.* 60. eandem in rem sic disserit: *Vicarius Christi duplici potest honore coli. Primò per simplicem mentis apprehensionem, agnoscendo quodammodo in illo Christum, cujus personam & munus sustinet. Et hoc modo eodem cultu, quo Christus & homo colitur, adorari posset: ita quidem, ut talis cultus propriè & per se ad Christum, per accidens verò solùm & relativè ad Vicarium tenderet. Secundò juxta propriam dignitatem Vicarii, à Christi dignitate, quam ut homo, & Supremus Ecclesiæ moderator habet, derivatam, honore quodam inferiori: quem ipsum tamen ad eum habitum pertinere censeo, quo Christus idem, ut homo colitur. Tertium* est, quòd in Missa & solenni Papæ processione major Papæ quàm Christo ipsi honor habeatur, quod supra *th. vj. & ix.* fusiùs paulò expositum, non repetimus.

XLV. *Quartò* is cultus religiosus & Divinus utique est, quo ab eo, qui colitur, maxima quæque & verè Divina beneficia petuntur, & expectantur Divina enim munera à solo Deo & Patre Cœlesti expectari possunt. Talis adoratio Papæ est. Eo enim argumento, quòd Papa remissionem peccatorum impertiri valeat, etiam *pectoris tunsione* eum adorari posse, Diana *Resol.* 8. *p.* 6, 7. confirmat. *Est enim*, inquit, *pectoris tunsio signum agnoscentis peccata, & eorum remissionem petentis.* Ita Panormitani, Æmilio Veronensi *de gestis Franc. Lib. vij. p.* 384. teste, per Oratores suos ad pedes Martini IV. strati, *velut pro ara hostiáque Christum, Agnum Dei salu-*

IV. Quia Papicolæ ab adorato Papa maxima quæque & Divina sibi beneficia promittunt.

salutantes, illa etiam ex altaris mysteriis verba supplices effabantur: *Qui tollis peccata mundi, miserere nostri. Iterum, qui tollis peccata mundi, miserere nostri. Tertium, Qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Christophorus quoque Marcellus in Concilio Lateranensi, *Seff.* 4. Oratione ad Julium II. habita, sic eum adoravit: *Ad te supplex, tanquam ad verum Principem Protectorem, Petram & Sponsum accedo, quem oro, obsecro & obtestor, si quæ corporis sunt, & temporanea jura respiciunt, armis curâsti, quæ ad cujusque animam pertinent, non armis, sed sanctissimis legibus cura. Id námque longè faciliùs agere poteris, quàm quæ hactenus egisti. Cura, inquam, Pater Beatissime, ut Sponsæ tuæ forma decórque redeat, & pulchritudo. Cura, ut grex tibi commissus optimis ac spiritualibus alimentis alatur & vivat. Cura ut valetudo hæc, quæ totum terrarum orbem invasit, abscedat. Cura ut fluctuanti naviculæ, in alto à diris agitatæ ventis, salutis portus illuceat. Cura, ne fruges, cujus es cultor, præ nimia ariditate siccescat. Cura, ut ovile unum fiat, quod modò est in partes divisum. Cura denique, ut salutem, quam dedisti nobis, & vitam & spiritum non amittamus. Tu enim Pastor, tu Medicus, tu Gubernator, tu Cultor, tu denique alter Deus in terris.* Quicquamne Diviniùs, majus à Papa, ceu Pastore, Gubernatore, Medico, Cultore, Deo, salutis Datore expeti poterat? Addatur formula precum, quas à Cardinale Columna, nomine Cleri Basilicæ Lateranensis ad Innocentium X. fusas, supra *thesi v.* recitavimus: ubi inter alia: *Nos te, solum nostrum Patronum, Summum Caput & Episcopum ac Spiritualem Patrem unicè veneramur, colimus & adoramus, & nos omniáque nostra paternæ* ET PLUS QUAM DIVINÆ *Tuæ dispositioni ac curæ reverenter submittimus, ac unicè commendamus. Claves enim ligandi ac solvendi,* quas

quas Christus ipse S. Petro tradidit, ejúsque omnibus successoribus reliquit, Tuæ Sanctitati submissè offerimus in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus S. Amen.

XLVI. *Quintò* adorationis Papalis ceremoniæ Divinum & religiosum cultum manifestè arguunt. Ego paucas nonnullas attingam. Pectoris tunsio in nullius unquam hominis honorem adhibita est. Signum enim est compunctionis internæ cordis, qua peccata adversùs Deum admissa homo agnoscit, dolet, detestatur, & sibi remitti cupit, Luc. XVIII. 13. Act. II. 37. Augustinus *Enarrat. 2. in Psal. 31. &* 146. *Tu*, inquit, *dirige cor tuum, non potes? Tu frange, ille dirigat; quomodo tamen franges? quomodo tamen conteres? Confitendo, puniendo peccata tua. Quid aliud significat pectorum tunsio, nisi fortè putamus, ossa nostra peccâsse, aliquid cædimus & tundimus pectus? Sed significamus nos cor conterere, ut à Domino dirigatur.* Diana *Resol. 8. p. 6, 7.* occasione motus civis sui, pectus bis tundentis, cùm Papam tiara redimitum portari vidisset, dubitâsse se ait, *an ex condicto sic adorare Pontificem esset licitum?* Addit: *Et in rigore ac speculativè loquendo adhæsi sententiæ affirmativæ.* Raphaëlis de la Torre in eandem sententiam verba supra attuli.

v. Quia adorationis Papalis ceremoniæ religiosum & Divinum ejusdem cultum arguunt: inprimis tunsio cordis,

XLVII. Par ferè ratio est incensi, seu thurificationis. Cornelius à Lapide *in Malach. j. 11.* agnoscit, *omnium gentium usu & ritu Deo thus adoleri.* Idem *in Daniel. ij. 46. Thus*, inquit, *& suffitus nunquam à Principibus usurpata videntur, nisi cùm insanientes adversùs Numen Divinos honores affectârunt.* Sanè etiam Israëlitis maximo datum vitio est, cùm serpenti æneo, typo Christi, thus adoleverunt, 2 Reg. XVIII. 4. Atqui *Papam incensari, & in solio sedentem cum mitra, & stantem à stante, ter ducente tractum thuribulum, cum aliqua distantia inter tractum & tractum,* Marcellus *Cerem. S. lib. iij. tit. 2. cap. 13. p. 120.*

incensatio,

p. 120. ſcribit; & hiſtoriæ Conclavium, aliæque teſtantur.

& Papæ in altari ſedentis adoratio.

XLVIII. Imprimis ceremonia illa, qua Papa recens electus in altari primò quidem Sacrarii Conclavis, poſt Templi D. Petri ſedens vel cubans à Cardinalibus cernuis adoratur, religioſum & Divinum cultum apertiſſimè redolet. Ceremoniam ipſam ex Marcello *Theſi iv.* expoſuimus: & de ea pariter hiſtoriæ Conclavium, & experientia unanimiter teſtantur. Soléntque Itali illam adorationem per excellentiam *l'adoratione* appellare. Altaria porrò ad cultum ſoli Deo debitum pertinere, Bellarminus *de Sanct. Beatitud. cap.* 12. fatetur. Et conſtat planè, altaria ipſorum haberi ad ſacrificia Deo offerenda, & Deum in iis adorandum. Cùm ergo Papam ſic in altari conſiſtentem adorant, quid aliud, quàm Deum, ſeu Idolum ſuum ibi adorant, ac religioſo & Divino cultu proſequuntur? Mitto ceremonias reliquas, quas licet natura ſua indifferentes ad utrumque Divinum & humanum cultum, illi tamen religionis teſtificandæ gratia omnes obeunt.

VI. Quia Papæ cultus haud inferior eo, quem Papicolæ Angelis, Deiparæ, Sanctis, cruci, Euchariſtiæ, imaginibus Chriſti, oſſibus Sanctorum deferunt, & quem olim arcæ fœderis delatum dicitant,

XLIX. *Sextò* Papæ cultus haud inferior illo eſt, quem Papicolæ Angelis, Deiparæ, Sanctis, Euchariſtiæ, cruci, imaginibus Chriſti, Sanctorum reliquiis impertiuntur, & quem olim arcæ fœderis exhibitum illi pertendunt. Singula equidem probari pluribus poſſent. Nos defungemur paucis. De Angelis, ſupra *theſi xvij.* Antoninum Archiepiſcopum Florentinum ſic argutantem vidimus, quòd Papa Angelis major ſit, quia ille adoretur, hi adorari ſe paſſi non ſint. Auguſtinus de Ancona *de Eccleſ. Pot. q.* 9. *art.* 4. *p.* 65. inſtituta quæſtione: *An Papæ debeatur honos, qui debetur Angelis?* ſic inter alia reſpondet pariter: *Apoc. ultimo ſcribitur, quòd Angelus, qui loquebatur cum Johanne, non permiſit ſe adorari ab eo, dicens: Vide ne feceris; Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum. Sed Papa recipit à fidelibus Eccleſiæ adorationes, proſtrationes & oſcula pedum.*

dum. Ergo major honor exhibetur Papæ, quàm Angelis. Papæ! Sic enim Indi quoque majorem Diabolo, quàm Angelis honorem exhibent. Deiparæ & Papæ cultum sic Raynaudus *Monast. Pontif. Sub not.* 3. *fr.* 1. comparat: *Porrò spectata tam sublimi Pontificis dignitate, quæ est venerationis Pontifici debitæ fundamentum, addendum est, non qualemcunque cultum ei esse impendendum, sed supra communem ordinem cultus religiosi Sanctis tributi; ita ut cùm Sanctis exhibeatur cultus duliæ, spectata sola eorum sanctitate, Pontifici tamen debeatur cultus hyperduliæ. Nam ejus conjunctio cum Christo quoad fundamentum reverentiæ est longè altior, quicquid sit de Sanctitate personali. Sicut Beata virgo, quæ habet excellentiam specie diversam ab ea, quæ fundatur in gratia, nempe maternitatem, colitur adoratioue superiore, quàm sit ea, quæ fundatur in sola sanctificante gratia, ut rectè statuit Suarez.* 1, 2, 3. *p. disp.* 22. *sect.* 3. *qui anceps est, an cultus ille sit religionis strictè sumtæ, à qua oritur Dei & Christi adoratio, an verò oriatur à speciali habitu, ob specialem Virginis dignitatem cultus prædicti fundatricem. Quod secundum circa B. Virginem mihi placet. Et ob paritatem rationis idem statuo in re præsenti circa cultum impensum Vicario Christi.* Sanctorum & Papæ cultum sic Aug. de Ancona *loc. cit. q.* 9. *art.* 3. *p.* 65. comparat: *Honorantur & adorantur Sancti & Sanctæ dulia: quo honore similiter honoratur Papa.* Imò majorem Papæ quàm Sanctis cultum deberi, jam modò Raynaudum asserentem vidimus. Sed & Eucharistiæ ac crucis & Papæ cultum pari passu ambulare, Caramuel *de Hierarch. Eccles. lib.* 5. *disp.* 60. *n.* 580. insinuat. Instituta enim quæstione, *An Papa etiam impius à fidelibus adorandus sit?* illud crudè affirmat eo argumento, quòd etiam *crux è Caini, aut Judæ, aut cujuscunque alius hominis damnati cineribus formata; & Eucharistia, quam hæreticus in stercora projecit,*

cit, adoretur. Faciunt huc, quæ de adoratione Papæ in Missa *Thesi vj*. edisseruimus. Majorem quinetiam honorem Papæ, quàm imagini Christi deberi, Augustinus de Ancona *loc. cit. p*. 66. sic arguit: *Videtur, quòd major honor debeatur Papæ, quàm imagini Christi; quia Papa est imago Dei naturalis, secundùm rationalem animam. Sed pictura Christi artificialis imago est. Major ergo honor debetur Papæ, quàm imagini Christi*. Quidni autem, cùm Papam, *velut vivam Christi imaginem* à Constantino adoratum Steuchus *de Donat. Const. M. p*. 141. nos edocuerit? Idem, qui supra, Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Thom. tom. 2. q. 84. art. 5. disp. 5. n. 26*. oscula ossibus Sanctorum, & Pontificis pedibus infixa comparat, & utraque religiosæ adorationis species facit. Denique quid similius est adoratione Papæ, & adoratione ea, qua adoratam olim arcam fœderis illi afferunt? Sicut enim olim à Levitis bajulabatur arca fœderis, atque sic bajulata, Papicolarum quidem sententia, adorabatur, ceu Jehova scilicet, uti Innocentius III. *de Myst. Missæ lib. 1. 15*. docere vult: sic planè Papa in aurato solio sublimis, succollantibus Cardinalibus, ad eundem modum circumgestatur, & à Papolatris adoratur.

adeòque religiosus & Divinus est. L. Angelorum porrò, Deiparæ, Sanctorum, Eucharistiæ, crucis, imaginum Christi, ossium Sanctorum cultum religiosum esse, & olim arcæ fœderis religiosum fuisse, ipsimet adversarii contendunt. Nos addimus, & religiosum & Divinum cultum esse, quem iis impendunt, tum quia religiosum à Divino separari non posse, supra probavimus: tum quia adoratio, invocatio, & omnis ille cultus, quem objectis illis deferunt, Divinitatem quandam in adoratis, invocatis, cultis supponunt; uti quidem alibi demonstravimus. Prono planè hinc alveo fluit, etiam Papæ cultum, utpote earum, quas diximus, rerum cultui vel parem, vel superiorem, religiosum planè & Divinum esse.

LI. Ste-

LI. *Septimò* cultus duliæ, hyperduliæ, latriæ, à Pontificiis sic distinctus, religiosus haud dubiè, adeóque etiam Divinus est. Papæ verò adorationem Papicolæ alii ad duliæ, alii ad hyperduliæ, ad latriæ cultum alii referunt. Infra aliquem ex iis cultûs generibus eum subsidere, vix quisquam ex illis affirmaverit. Quanquam discordes calculi sunt, adoratio illa Papæ ad cultum duliæ, hyperduliæ, an latriæ referri debeat.

VII. Quia ex hypothesi Papicolarum cultus duliæ, hyperduliæ & latriæ religiosus, adeóque etiam Divinus est.

LII. Sub quo adorationum harum genere adoratio Pontificis comprehendatur, quæstionem movet Diana Panormitanus *Resol.* 11. *&c. pag.* 8. *&c.* & variantes sententias recenset. Sunt ergo, qui ad duliam referant. Sic ipse Diana *pag.* 10. & , quos sibi consentientes ibi allegat, Baldellus, & Mazaronius. Sunt, qui ad hyperduliam referant. Ita Raynaudus, cujus verba *th. xlix.* retulimus. Neque aliter Legati illi Florentini, quorum orationem Antoninus Florentinus recensuit loco & verbis, quæ *thesi ij.* jam expressimus. Denique Caramuel *Hierarch. Eccles. lib. j. disp.* 60. utramque & latriæ & duliæ adorationem Papæ competere pertendit. *Potest enim*, inquit, Papa *considerari ut quod; potest ut quo. Et consideratur priori modo, quando ut persona: & posteriori modo, quando ut imago, umbra; quando ut Pro-Christus; quando ut Pro-Deus, hoc est, Christi Vicarius, Profectò Duliæ cultum nemo Patri Optimo Maximo negare audebit, qui sciat in tabulis Divinis legem esse, quæ Parentes honorari præcipiat. Hic cultus debetur Pontifici considerato, ut quod. Quatenus enim homo est, est homo sacer, homo summus, & cæteris universis prælatus. At si consideretur, ut quo, ut Vicarius Christi, ut via ad terminum, ubi cesset errandi periculum, Latriæ cultum requiret, eo sensu, quo cæteræ imagines Christi; cultum, inquam, qui non terminetur ad lapides, ad ligna, non ad carnem, aut sanguinem, sed ad Christum.* Infra: *Quia inter alias imagines*

Atqui adorationem Papæ ad duliam Diana, Baldellus, Mazaronius: ad hyperduliam Raynaudus, Florentini Legati; ad duliam simul & latriam Caramuel, referunt.

gines Pro-Rex est Regis imago intelligibilis, cultu, quo cæteræ materiales Regis ex digniore motivo honorari debebit. Ergo idem dici debebit Pro-Christo. Quo enim sensu est intelligibilis imago Christi, eo debebit coli, sicut cæteræ imagines. Hactenus ille. Latriæ ergo cultum Papæ etiam vendicat; addens, terminari eum in Christo, cujus Papa visibilis imago sit. Cùm verò Christus eum in imagine tali cultum nec præceperit, nec acceptet; atque eum in honorem Christi neutiquam redundare supra probaverimus: terminabitur ergo & quiescet in Papa; atque sic cultus latriæ absolutus erit, quo Idolum hoc suum Papolatræ prosequuntur. Faciunt huc illa Augustini de Ancona *loc. cit. pag.* 63. *Latria est servitus debita soli Deo. Latinè enim servitus, Græcè latria dicitur. Sed omnis servitus debetur Papæ. Ergo omnis honor, qui debetur Deo, debetur Papæ. Quid vobis, Papicolæ, videtur?*

VIII. Quia adorationem Papæ religiosum & Divinum cultum esse, questi sunt Imperatores Fridericus II. & Ludovicus Bavarus, nec non Gerson; asserunt Alcasar, Gordonus Huntlaus, Petrus à Cordua, Hieronymus Balbus, Polydor. Vergilius, Steuchus, &c.

LIII. *Octavò* denique accedunt suffragia Adversariorum, quæ Papæ adorationem, religiosum Divinúmque cultum esse, ambigere non sinunt. Plura corraserunt alii. Nos pauca delibabimus. Fridericus II. Imperator fortissimus, qui Papæ Sinonias artes maximè compertas habuit, in suis ad Principes literis, ab Aventino *lib. vij.* recensitis, sic inter alia queritur: *Pontifices Romani aucti divitiis & dignitate, æmuli sunt pertinacissimi omnium Regum atque Principum, neque parem ultra ferre possunt. Manibus pedibúsque noctes diésque id conantur, ut non tam me, quàm Sacrosancto Imperio Romano oppresso, facilè cæteris membris omnibus servitutem imponant. Affectant dominationem atque Divinitatem, nempe ut ab omnibus haud aliter, imò magis, quàm Deus timeantur.* Concors ei Ludovicus Bavarus, Imperator omni laude major, Aventino eodem libro teste, in publico Edicto hæc de Johanne XXII. verba fecit: *Se similem Altissimo facit*

(pla-

(planè, uti de Babylone Esajas cap. XIV. 14. loquitur) *se adorari, quod Cœlitum quidam sibi à Johanne fieri prohibuit, pedes sibi osculari, more Diocletiani atque Alexandri, crudelissimorum tyrannorum, permittit. Cùm Christus manceps, Divinitatis Dominus & Deus noster, pedes comitum suorum piscatorúmque laverit.* Johannes Gerson *Serm. j. de Angelis: Diabolus,* inquit, *tanto studio ab hominibus extorsit; & extorquere non cessat, ut adoraretur sicut Deus: imò ut extollatur super omne, quod dicitur Deus. Etiam homines utique Mortales, id est, ærumnis subditos hæc portentosa rabies invasit. Patuit in Nabuchodonosor, Cosdroë &c. Et verendum est, proh dolor, ne in Prælatos quosdam se hujusmodi insaniei virus infuderit: qui æquo animo tolerant se creatores, & eorum subditos suas creaturas ab eisdem appellari. Etenim quo nomine potiùs adorabitur Deus, quàm si Creator nuncuparetur; aut quæ differentia erit ad hominem, & ad Deum, si homo alterius creatura nominetur: & quo ampliùs indigueris. Hoc de se illi patiuntur facto, qui omnium se servos fatentur. Sed hos jam linquamus, qui bonis monitoribus obsurduerunt.* Ludovicus ab Alcasar in carmine ad Johannem Apostolum, Commentario in Apocalypsin præfixo, de Paulo V.

—— Quem Numinis instar
Vera colit pietas ——

Jacobus Gordonus Huntlæus *Epit. Controv. T. j. Controv.* 2. *c.* 26. questus, criminari nostros, quòd Papa à suis adoretur, sic illum *pag.* 253. purgat: *Si Deus in ea fuit voluntate, ut homines adorarent pedes Episcopi Philadelphiæ* (quasi ante fidelium pedes, quod eorum, qui à fidelibus victi, iisque subjecti sunt, est adorare, quod de quibusdam ab Ecclesia victis Apoc. III. 9. dicitur; sit pedes eorundem osculari, atque sic eosdem adorare) *multò magis acceptum & gratum erit Deo, quòd Christiani homines pio affectu ad pedes supre-*

premi Episcopi totius Ecclesiæ, se prosternant, eique osculi signo exhibeant adorationem non civilem duntaxat, sed etiam religiosam, nempe propter Deum, & Dei causa. Petrus à Cordua & Hieronymus Balbus, Gurcensis Episcopus, Ferdinandi Archiducis Austriæ Oratores, Bzovio in suo Romano Pontifice *p.* 55. laudante, sic loquuntur: ***Indubitatus Jesu Christi Vicarius, verus Petri successor, Christianorum Princeps, & universalis Dominus, vicaria Christi persona, quam gerit in terris, ut Divina & Cœlestis colenda est.*** Addenda sunt hisce suffragia Polydori Vergilii, Cuspiniani, Augustini Steuchi, Stevani, Antonini Florentini, Mazaronii, Baldelli, de la Torre, Raynaudi, Tanneri, Caramuelis, Dianæ, aliorum, quæ superiùs διαῤῥήδην expressa repetere nihil attinet.

Argumenti conclusio.

LIV. Sic ergo, Papam & Divinitatem, & cultum Divinum religiosum sibi vendicare, firmissimè comprobavimus, meritóque ei verbis Dei ipsius Zachar. XI. 17. sic acclamamus: הוי רעה אויל *Væ Tibi, Pastor Idolum, qui derelinquis gregem. Gladius erit super brachium tuum, & super oculum tuum. Dextrum brachium tuum arescendo arescet, & oculus tuus dexter caligando caligabit.* Concludimus tandem Hierarchiam seu Clerum Ecclesiæ Romanæ dominantem, cœteris paribus, esse Babylonem Magnam, scortationum illam infamem & turpissimam Matrem: quod quintum demonstrationis nostræ caput erat.

